

אור מאור

LUX DE LUCE

LIBRI TRES,

IN QUORUM PRIMO

AMBIGUÆ LOCUTIONES,

IN SECUNDO

VARIÆ AC DUBIÆ LECTIONES

Quæ in Vulgata Latina S. Scripturæ Editione occurrunt, ex Originalium Linguarum Textibus illustrantur, & ita ad determinatum clarumque sensum, certamque aut verosimiliorem lectionem reducuntur.

IN TERTIO

Agitur de Editione Sixti V. factâ anno 1590. multaque alia tractantur, quæ (saltem pleraque) omnes hactenùs latuerunt Theologos, & S. Scripturæ Interpretes.

COLLEGIT ET DIGESSIT

F. HENRICUS DE BUKENTOP

Ord. FF. Minorum Recollectorum in Academia Lovaniensi S. Theologiæ Lector Jubilatus, Provinciæ Germaniæ Inferioris Exdefinitor, & actualis Custos Custodum.







BRUXELLIS,

Typis FRANCISCI FOPPENS. MDCCX.

Cum Approbationibus & Permissu Superiorum.

MICHÆÆ VII. 8.

יְהוָה אוֹר לִי

ISAIÆ II. 5.

נֵלְכָה בְּאוֹר יְהוָה

PSALMO XVII. 29.

Θεός μȣ φωτιεῖς τὸ σκότος μȣ.

JOANNIS I. 5.

Τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει.

SAPIENTIÆ VI. 23.

Diligite lumen Sapientiæ.

PSALMO XXVI. 1.

Dominus illuminatio mea, & salus mea.

PSALMO XXXV. 10.

In lumine tuo videbimus lumen.



Admodum Reverendis, Eximiis, Ampliſſimis Dominis

S. THEOLOGIÆ DOCTORIBUS ET PROFESSORIBUS

Strictæ Facultatis Theologicæ Lovanienſis

REGENTIBUS ET MAGISTRIS

PERILLUSTRI AC REVERENDISSIMO DOMINO PATRI

PETRO LAMBERTO LE DROU,

Ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini Epiſcopo Porphyrienſi, Sacrarii Apoſtolici Præfecto, Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis Canonico Pœnitentiario.

E. D. JOANNI LIBERTO HENNEBEL,

Collegii Viglii Præſidi.

E. D. FRANCISCO MARTIN,

Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Lovanii Canonico, S. Scripturæ Regio Interpreti, & Linguæ Græcæ Profeſſori.

E. D. GUILIELMO RENARDI,

Collegii Bajorum Præſidi.

E. D. HERMANNO DAMEN,
Ecclesiæ S. Petri Canonico, & Decano,
Collegii Divæi Præsidi.

E. PATRI HIERONYMO T'SERAERTS,
Conventûs Fratrum Prædicatorum iteratò Priori.

E. D. CAROLO GISLENO DAELMAN,
S. Theologiæ Regio Professori, Ecclesiæ S. Petri Canonico,
Præsidi Collegii Pontificii.

E. D. ANTONIO PARMENTIER,
Ecclesiæ S. Petri Canonico, Collegii majoris
Theologorum Præsidi.



XIMII DOMINI,

Summa laus est, & specialis Almæ Universitatis Lovaniensis, quòd in ea præ reliquis Orbis Catholici Academiis semper floruerit, & floreat etiamnum S. Scripturæ studium.

Est hîc speciale, & per sacrorum studiorum Moderatores, hoc est per Vos Eximii Viri S. Facultatis strictæ Regentes sancitum, atque inviolabiliter observatum, ut exactiùs, accuratiùsque, & quidem tribus distinctis, ac multùm interpolatis vicibus examinentur quantùm in Scripturis sacris profecerint illi, qui gradus Academicos in Theologica Facultate suscipere desiderant.

Insuper firmâ lege constitutum est, ut præter multiplices alias Theologicas, tres ex Scriptura Theses & componere debeant, & in publicis disputationibus defendere, primas ut S. Theologiæ Baccalaurei

laurei formentur, secundas antequam Licentiæ laureâ decorentur, tertias denique pro Doctoratu adipiscendo.

His stimulis incitati, his studiis eruditi, his exercitationibus politi, innumeros in Sacra Scriptura versatissimos, hoc est Viros in Lege Dei doctissimos omni, quo stetit sæculo, protulit Alma Universitas tam in Clero Sæculari, quàm Regulari Eximios Verbi Dei Interpretes, atque Scriptores.

Ut prisca taceam tempora, vivunt adhuc in Theologorum memoria, vivunt in conscriptis atque editis libris suis Scripturisticis Rampenius, Fromondus, Jansonius, Haræus, *uterque* Jansenius. *De* Michaële Bajo *refert Nicolaus Vernulæus:* Testamenti Novi libros omnes publicè decies explicavit, Antiqui multoties.

Præclarissima sunt Biblia illa Regia Polyglotta Plantinianis Typis elegantissimè simul & fidelissimè à sæculo edita. De his Valerius Andreas in fastis Academicis: Augustinus Hunnæus S. Theologiæ Doctor *istis* Bibliis Regiis censendis, atque recensendis auctoritate Regiâ, ac Pontificiâ operam dedit.

Verè Vir potens in Scripturis *fuit* Guilielmus Estius *hujus Lovaniensis primùm Eximius Doctor, deinde Duacenæ Academiæ Institutor. Testes advoco omnes, qui ejus in Paulinas, aliasque Canonicas Epistolas Commentaria legerunt, quique illius difficiliorum totius S. Scripturæ locorum explicationibus usi sunt.*

Immortalem laudem assecutus est hujus Universitatis S. Theologiæ Licentiatus Franciscus Lucas Brugensis, *idque per multiplices suas in Scripturam Elucubrationes, & criticas observationes, cujus etiam (saltem pro parte maxima) sunt utilissimæ istæ marginales Notæ, quæ in Bibliis Lovaniensium dictis, conspiciuntur. Constat hoc ex Præfatione, quam idem Brugensis præfixit libro suo à se vocato* Notationes. *Insuper, ùt de eo Valerius Andreas:* Græcè, Hebraïcè, Syriacè, ac Chaldaïcè in primis peritus præceptore, institutore, patre, & familiari (ita enim ipse alibi scribit) per septennium, & eo ampliùs, usus *Joanne Guilielmo Harlemio* Societatis Jesu Lovanii Præposito, cum eoque, & *Benedicto Ario Montano*, aliisque, Regiorum Bibliorum editioni præfectus.

DEDICATIO.

Joannes Hentenius Nechliniensis Belga (*iterum verba sunt Valerii Andreæ*) primùm Ordinis S. Hieronymi in Lusitania, post S. Dominici Religiosus Lovanii Prior, ac Regens studii, & Facultatis Theologicæ ordinarius, vitæ morumque exemplo suis præfuit. Biblia Sacra Caroli V. jussu è manuscriptis recensuit, quæ inde Lovaniensia dicuntur.

Hæc Latina Vulgatæ Biblia sæpiùs reimpressa, meritò reliquorum omnium fideliora, atque exactiora sunt habita, ceterorumque quasi criterium, & norma erant ante Romanas correctiones peractas sub Sixto V. & Clemente VIII. Suntque hæc per alios Lovaniensis Academiæ doctos Viros tum in Flandricum, tum in Gallicum idioma fideliter translata, ac multoties impressa. Flandricam versionem perfecit Nicolaus van Winghe *Canonicus Regularis Cœnobii Lovaniensis, quod S. Martini dicitur. Gallicam* Nicolaus de Leuze, *S. Theologiæ Licentiatus, in qua etiam multum fideliterque laboravit* R. P. Nicolaus de Larben *Prior Conventûs Cælestinorum in Heverle; Atque adeò hæ translationes per tres* Nicolaos *elaboratæ sunt.*

Præter Hentenium *habuit hæc Universitas variorum Religiosorum Ordinum præclarissimos Scripturæ Magistros & Interpretes, quos longum foret omnes enumerare. Ut equidem de plurimis vel paucissimos nominemus:*

Inter Magni Patris Augustini Canonicos Regulares ex Perillustri, & Ducali Abbatia S. Gertrudis excelluit Prænobilis Dominus Josephus-Geldolphus à Ryckel *ejusdem Abbatiæ dignissimus Præsul.*

Ex Martinianis jam nunc produximus Nicolaum van Winghe.

In Ordine Erêmitarum S. Augustini specialiter incubuit Scripturæ Eximius S. Theologiæ Doctor Michaël Paludanus.

Inter Benedictinos eminet piissimus Abbas Ludovicus Blosius, *seu* de Blois, *ex illustri Blesensium, & Barbansoniorum sanguine procreatus.*

Ex candida Præmonstratensium familia præclarus Adrianus Moerbecius.

Ex Fratribus B. Mariæ de Monte Carmelo fuit Joannes Beets,

unus

unus inter primos hujus Universitatis Theologici ac Scripturistici studii Fundatores, atque Eximios Doctores.

Inter Dominicanos præter laudatum Henténium *in Scriptura singulariter excelluit* Magdalius Gaudanus.

Inter Patres Societatis Jesu emicuerunt Joannes Harlemius, Robertus Bellarminus, Jacobus Tirinus, Martinus Del Rio, Andreas Schottus, Jacobus Bonfrerius, Cornelius à Lapide.

Nec defuerunt ex nostro Minorum Ordine; quod equidem non mirum est, cùm filiis suis adeò commendaverit S. Scripturæ studium pietati conjunctum S. Patriarcha noster Franciscus, de quo & scribit Seraphicus Ecclesiæ Doctor ad Magistrum innominatum: Ut scias quantùm ei placuerit studium S. Scripturæ, audivi ego à fratre qui vidit, quòd cùm Novum Testamentum venisset ad manus ejus, & plures fratres non possent simul habere, dividebat per folia, & singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret. *Idem S. Bonaventura quæst.* 3. *super Regulam Fratrum Minorum, cùm luculenter hoc ipsum probasset, tandem concludit* Necesse est nobis *Fratribus Minoribus* Sacræ Scripturæ habere studium & Magistros.

Ex nostris ergo hujus Conventûs, & simul Universitatis filiis speciales in Scriptura excelluerunt Amandus Zierixiensis, Franciscus Titelmannus, Adamus Sasboldus, Joannes Mahusius, Tacitus Nicolaus Zegerus; *Omnes scriptis doctissimis atque utilissimis in Scripturistica materia noti, quos dein successivè in scholis nostris omni tempore subsecuti sunt præclari S. Scripturæ, ùt vocant, Lectores.*

Horum ego ultimus & minimus tum merito, tum doctrinâ, etiam meam quantulamcumque opellam adjungere tentavi, præcedentibus quidem exiguis scripturisticis opusculis, nunc verò opere hoc majoris & molis, & ponderis, utinam grati! Utinam justi! Utinam utilis! Utinam, quod caput est, Deo placiti!

Quibus autem post Deum hoc dicarem, & offerrem, nisi Vobis Eximii atque Amplissimi Domini? Vos in hac Universitate studio Theologico, & præsertim Scripturistico sani in fide, integri moribus

vigi-

vigiles attenditis, & intenditis. Hoc ſanè debeo Almæ Matri meæ Univerſitati Lovanienſi, cui jam à 40. circiter annis nomen dedi, atque adeò & Vobis debeo Eximii Viri; nam quidquid de ſacris litteris vel balbutire poſſum, in hac Univerſitate ſtudendo didici, hic incœpi, hic ſuccrevi, hic, ſi quid profecerim, hauſi.

Accipite igitur ſolitâ benignitate Veſtra, & ſuſcipite dignanter Exiguum hoc munuſculum Vobis omninò debitum. Pergite animare, fovere, docere Scripturæ Studioſos, & me eorum omnium minorem, qui & hoc cum profundo reſpectu precatur, & cuncta Vobis beatiſſima apprecatur. Lovanii kalendis Decembris 1709.

Eximii, atque Ampliſſimi Domini,

EE. DD. VV.

Humillimus Cliens, & in Chriſto Servus

F. Henricus de Bukentop
Frater Minor.

PRÆ-



PRÆFATIO.



INcreata Patris Sapientia loquitur Eccli. XX. & XLI. *Sapientia abſcondita, & Theſaurus inviſus* (gr. ἀφανὴς. *Non apparens, Latens, Inconſpicuus*) *quæ utilitas in utriſque*? Nulla prorsùs. Theſaurus eſt eruendus, in lucem producendus, conſpicuus reddendus; Lux ſuper candelabrum collocanda, hoc eſt: Sapientia manifeſtanda, ut & hæc, & ille ſuum proferant poſſidentibus fructum, gaudium, commodum.

2. Utique *Fons Sapientiæ Verbum Dei.* Eccli. I. *Sapientia infinitus Theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Sap. VII. *Sapientia* delitescit *abſcondita. Derelinquitur fons Sapientiæ.* Baruch III. *Cœleſtis ille Sacrorum librorum Theſaurus, quem Spiritus S. ſummâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jacet.* Trident. Seſſ. V. Latet inviſus, incognitus, inconſpicuus, ſi vel ipſa, quæ Deus protulit verba neſciantur, vel ſi genuinus illorum lateat ſenſus.

3. Tunc verba latent, quando de ipſis verbis, an reverà ſint S. Scriptura, ſeu ipſius Dei verba, anceps hæret animus. Tunc latet ſenſus, *cùm verba propria faciunt ambiguam Scripturam.* Auguſt. Primum non raró, poſtremum evenit frequentiſſimè in Vulgata noſtra S. Scripturæ Latina Editione. De primo, hoc eſt de Ambiguis Lectionibus, binis ſequentibus libris Deo dante agemus, hoc primo de ambiguis locutionibus.

4. Unum è præcipuis mediis revelandæ Sapientiæ in Vulgatâ latentis, atque abſconditi in illâ Theſauri eruendi, eſt recurſus ad Originalis linguæ textum: etenim plerumque manifeſtum eſt hîc, quod obſcurum eſt ibi. Ordinariè in originalis linguæ textu nequaquam eſt dubium, quod in Latino ſonat ambiguè. Atque adeò verum eſt iſtud Auguſtini lib. 2. Doctr. Chriſt. cap. 11. *Linguæ latinæ homines duabus aliis ad Scripturarum Divinarum cognitionem habent opus, hebræâ ſcilicet, & græcâ.* Scriptura namque tota primitùs partim hebræâ, partim græcâ linguâ conſcripta eſt.

5. Niſi autem conſulatur Originalis textus, hoc eſt Hebræus quoad libros hebraïcè conſcriptos, Græcus verò quoad illos, qui à Sacris Scriptoribus græcè ſunt exarati, & ita per hanc lucem tranſlatus textus illuminetur, etiam doctos & ſanctos quoad varia Scripturæ loca, quandoque vera lux, ſeu genuinus Verbi Dei ſenſus latet; ita ut, ſi non falſum, alienum tamen à Scriptura, Scripturæ ſenſum putent. Exemplo ſunt S. Auguſt. ad Gen. II. 6. S. Bernardus ad Marc. XVI. 14. & ad Tit. III. 4. Rhabanus ad I. Reg. XIII. 1. S. Tho-

mas ad Thren. III. 23. Lyranus, & à Lapide ad IV. Reg. XIX. 21. Translatores Belgæ in Bibliis Lovaniensium plurimis locis, quorum aliquot mox allegabo.

6. Vix ullus (si vel ullus) est, quin aberrat, dum non edoctus ab hebræo textu legit illud Thren. III. 23. *Novi diluculò multa est fides tua.* Tu ipse Lector recogita, quid per hoc intellexeris hactenùs, tum consule ea, quæ ad istum locum notavi in hoc libro. Idem opto fieri circa Psalmum CXII. 1. *Laudate pueri Dominum.* Joan. XII. 35. *Adhuc modicum lumen in vobis est.* Hebr. II. 9. *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.*

7. Idem confirmant Biblia tum gallica, tum flandrica, dicta Lovaniensium, quia per Theologos Lovanienses sunt translata, examinata, limata, approbata; ex eo siquidem quòd Translatores illi non satis frequenter recursum habuerint ad originalis linguæ textum, in multis locis, in quibus Vulgata Latina est ambigua, Translationes istæ à vero Scripturæ sensu discrepant. Exempla quædam subjicio.

Gen. VI. 16. *Deorsum, cœnacula, & tristega,* hoc est: Infimam, mediam, & tertiam contignationem, *in arca facies.* Ipsi: *Nederwaerts suldy daer eetkaemeren, ende drie stagien in maeken.* Deorsùm in ea facies cœnacula, & tres contignationes.

Gen. XLVI. 22. *Hi filii Rachel, quos genuit Jacob.* Id est: Quos ipsa Jacobo genuit. Flandr. *Welcke Jacob gewonnen heeft.* Quos ipse Jacob genuit.

Exod. XXVIII. 32. XXXIX. 21. *Capitium.* Os tunicæ. Benè Flandr. *Hooftslippe,* non rectè Gall. *Chapperon.*

Judic. I. 35. *In monte Hares, quod interpretatur Testaceo,* hoc est: *E testis* facto, vel *Instar testa* figuli. Flandr. *Welck is te seggen: Een getuygenis.* Gall. *Testation.*

IV. Reg. XIX. 21. *Sprevit te, & subsannavit te* ô Sennacherib! *Virgo filia Sion; post tergum tuum* te fugiente, *caput movit filia Jerusalem.* Hunc sensum benè exprimit Lovaniensium Flandrica prima Editio, nempè anni 1548. item 1556. Sed (quâ ratione nescio) in posterioribus Editionibus, nempè annorum 1598. 1653. 1657. malè mutatum est hoc modo: *O Maghet dochter van Sion, hy heeft u versmaet, ende beschimpt; ghy dochter van Jerusalem, hy heeft syn hooft achter u geschut.* O virgo filia Sion ipse Zennacherib te sprevit &c.

Cantic. V. 11. *Coma ejus sicut elata* germina florum *palmarum.* Flandr. *Syn hayr-vleghten syn gelyck* OPGEHEVEN *tacken der palmboomen.* Gall. *Comme de branches de palmes* ESLEVE'ES.

Eccli. X. 27. *Magnus,* sive Magnas, unde Magnates, *& Judex, & Potens est in honore.* Flandr. *Groot is eenen Rechter, ende machtich is hy in eeren.* Gall. *Le Juge est grand, & est puißant en honneur.*

Eccli. XVI. 5. *Ab uno sensato inhabitabitur patria, Tribus* Cognatio, familia, *impiorum deseretur.* Gall. *Le païs sera habité par un home sage, & sera desert par trois meschants.*

Thren. III. 23. *Novi*, seu recentes *diluculò*. Belgæ. *Ick weet vroegh inden daegeraet. J'ay cogneu dez le matin.*

II. Machab. XIV. 4. *Thallos.* Ramos aureos instar virentium palmarum. Flandr. *Koppen.* Scyphos. Gall. *Vaisseauz d'offerande.*

Luc. XXII. 20. *Hic est calix... in sanguine meo, qui* (calix) *pro vobis fundetur.* Flandrica Lovaniensia omnia (exceptis penultimis, sc. anni 1653.) *Dit is den kelck... in myn bloet, d'welck* &c. *Hoc est poculum in sanguine meo, qui* sanguis &c. Quantùm intersit hæc ad calicem referri, vide infra fol. 98.

Joan. III. 43. *Nemo ascendit* præterito. Belgæ: *Personne ne monte. Niemant en klimpt.* Uterque in Præsenti.

Joan. XV. 23. *In illo die me non rogabitis*, hoc est *Interrogabitis*, ùt benè Gall. non verò *Obsecrabitis*, ùt malè Flandr. *Op dien dagh en suldy my niet bidden.*

Act. IX. 14. *Et hic*, id est: in hac civitate, *habet potestatem.* Lovan. *En dese heeft macht. Et cestuy a puissance.*

8. In his allegatis, & pluribus aliis locis, à genuino Scripturæ sensu aberrarunt Interpretes Lovanienses nunc Flander, nunc Gallus, nunc uterque; idque ex eo, quòd in illis locis transferendis recursum non habuerint ad originalis linguæ textus.

9. Ego igitur propter rationes præmissas librum hunc composui, & per prælum publici juris facere decrevi, præsertim cùm neminem sciam istud hactenùs præstitisse. Magno proinde labore ingentem locorum ambiguorum copiam congregavi, & factâ collatione cum originali textu, quantùm potui, explicavi.

10. Fateor equidem in nostra Vulgata Latina S. Scripturæ Editione esse plura loca ambigua, quæ in hoc libro elucidata non sunt. Primò quia aliqua effugisse advertentiam meam, ego ipse experior, quandoquidem iterum iterumque Scripturam relegens, semper nova quædam occurrant, quæ ambigua esse, antea non reflexeram.

Sic tantùm postquam impressus fuit hic liber primus, animadverti esse ambigua illa, quæ habentur Exod. XX. 2. 5. Deut. V. 5. 9. *Ego sum Dominus Deus tuus*, nempè an Pronomen *Tuus* afficiat solam vocem *Deus*, an etiam *Dominus*, ut sensus sit: *Dominus tuus & Deus tuus.* Idem est de multis locis similibus, in quibus dicitur *Dominus Deus noster, vester, meus, tuus, ejus.* Sed in illis Pronomen afficere solam vocem *Deus*, constat ex hebræo, in quo pro Latino *Dominus*, est nomen Dei proprium יהוה quod Recentiores (etsi minùs congruè) pronuntiant *Jehova*, significat autem ipsam Divinam essentiam ad intra ùt loquuntur Theologi, unde in tota Scriptura (quantùm scio) nusquam dicitur יהוה *Jehova noster, meus, tuus*, sed ubicumque tale Pronomen in Vulgata conjungitur voci *Dominus*, ibi in hebræo habetur alia vox, nempè

 אדון

אדון *Adon*, quæ ſignificatione præciſè coincidit cum voce *Dominus* relativè ſumptâ, quo modo ſubditi, & ſervi compellant *Dominos ſuos*. Ita habetur Gen. XVIII. 27. 31. Joſ. V. 15. Pſal. VIII. 2. 10. XXXIV. 23. CIX. 1. Ita etiam Joan. XX. 28. *Dominus meus*, & *Deus meus*, in Syro eſt מרי ואלהי *Mari va-Elohi*; valet autem Syrorum *Mar*, Hebræorum *Adon*, non verò *Jehova*. Aliud eſt de voce *Deus*, & correſpondente ei hebræâ אהלים *Elohim*, illa enim dicit reſpectum ad extra, unde eſt *Elohim meus*, non *Jehova meus*; cui equidem proprium eſt, imò eſſentiale ut unicus ſit יהוה *Jehova*.

Judic. IX. 19. *Hodie lætamini in Abimelech*. Hoc non eſſe Indicativi modi, q. d. *Gaudetis*, ſed Imperativi, patet ex hebræo שמחו *Simhhu*. *Gaudete*.

Michææ I. 14. *Domus mendacii in deceptionem Regibus Iſraël*. Attento contextu videretur iſtud *Domus* ſingulare; at eſſe plurale conſtat ex hebræo, in quo non eſt ſingulare בית *Beth*. *Hæc domus*, ſed plurale בתי אכזיב *Bate aczib*. *Hæ domus mendacii*.

Gal. V. 16. *Spiritu ambulate*, & *carnis deſideria non perficietis*. Ambiguum eſt iſtud: *Non perficietis*. Poteſt enim intelligi quaſi Paulus dicat: Videte & converſamini ſecundùm dictamen Spiritûs Sancti, manifeſtatum vobis in lege dilectionis: quod ſi feceritis, quamvis caro ſollicitet ad peccata, non tamen facietis nec opere, nec conſenſu id, quod caro deſiderat, aut concupiſcit. Ita explicat Eſtius, qui equidem addit: Illud *Non perficietis* poteſt etiam præceptivè intelligi: *Ne perficiatis*, ſicut dictum eſt: Diliges, id eſt dilige. Hic ſenſus Eſtio quidem non adeò placet, ſed ego puto eſſe genuinum, cùm in græco ſit: *Spiritu ambulate*, & *ἐπιθυμίαν concupiſcentiam carnis μὴ τελέσητε ne perfeceritis*.

Hebr. XIII. 2. *Hoſpitalitatem nolite oblivifci*, *per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis*. Non ſignificat hîc *Latuerunt* idem, quod *Occultati ſunt*, ſive *non viſi*, prout intelligunt Jacobus Faber, & Ambroſius Catharinus, hoc applicantes Loto Gen. XIX. 11. Sed ſenſus eſt: Ignoraverunt eſſe Angelos, quos hoſpitio recipiebant, nempè Abraham, Lot, Manuë, Tobias. Vide infra libro 2. fol. 303.

I. Petri III. 13. *Quis eſt*, *qui vobis noceat*, *ſi boni æmulatores fueritis?* Hîc *Boni* non eſſe Nominativum pluralem, quod forſitan multi putant, ſed Genitivum ſingularem, patet ex græco ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε. *Si illius*, *quod bonum eſt imitatores fueritis*, juxta illud II. Joan. ℣. 11. *Noli imitari malum*, *ſed quod bonum eſt*. Poteſt etiam intelligi: *Illius*, *qui bonus eſt*, putà Dei, vel Chriſti; nam iſtud τοῦ ἀγαθοῦ eſt indifferens ad Genitivum Maſculinum, & Neutrum.

11. Deinde aliqua loca ambigua ſciens volens præterivi, illa nimirum penè omnia, in quibus comperi eandem verborum ambiguitatem, quam in Vulgatâ Latinâ deprehenderam, etiam eſſe in originalis linguæ textu.

Tale eſt illud, quod Chriſtus dixit Judæis Joan. V. 39. *Scrutamini Scripturas*.

turas. Hoc enim non solùm in Latino, sed etiam in Græco ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, est ambiguum ad modum indicativum, & ad imperativum, neque ex contextu indifferentia tolli potest; unde varii Interpretes explicant per Indicativum, q. d. Magnâ diligentiâ indesinenter pervolvitis Scripturas. Alii verò per Imperativum, q. d. Exactè Scripturas perlustrate.

12. Alius notabilis locus est Joan. I. 3. *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil quod factum est in ipso vita erat.* Illa, inquam, æquè indifferentia sunt in græco; scilicet ut punctum fiat, & sensus absolvatur post vocem *Nihil*, hoc modo: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est* &c. quo modo legit S. Augustinus variis locis, item Athanasius, Cyrillus, Tertullianus, Beda. Tunc sensus est q. d. Sic prorsùs omnia per Verbum facta sunt, ut nulla creatura sit, quæ per Verbum facta non sit.

13. Potest etiam in illis verbis sensus suspendi, & punctum transferri post illa: *Quod factum est*, hoc modo: *Sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso* &c. Ut novus sensus tantùm inchoetur per sequentia: *In ipso vita erat.* Sic legendo habent illæ voces alium sensum verum, nempè sine Verbo omnia conservante, quidquid factum est, in nihilum, è quo eductum est, recidere. Ita legunt & intelligunt Hieronymus, Nazianzenus, Chrysostomus.

14. Talia porrò loca ferè omnia præterivi, præsertim in Psalmis. Primò quia in illis ambiguitas Vulgatæ non potest tolli per originalem textum, cùm is ad utrumque sensum æquè sit indifferens. Secundò, quia tunc uterque ille, aut etiam plures veri sensus, *qui* (Verbis utor S. Thomæ q. 4. de Potent. art. 4.) *possunt salvâ circumstantiâ litteræ Scripturæ aptari, sunt* genuini *Scripturæ sensus*, & à Deo intenti, conformiter ad Angelici Doctoris, S. Augustini, atque communissimam Theologorum sententiam.

15. Notandum tamen hanc sensuum pluralitatem non habere locum, quando solius Vulgatæ verba sunt ambigua, seu æquivoca; nam isto casu indifferentia illa non est in verbis originalis textûs, sed unicus tantummodò in illis sensus exprimitur, & continetur; atque adeò non ille secundus Vulgatæ, qui (ùt supponitur) non reperitur in originali textu, ac proinde non est à Deo inspiratus, consequenter nec à Deo intentus, & pronunciatus. Pro talibus ergo locis utilissimus erit omnibus meus hicce liber; pro illis autem, qui originales textus consulere non possunt, omninò necessarius.

16. Magnus Augustinus tantoperè desiderabat verborum ambiguitatem in Scripturæ translationibus caveri, ut hanc præscribat Regulam lib. 4. Doctr. Christ. cap. 10. *In bonis Doctoribus tanta docendi cura sit, ut verbum, quod nisi obscurum sit, vel ambiguum, Latinum esse non potest, Vulgi autem more sic dicitur, ut ambiguitas obscuritasque vitetur; non sic dicatur, ùt à doctis, sed potiùs ùt ab indoctis dici solet, quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus*

audientis? Mallem quippè (lib. 3. cap. 3.) *cum Barbarismo dici: Non est absconditum à te ossum meum* (Psalm. 138.) *quam ut ideò esset minùs apertum, quia magis Latinum: Os meum.*

17. Exemplum hoc ab Augustino allatum, demonstrat ipsum in illis quoque Scripturæ locis, quæ non magni momenti possent videri, peroptasse plenam ambiguitatis remotionem, etiam (si opus foret) cum dispendio Latinitatis, quid enim magnoperè videtur interesse, ut exactè sciatur an in illo Psalmo intelligatur *Os* oris, an *Os* ossis?

18. Itaque, ùt confido, nemo mihi vitio vertet, nemo adscribet supervacaneæ curæ, si per originalem textum tollam ambiguitates, etiam in illis Vulgatæ locis, quæ forsitan Aliquibus videbuntur minoris momenti: etenim in Sacratissimo Dei verbo nihil omninò est parvi faciendum, nihil negligendum, omnibus Scripturæ locis suum inest pondus, & plerumque grave admodùm, quamvis fortasse nobis ignotum.

19. Deinde in ipsis locis, quæ satìs clara videri possent, cespitant quàndoque etiam doctiores. Exemplo sit Translator Belgicus Bibliorum Lovaniensium, dum ista Joan. VIII. 52. *Abraham mortuus est*, hoc est: *Obiit*, sensu alieno vertit: *Abraham is doodt.* Vertere debuisset: *Abraham is gestorven.*

20. *Lux de luce* à me vocantur hi tres libri, quia intelligentiæ *Lucem* præferunt, seu sacrum Vulgatæ textum in obscuris ambiguisque locis, & lectionibus illustrant; sed *Luce* emendicatâ, hoc est desumptâ ab originali textu, atque adeò ab ipsismet Dei verbis: *Verbum enim Dei Lux est*, inquit Ambros. in Luc. XI. David autem Psalm. CXVIII. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Proverb. VI. 23. *Mandatum lucerna, & lex lux.* Denique Princeps Apostolorum II. Petr. I. 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

21. In compositione hujus operis, ubique verba, & characteres græcos atque hebræos, ipsaque vocalia puncta adscripseram; sed postmodùm considerans, plerosque, qui hoc opus legent, hebrææ, aut etiam græcæ linguæ ignaros esse, quibus idcircò hi characteres nullam utilitatem, aut gustum; sed tædium potiùs, ac nauseam adferrent. Quia etiam expertus sum, quantum laborem subeant, & tempus insumant Typothetæ græcas hebræasque litteras, & præsertim puncta ritè collocando, ideò in prælo characteres istos plerumque omisi; textum tamen hebræum atque græcum fideliter expressi.

22. Pro labore, quem pro Te Benevole Lector impendi, Orationum tuarum suffragia efflagito, mercedem verò illam spero, & ab illo, qui dixit Joan. VIII. 12. *Ego sum lux mundi.* Iterumque: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Eccli. XXIV. 31.

INDEX

INDEX.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

§. III.



LUX



LUX DE LUCE

LIBER PRIMUS.

In quo ex Originali Textu explicantur ambigui ſenſus S. Scripturæ, qui ſunt in Vulgata Latina Editione.

GENESIS.

CAPUT I.

PRimus ambiguus locus, quem in Vulgata Latina S. Scripturæ Editione deprehendi, eſt Gen. I. ℣. 22. *Creſcite, & multiplicamini.* Poſſet enim alicui videri Verbum *Creſcite* intelligendum eſſe de accremento ſtaturæ, ſeu corporeæ molis, ſive (ùt loquuntur Philoſophi) de accretione quantitatis continuæ, non autem diſcretæ, quæ eſt quoad numerum, & individua in eâdem ſpecie.

Attamen non de priori, ſed de hac poſteriori accretione dici, patet ex Hebræo textu, in quo eſt פרו *Pru*, quod propriè ſignificat *Fructificate*, à verbo פרה *Phara*, *Fructum proferre*. Unde etiam פרי *Pri*, *Fructus* dicitur in Hebræo.

Eodem ſenſu accipiendum eſt verbum *Creſcere* pluribus aliis Scripturæ locis, ſignanter hoc eodem Capite ℣. 28. quo loco idem dictum Adamo & Hevæ in perfectâ corporis magnitudine creatis, prout etiam adultis Noë filiis Gen. IX. 1. 7. Itemque Abrahæ cùm eſſet annorum 99. atque adeò completæ magnitudinis Gen. XVII. 6. *Faciam te creſcere vehementer.* Omnibus enim his locis habetur idem Hebræum verbum *Phara.*

At quando agit Scriptura de accremento corporeæ molis, ùt Gen. XXI. 8. & 20. Gen. XXXVIII. 11. & 14.

 Alia

Alia reperitur in Hebræo vox, talem accreſcentiam ſignificans, nempè גדל *Gadal*, à qua *Magnus* dicitur Hebraïcè *Gadol*. Hoc eſt: Qui jam ſatis, vel multum crevit; in loco autem quem tractamus, non habetur גדלו *Gidlu*, *Accreſcite quoad ſtaturam*, ſeu: *Magnificatis*, ſed פרו *Pru*. *Fructificate*. Quod autem ſequitur: *Et multiplicamini*, explicatio eſt prioris verbi, ſeu conſecutio, q. d. Deus: Creſcite, ita ut multiplicemini. Continent proinde verba iſta, & denotant Divinam benedictionem, quâ ℣. 22. piſcibus & volatilibus, & ℣. 28. Primis parentibus fœcunditatem largitur.

℣. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram.* Non eſt præciſè hic ſenſus: Concedo vobis omnem herbam, quæ ſemen ſuum ſuper terram profert. Sed iſte: Do vobis omnem totius terræ herbam ſeminiferam. Patet ex Hebræo: *Omnem herbam proferentem ſemen, quæ* eſt *ſuper faciem univerſæ terræ.*

CAPUT II.

Ut notat S. Auguſt. lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 9. *Ambiguè ſonat* id quod dicitur Gen. II. 15. *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Nempè, an ut homo excoleret Paradiſum? An ut Deus hominem in Paradiſo collocatum? Auguſtinus propoſito genuino ſenſu litterali, ſubdit libro citato cap. 10. *Eſt alius in his verbis ſenſus, quem puto non immeritò præponendum: ut ipſum hominem operaretur Deus, & cuſtodiret.*

Sed hunc ſenſum, quem præferendum putat Auguſtinus, non patitur originalis Textus, in quo habetur לעבדה ולשמרה *Le-obdah; ulſchomrah. Ad operandam eam, & ad cuſtodiendam eam*, nempè Regionem Paradiſi, ſeu גן *Gan Hortum.* Ut enim ad *Hominem*, ſeu ad Maſculinum poſſet referri, deberet in Hebræo eſſe Pronomen Maſculinum, & legi לעבדו ולשמרו *Le-obdo, ulſchomro. Ad operandum eum, & ad cuſtodiendum eum.* Nunc autem utrumque Pronomen femininum, demonſtrat ad ſolum *Paradiſum* poſſe referri; ſive ad vocem גן *Gan*, quam in Hebræo eſſe generis feminini, aut ſaltem communis, colligitur tum ex hoc ipſo loco, tum ex aliis multis.

℣. 23. *Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro ſumpta eſt.* Non ſignificat hîc vox *Virago* mulierem, quæ vires habet, aut animum virilem; ſed merum femininum derivatum à maſculino *Vir*; indicatur enim hac voce, unde *Mulier* Hebraïcè dicatur אשה *Iſſa*, nempè ab איש *Is*, *Vir*. Sicut igitur ipſa mulier à viro ſumpta eſt, ita & nomen ipſius Hebraïcum.

Hinc S. Hieronymus in q. q. Gen. *Non videtur in Græco, & Latino ſonare cur* Mulier *appelletur, quia ex* Viro *ſumpta ſit; ſed Etymologia in Hebræo ſermone ſervatur. Vir quippè vocatur Is, & Mulier Iſſa.* In Hebræo eſt אשה כי מאיש *Iſſa, ci me-Is. Vocabitur Iſſa, quia de Is*, &c. Hinc Pagninus vertit: *Vocabitur Viriſſa.*

Proin-

Proinde non malè fuisset in Vulgata translatum: *Vocabitur Vira, quia de Viro, &c.* Nam ut Festus Pompejus: *Feminas quas nunc dicimus, Antiqui Viras appellabant.* Meritóque Biblia Flandrica tam Lovaniensium Theologorum, quàm Calvinistarum Dordracena, habent hîc: *Manninne*, femininum à Belgico *Man. Vir.* Prout & Germanica Lutheri: *Mannin.*

CAPUT III.

VErsu 17. *Maledicta terra in opere tuo.* An ita? Ægrè, ac respectivè paucos fructus deinceps terra proferet, etiam cùm multam in ea colenda operam adhibueris. An verò? Maledicta erit propter opus tuum criminosum, quo me offendisti. Hieron. in q. q. Gen. *Opera hîc non ruris colendi, ut plerique putant, sed peccata significant, ut in Hebræo habetur.* Atque etiam in Samaritano tam textu, quam versione, itemque in Chaldæo, Arabico, & Syro. Nimirum בעבורך *Ba-aburecha*, quod duobus modis potest exponi, nempè *Propter te.* Atque etiam *Propter* (seu potius) *In trangressione tua*, ùt transtulit Theodotion. Fortè tamen Interpres Vulgatæ legit in Hebræo voce simillimâ בעבודך *Ba-abudecha. In opere tuo.*

CAPUT IV. V.

QUod in Vulgata manet aliquatenus dubium, scilicet an illa Cap. IV. 1. *Dicens: Possedi hominem per Deum*, sint Hevæ verba, vel Adami; ex Hebræo textu fit indubitatum, esse matris Hevæ; nam in eo est verbum fœmininum ותאמר *Vattomer. Et illa dixit*, non *Vajjomer. Et ille dixit.*

E contra ℣. 17. *Vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.* Cùm in Hebræo sit ויקרא *Vajikra. Et ipse vocavit*, non *Vattikra. Et ipsa vocavit*, patet Caïnum, non uxorem ejus appellasse primam Orbis urbem: *Henochiam.*

Sed ℣. 25. *Vocavitque nomen ejus Seth, dicens.* Hebræum ותקרא *Vattikra*, demonstrat Hevam hîc nominasse filium suum *Seth.* Quod tamen etiam Adamo tribuitur Cap. V. 3. Ubi cùm Vulgata habeat: *Vocavitque nomen ejus Seth.* In Hebræo est verbum masculinum *Vajikra. Et ille vocavit.*

CAPUT VI.

DEus mandat ℣. 16. Noëmo. *Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus.* Cujus? Arcæ? An fenestræ? Arcæ; nam in Hebræo est תכלנה *Techallenna. Consummabis eam* in feminino, adeóque refertur ad femininum תבה *Teba. Arcam*, non ad masculinum צהר *Tsohar. Fenestram.*

Eodem ℣. 16. *Ostium arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea.* Non jungas istud *Deorsum* cum præcedentibus, q. d. *Ostium arcæ pones deorsum ex latere*, seu *ad latus*; neque sumas illud adverbialiter, q. d.

In inferiori Arcæ parte facies cœnacula, prout non rectè sumpsisse videntur Lovanienses: *Nederwaerts suldy daer eetkaemeren, ende drie stagien in maeken.* Item Belgica Antverpiensia anni 1528. *In dat onderste deel suldy eetkameren, ende drie andere kameren maken.* Vox enim *Deorsum* est substantiva, & hic Scripturæ sensus: Facies in Arca tres contignationes, *Infimam*, quam Vulgata vocat: *Deorsum. Mediam*, quæ dicitur in plurali *Cœnacula*, propter multiplices distinctas Mansiunculas, & *Tristega*, hoc est supremū, seu tertium tabulatum. Ita clare Hebræa תחתים שנים ושלשים תעשה *Tachtijim, schenijim, uschlischim taaseha. Inferiora, secunda, & tertia facies eam.* Satis benè hoc expresserunt Dordraceni: *Gy sultse met d'onderste, tweede, ende derde [verdiepingen] maeken.* Ubi Vulgata habet Act. XX. 9. *De tertio cœnaculo*, in Græco est ἀπὸ τοῦ τριστέγου. *de Tristego*, hoc est, de tertiâ contignatione, *Van de derde stagie, ofte versolderinge.*

CAP. VIII. IX.

Amphibologia, quæ est in verbo *Crescite* Cap. VIII. 17. & Cap. IX. 1. 7. Explicata est supra Cap. I. 22.

Cap. IX. 27. *Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.* Tria sunt hîc ambigua. Primum *Cui* Chanaan servus addicatur, Semo, an Japhetho? Utrique si legamus Hebræum textum, saltem modernum, in quo non est: *sitque Chanaan servus* לו *Lo. Ei.* Sed למו *Lamo. Eis.* Nisi forsitan dicatur in plurali *Eis*, intelligendo Japhethi posteros; sicut versu præcedenti etiam illud *Ejus* ad Sem relatum, in Hebræo est למו *Lamo. Eis.* Hoc est posteris Semi. Quapropter omnes reliqui textus habent in singulari *ejus*, vel *ei*, nempè Japhethi, cujus hîc dicitur Chanaan servus futurus, sicuti versu præcedenti dictus est futurus servus Semi; nempè utriusque in posteris eorum.

Alterum dubium est circa istud: *Habitet in tabernaculis Sem*, quod non est intelligendum (ùt fortè alicui videretur) Ipse Sem inhabitet tabernacula, prout inhabitarunt Abraham, Isaac, Jacob Semi nepotes; nam istud *Sem* esse in genitivo, patet ex Hebræo באהלי שם *Be-ohole Sem. In tabernaculis Semi*, non *Be-oholim.*

Sed quis in Semi tabernaculis habitabit? Deusne, an Japheth? Hoc tertium est dubium, manetque etiam in Hebræo ambiguum. Aliqui referunt ad Deum, qui inter Semi posteros per Legem, Templum, Prophetas, Sanctos habitavit, singularissimè verò assumptâ humanitate, ut inde dicatur Joan. I. 14. *Habitavit in nobis.*

Sed cùm Semi benedictio præcesserit, meliùs refertur ad Japheth, cujus posteri in Ecclesia Dei, quam prius incolebant Judæi posteri Semi, his ejectis habitant, & in qua tandem conversis circa finem mundi Judæis, simul morabuntur Semi, & Japhethi posteri. Hinc Hieronymus q. q. Gen.

De

De nobis prophetatur, qui in eruditione, & scientia scripturarum, ejecto Israële versamur.

CAPUT XIV.

Mirum est quòd quidam scriptor ad illa ỷ. 15. *Divisis sociis irruit super eos nocte*, dicat: *De tempore invasionis scriptura non meminit*, utrum scilicet nocte, an verò de die Abraham invaserit hostes, ac si hoc foret ambiguum; cùm *Nocte* habeat non solùm Vulgata, sed etiam LXX. τὴν νύκτα, & ipsa Hebræa לילה *Lajela.*

CAPUT XVII.

Putant aliqui Deum per ista ỷ. 4. *Ego sum, & pactum meum tecum*, Abrahamo indicasse nomen suum essentiale Tetragrammaton יהוה quod significat: *Qui est*, sicuti postea dixit Moysi Exod. III. 14. *Ego sum, qui sum... Qui est, misit me ad vos.* Sed multò verosimilius est, hoc nomen ineffabile, nemini priusquam Moysi fuisse revelatum.

Saltem hîc non indicari Abrahamo istud nomen, patet ex Hebræo, in quo non est nomen illud יהוה imò nec verbum היה *Haja. Est*, vel *sum.* Sed simpliciter אני הנה *Ani hinne. Ego ecce*, seu *Ecce ego*; qualiter etiam omnes alii textus habent, q. d. En ego, qui veracissimus sum, tibi promitto, &c. Corruit proinde totum fundamentum alterius opinionis.

CAPUT XXI.

ỷ. 19. *Deditque puero bibere, & fuit cum eo*, non Agar, sed Deus; etenim nedum in Chaldæo, & Græco, sed etiam in Hebræo est ויהי אלהים את־הנער *Vajhi Elohim eth hannaar. Et fuit Deus cum puero.*

CAPUT XXIV.

Quòd Abraham servo suo dicit ỷ. 3. *Ut adjurem te.* Non significat obtestationem per rem sacram, prout Theologi sumunt *Adjurationem*, & hîc videntur intellexisse LXX. καὶ ἐξορκίζω σε. *Et exorcizabo te.* Sed sumitur hîc pro exactione juramenti; nam in Hebræo est ואשביעך *Veaschbiachu.* Quod magis propriè significat: *Et jurare te faciam.* Idem est ỷ. 37. *Adjuravit me*, aliisque plurimis Scripturæ locis.

ỷ. 24. *Filia sum Bathuelis, filii Melcha, quem peperit ipsi Nachor.* Ne sic intelligas: Nachor illa peperit marito Melchæ; nam *Melcha* mater, seu avia Bathuelis fuit, ejusque maritus Nachor frater Abrahæ. Patetque ex Hebræo Nachor esse in Dativo לנחור *Le-Nachor. Nachori*, seu *ipsi Nachor.* Ita etiam Græca, & Chaldæa.

CAPUT XXV.

ỷ. 25. *Et idcirco appellavit eum Jacob.* Quis *appellavit*? Non enim, nisi valdè remotè, præcessit suppositum ad quod verbum istud referatur, nem-

pè ỷ. 21. *Rebecca*, cui equidem non esse tribuendum suadet Hebræum ויקרא *Vajikra*, quod est masculinum: *Et ille vocavit*, seu *appellavit*, scilicet Isaac pater.

Nisi fortè in Hebræo eædem litteræ sint aliis punctis legendæ: *Vaikkare schemo Jaacob. Et vocatum est nomen ejus Jacob.* Hoc mihi magis fit verosimile, eo quòd de Esau immediatè præcedat: *Vocatumque est nomen ejus Esau.* In Hebræo: *Et vocaverunt*, &c.

CAPUT XXVI.

ESau præter Judith filiam Beëri Hethæi duxit uxorem ỷ. 34. *Basemath filiam Elon ejusdem loci.* Pro illis *ejusdem loci*, in Græco, Chaldæo, Hebræo est חתי *Hhitti*, hoc est *Hethæi*, quod cùm sit masculinum, patet ad *Elon* patrem Basemath referri. Illud ergo *ejusdem loci* significat etiam Elon fuisse Hethæum, non verò quod Basemath, aut Elon fuerint præcisè de eodem loco, in quo tunc habitabant Isaac & Esau.

CAPUT XXXI.

LAban dicit Jacobo ỷ. 28. 29. *Stultè operatus es: & nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum.* Istud: *Et nunc*, potest ita construi: *Et nunc quidem valet*, &c. Imò si sequamur interpunctionem modernam Vulgatæ in qua duo puncta ponuntur post *es*, sic intelligendum est; sed cùm etiam in Vulgata incipiat ỷ. 29. ibi: *Valet manus mea*, &c. subindicatur ante *Valet* absolvi sensum, qualiter reverà finitur, prout fit clarum ex Hebræo textu, qui ita habet: *Nunc stultè egisti faciendo, est in potestate manus meæ*, &c. Interpunctionem Vulgatæ sequuntur Lovan. tam Flandrica: *Gy hebdt dwaeselyck gedaen: ende voorwaer nu is in myne handt*, &c. quàm Gallica: *Tu as follement besongné. Et certainement maintenant ma main te peult rendre le mal.*

CAPUT XXXIV.

VErsu 7. *Eo quod fœdam rem operatus esset in Israël, & violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset.* Numquid etiam Dina violata rem illicitam perpetraverat? Hunc sensum patitur Vulgata, præsertim cum ista: *Violata filia*, non notentur per accentum circumflexum, ut indicetur Ablativus absolutus, quo sensu verè illa sumenda sunt; nam ex Hebræo constat omnia hæc ad *Sichem* referri, non ad *Dinam*. Ita enim habet: *Quia fœditatem fecerat in Israël, ut cubaret cum filia Jacobi.*

CAPUT XXXVI.

VErsu 8. *Habitavitque Esau in monte Seïr, ipse est Edom.* Quis est Edom? Seïr mons? An Esau? Ad Esau referendum esse patet ex Originali textu, qui habet: *Habitavit Esau in monte Seïr*, deinde subdit: עשו הוא אדום *Esau hu Edom. Esau ipse est Edom.*

ỷ. 23. *Aluan.* Non esse nomen trisyllabum *A-lu-an*, aut *Al-u-an*, sed dissyl-

dissyllabum: *Al-van*, patet ex Hebræo אלון

CAPUT XXXVII.

FRatres ℣. 23. *Nudaverunt Josephum tunicâ talari, & polymitâ.* Non ipsum duabus tunicis exuerunt, quod post Rabbinos aliquos, putarunt Lyranus, & Menochius, sed unicam, quæ & *Talaris* erat, hoc est ad talos usque promissa, & *Polymita*, id est ex multis liciis diversicoloribus confecta. Hebræus enim textus unius tantummodò tunicæ meminit, quam hoc versu, & ℣. 3. vocat פסים *Passim*; quamvis hoc versu 23. in Hebræo, sit *Tunica*, *Tunica passim*, sed est, q. d. *Nudaverunt tunicâ, nempè illâ tunicâ passim.*

CAPUT XXXVIII.

JUdas ℣. 2. *Vidit filiam hominis Chananæi, vocabulo Suë.* Ambiguum est an homo iste vocaretur *Suë*, an verò filia ipsius. Filiam ita vocatam fuisse asserunt passim Vulgatæ Codices antiquiores, signanter Lovaniensium, cùm legant ℣. 12. *Mortua est Sua* (sive *Suë* שוע) *uxor Juda.* Nihilominus hoc fuisse nomen istius Chananæi, seu patris uxoris Judæ, manifestat Hebræum שמו *schemo. Nomen ejus* viri, si verò de femina diceretur, haberetur שמה *schemah.*

CAPUT XXXIX.

VErsu 22. *Quidquid fiebat, sub ipso Josepho*, omnium curam habente, *erat* (23.) *Nec noverat aliquid cunctis ei creditis.* Istud *Noverat* non dicitur de Josepho, q. d. Joseph nihil sibi usurpabat; sed de Principe, seu Præfecto carceris, qui nullius curam, aut inspectionem habens, omnia committebat fidelitati Josephi. Constat hoc ex Hebræo: *Et Princeps carceris non respiciens ad aliquid*, &c.

CAPUT XLI.

VAccæ, quas in somno vidit Pharao ℣. 4. *Devoraverunt eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat.* Dubium manet an *devorata*, an *devorantes* dicantur fuisse miræ speciei, & habitudinis. Ambiguitatem omnem tollit Hebræus textus: *Comederunt vaccæ deformes & macilentæ septem vaccas formosas & pingues.*

Pharao dedit Josepho uxorem ℣. 45. *Filiam Putiphare*, qui ex Hebræo videtur alius ab eo, cui venditus refertur Cap. XXXVII. 36. Hic enim scribitur *Potiphar*, *Putiphari eunucho*, Pater autem uxoris Josephi *Potiphera*, addito nimirum in fine ע. Non est tamen hoc certum, quia unum idemque nomen proprium, sæpè litterâ unâ additâ, demptâ, aut mutatâ scribitur variis locis in Hebræo.

CAPUT XLIV.

AMbiguum est, quod de Benjamino dicit Judas ℣. 20. *Ipsum solum habet mater sua.* An scilicet intelligat Rachelem Benjamini matrem, de

de quâ, utpote tunc multis annis mortuâ, videtur incongruè sic locutus. An potiùs intelligat aliam aliquam superstitem, quæ à Juda mater Benjamini vocetur, eo quod nutrix fuerit. Textus Hebræus hâc difficultate caret, habet enim. *Remansit ipse solus* לְאִמּוֹ *Le-immo. Matri suæ*, vel *Matris suæ*, quod etiam de matre mortua rectè dicitur.

CAPUT XLVI.

VErsu 18. *Hi filii Zelphæ... & hos genuit Jacob.* Istud *genuit* ad *Zelpham* referri, ac vocem *Jacob* esse Dativi casûs, patet ex Hebræo וַתֵּלֶד אֶת־אֵלֶּה לְיַעֲקֹב *Vatteled eth elle le-Jaakob. Et ipsa peperit istos Jacobo.* Ita etiam est in Græco. Eodem modo intelligendum, quod dicitur ℣. 22. *Hi filii Rachel, quos genuit Jacob.* Item ℣. 25. *Et hos genuit Jacob.*

Hæc omnia benè translata sunt, & æquivocatio sublata in Editione Gallica Lovaniensium, sed in Flandrica primæ editionis, nempè anni 1548. omnia malè referuntur ad Jacobum ℣. 18. *Ende dese sestien zielen heeft Jacob gewonnen.* ℣. 22. *Welcke Jacob gewonnen heeft.* ℣. 25. *Ende dese heeft Jacob gewonnen.*

In Editione tamen Flandricâ per Theologos Lovanienses revisâ tum anni 1599. tum recentiori 1653. benè correctum est, & mutatum ℣. 18. & 25. *Dese heeftse Jacob gebaert. Istos Jacobo peperit.* Sed cùm eodem modò debuisset mutari ℣. 22. Ibidem (quod miror) retenta est antiqua translatio Flandrica non genuina: *Welcke Jacob gewonnen heeft. Quos ipse Jacob genuit.*

CAPUT XLIX.

JAcob primogenito suo Ruben imprecatur ℣. 4. *Non crescas.* Hoc plerique intelligunt de multitudine posterorum, quo modo interpretati sumus illud Gen. I. 22. *Crescite*, prout etiam Moyses de Tribu Ruben dicit Deuter. XXXIII. 6. *Vivat Ruben, & non moriatur, & sit parvus in numero.*

Hebræus tamen textus alium sensum exhibet, non enim hîc habet verbum פְּרֵה *Phara. Fructificare*, sed אַל־תּוֹתַר *Al-tothar*, quod propriè significat: *Ne fias excellens*, seu: Ne emergas ad illustrem statum. Unde vox יֶתֶר *Jether* ab eodem verbo derivata, habetur bis ℣. præc. ubi Vulgata: *Prior in donu, major in imperio.*

CAPUT L.

VErbum *Adjuro*, quod habetur ℣. 5. 6. 24. Idem est quod juramentum exigo; unde in Hebræo est ℣. 5. *Jurare me fecit.* ℣. 6. *Jurare te fecit.* Vide dicta Cap. XXIV. 3.

℣. 22. *Vidit Ephraïm filios usque ad tertiam generationem.* Non dicitur Ephraïm posteros suos vidisse, sed Josephus, nam in Hebræo est: *Et vidit Joseph Ephraïmi filios*, &c.

EXO-

EXODUS.

CAPUT I. II.

QUidam nobilis præcedentis sæculi Interpres, ad illa ỷ. 22. *In flumen projicite*, notat: *Hebr. Projicite eum, scilicet masculum, nullâ mentione de flumine.* Miror hanc Notam, cùm in Hebræo, fiat expressa *Fluminis* mentio היארה תשליכהו *Hajora thaslichuhu. In flumen projicietis eum.*

Cap. II. 2. *Videns eum elegantem, abscondit.* Hæc & sequentia de matre Moysis dici, non de ejus patre, patet ex Hebræo, in quo ỷ. 2. & 3. omnia verba sunt in feminino genere.

CAPUT III.

MOysi in monte Horeb ỷ. 2. *Apparuit Dominus.* Dubium est an ipse Deus, an Angelus Dei personam gerens? Postremum est multò verosimilius, non solùm propter varia Scripturæ loca, signanter Act. VII. 30. *Apparuit illi Angelus in igne flammæ*, sed etiam, quia expresse hîc est in Chaldæo, Græco, & Hebræo מלאך יהוה *Malach Adonaj. Angelus Domini.*

CAPUT IV.

UXor Moysis *Sephora* ỷ. 25. *tulit acutissimam petram... & ait: sponsus sanguinum tu mihi es.* ỷ. 26. *Et dimisit eum postquam dixerat: sponsus sanguinum.* Quis dimisit, & quem? An Moysen uxor ipsius cum utroque filio revertens in Madian? Ita exponunt Lyranus, & Rupertus. Sed referendum esse ad Angelum, qui circumciso à Sephora Moysis filio, dimisit Moysen, quem prius ỷ. 24. *Occidere volebat*, patet ex Hebræo וירף ממנו *Vaijireph mimmennu. Et ipse recessit ab eo.* Etiam LXX. Regia & Complutensia exprese habent: *Recessit Angelus ab eo.*

CAPUT VI.

QUod Deus dixit Moysi ỷ. 3. *Nomen meum Adonaj non indicavi eis*, non est intelligendum de ipso materiali Hebræo nomine אדני *Adonai*; nam illud nequaquam hîc in Hebræo reperitur, eratque ante Moysis tempora passim in usu, & notitiâ Israëlitarum. Hoc autem loco habetur in Hebræo aliud nomen, pro quo nomen *Adonaj* ex usu antiquissimo Judæorum, Christianorumque in pronuntiatione substituitur, nempè Nomen Dei Tetragrammaton, hoc est quatuor litterarum יהוה quod abusivè nunc solet efferri *Jehova.*

Porrò Nomen hoc ineffabile יהוה non significat speciale aliquod Attributum Divinum, sicut nomina *Adonaj*, *El*, *Elohim*, &c. similia, sed ipsam Divinam Essentiam, nimirum Essentialem Dei existentiam; derivatur autem

autem à Verbo היה *Haja*, vel potius ab הוה *Hava*, quod utrumque significat *Esse*, *Existere*. De quo Nomine latius tractavi in Dictionario meo scripturistico Verbo *Adonaj*.

Porrò hic in Hebræo habetur: *Nomen meum* יהוה *non indicavi eis*.

CAPUT XII.

POstquam hoc Capite Deus pro Paschali victima præscripserat *Agnum*, addit ℣. 5. *Juxta quem ritum tolletis & hædum*. Possent hæc verba ingerere alicui opinionem, quod fuerit duplex victima Paschalis, agniculus videlicet, & hœdulus. Unde reflectendum est Hebræum textum unius tantum meminisse, sed disjunctivè, ita nimirum ut perinde esset sive agniculum sumerent, sive hœdulum. Ita enim habet שה *Se* (hoc est *Pecus*) *perfectum, masculum, filius anni erit vobis: ex agnis, & capris accipietis*. Hoc est: Ex hac, aut ex ista specie. Unde ℣. 2. pro *Agnum*, in Hebræo est שה *Se*, quæ vox significat fœtum tam capræ, quam ovis.

℣. 11. *Est enim Phase (id est Transitus) Domini*. Manet ambiguum an *Transitus*, & consequenter *Phase*, hîc pro *discessu*, an pro *Transultu* sumatur. Cùm autem in Hebræo non sit עבר *Abar*, quod verbum significat simplicem transitum de uno ad alium locum, sed פסח *Phasach*, quod idem valet ac *Transilire*, & quasi *Transaltare*, patet *Transitum* hîc sumi pro *Transultu*, quo de unâ ad aliam Ægyptiorum domum progrediens Angelus, & primogenita percutiens, intermediam Hebræi domum quasi transiliebat, illam immunem intactamque relinquens.

℣. 40. *Habitatio autem filiorum Israël, quâ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Aliqui ex his verbis non ritè intellectis, concluserunt integris 430. annis post adventum Jacob in Ægyptum, posteros ejus in eadem habitasse; sed ut benè reflexit August. lib. 16. de Civ. Dei cap. 24. *Iste numerus in eadem afflictione completus est, non ibi universus peractus, computantur enim ab anno 75. Abræ, quando ad eum facta est prima promissio*, & quo cœpit incolere terram Chanaan. Istud specialiter probat textus Samaritanus, qui est primævus Hebræus: *Habitatio filiorum Israël, & Patrum eorum, quâ habitaverunt ipsi, & patres eorum in terra Chanaan, & in terra Ægypti, fuit 430. annorum*. Ita etiam Græcus LXX. Item textus Chaldaïcus Jerosolymitanus.

℣. 46. *Nec os illius confringetis*. De ossibus loquitur, non de ore; nam in Hebræo est עצם *Etsem*. *Os* ossis.

CAPUT XIII.

PEr illa ℣. 2. *Mea sunt enim omnia*, Deus non vult asserere rerum omnium se esse Dominum, sed tantum, speciali titulo ad se pertinere omnia primogenita mascula Israëlitarum, eo quod ipsis pepercerit percussis primogenitis Ægyptiorum. Vide Numer. III. 13.

Patet

Patet hoc signanter ex Hebræo, in quo tantùm est לי הוא *Li hu. Mihi ipsum*, supple: Competit omne primogenitum, quod ℣. 1. præceperat sibi *sanctificari*.

℣. 3. *Memento diei hujus... quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, ut non comedatis fermentatum panem.* Non sunt hæc ita construenda: *Eduxit ut non comedatis*, &c. sed ita: *Mementote, ut non comedatis.* In Hebræo etenim est: *Memento diei hujus...* ולא *Velo*, aut potius *Vlo. Et non comedetur fermentatum.* S. Hieronymus fortè transtulit *&*, non *ut*.

CAP. XV. XVI.

CAp. XV. 19. *Ingressus est enim eques Pharao... in mare.* Quamvis parum usitatè; in rigore tamen vox *Eques* non solum significat eum, qui jumento insidens vehitur; sed etiam ipsum jumentum, cui insidetur, ut notat Calepinus, constatque ex Virgilio 3. Georg. & refert Aulus Gellius lib. 18. cap. 5. Atque adeò sensu isto hîc sumi debere, patet ex omnibus aliis textibus, qui habent cum Hebræo סוס *Sus. Equus*, singulare pro plurali. Nisi forsitan hoc loco non debeat legi *Eques*, sed *Equus*, de quo libro sequenti. Unde non satis exactè Gallica Lovaniensia: *Car le chevalier Pharao*, &c. Item Flandrica: *want Pharao te peerde*, &c.

Cap. XVI. 1. Venerunt filii *Israël in desertum Sin.* Vel ex solo textu Hebræo, in quo scribitur סין Patet hoc desertum aliud esse ab eo, quo venerunt Numer. XXX. 10. cùm istud scribatur צין

CAPUT XXI.

DEcernitur à pœnâ mortis ℣. 19. *Innocens, qui percusserit* proximum, si is inde non moriatur, *ita tamen ut operas ejus, & impensas in medicos restituat.* Per *operas* non intelliguntur illa, quæ læsus fecit ut sanaretur; sed opera lucrativa, quæ fecisset, si læsus non fuisset: nam in Hebræo est שבתו *Schibetho. Cessationem ejus*, id est lucrum cessans, seu damnum quod incurrit ex eo, quòd tanto tempore ab opere lucrativo cessare debuerit.

℣. 26. *Luscos eos fecerit.* Vulgò, sed abusivè, *Luscus* dicitur, qui cernit in obliquum, Flandricè *Scheel*; sed hîc & alibi in Vulgata sumitur pro unum tantummodo oculum habente, qui etiam transversim cernit. Patet hoc tum ex contextu, tum ex Hebræo ושחתה *Veschichathah*, à verbo *Schacheth*, corrumpere, perdere, dissipare, demoliri: LXX. *Et excæcaverit.*

CAP. XXVIII. XXX.

CAput XXVIII. Deus jubet fieri ℣. 32. *Tunicam.... in cujus medio supra erit capitium*, per quod non intelligitur cucullus, sive capitegium, seu capitis tegumentum, *un chapperon*, ut non benè Lovaniensia Gallica; sed, ùt ritè Belgica: *Een hooft-slippe*, hoc est foramen per quod caput transmittatur, in Hebræo enim est פי ראש *Phi*

Phi rosch. Os capitis. S. Hieron. Epist. 128. *Erat hac tunica in superiori parte, quâ collo inducitur, aperta, quod Capitium dicitur.*

Cap. XXX. 5. *Vestes facies de lignis setim, & inaurabis.* Istud *Inaurabis* hîc, & *Deaurare*, quod alibi sæpiùs occurrit, non designat talem inaurationem, qualis modò adhibetur pingendo, aut etiam metalla inaurando v. g. calices argenteos. Sed in Scriptura *Inaurare*, & *Deaurare*, idem est ac laminis aureis obducere; unde hîc in Hebræo est, *Et teges eos auro.* Sive ùt eadem verba Hebræa Hieronymus transtulit ℣. 3. *Vestiesque illud auro.*

℣. 9. *Non offeretis super eo... oblationem, & victimam.* Non intelligit quamcumque oblationem, quia saltem Thymiama poterat in illo Altari offerri; sed prohibet specialem, nempè illam, quæ fiebat de frumento, farinâ, pane: nam Hebræum מנחה *Mincha* talem oblationem, seu sacrificium farreum significat.

CAP. XXXVII. XXXVIII.

CAp. XXXVII. 1. *Beseleël fecit Arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine.* Non vult indicare Arcam habuisse tantùm duos dimidios cubitos, hoc est unum integrum in longitudine; sed quòd duos & dimidium, ùt clarè exprimunt Hebræa אמתים וחצי ארכו *Ammathajim vachetsi arco. Duo cubiti & dimidium longitudo ejus*, seu *Duorum cubitorum & dimidii in longitudine*, prout eadem Hebræa verba in Vulgata transferuntur ℣. 6.

Cap. XXXVIII. Valdè intricatum est quod dicitur ℣. 25. *Oblatum est autem ab his, qui* &c. Vulgatam solam attendendo videretur *Aurum*, de quo ℣. præc. hîc dici *oblatum ab his* &c. Sed ex Hebræo est manifestum hoc versu agi de aliâ oblatione, nempè quâ quisque de 603550. Hebræis obtulit medium argenti siclum. Ita enim est in Hebræo: *Et argentum recensitorum synagoga centum talenta, & mille, & septingenti, & quinque, & septuaginta sicli, juxta siclum sanctuarii, Beka in quodque caput*, hoc est *dimidium sicli, juxta siclum sanctuarii, à quolibet recensito à viginti annis & supra, sexcentis* scilicet *& tribus millibus quingentis quinquaginta.* Vulgata ambigua est, & involuta, quia primis illis verbis caret.

℣. 29. *Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli.* Videntur hîc dici oblata æris talenta 72000. & sicli 400. hoc est sicli 216000400. seu præter siclos 400. Romanæ libræ 9000000. id est novem milliones. Ita intellexerunt translatores Lovanienses tam Flandri: *Twee-en-seventigh duysent talenten*, quàm Galli, *Septante-deux mille talentz d'arain.* Porrò tantum æris oblatum fuisse prorsus est incredibile, cùm ejus vigesima pars, nempè 3600. talenta, abundantissimè suffecerit ad omnia necessaria in Tabernaculo ex ære fabricanda, nam Talenta 3600. sunt libræ 450000.

Hinc aliqui ita sumunt Vulgatam, ut

ut oblata dicat Talenta 70. ſiclos autem 2400. ſed hæc æris quantitas minimè ſufficiebat vel pro ſolis 60. columnis in atrio locandis. Inſuper incredibile eſt minus æris oblatum fuiſſe, quàm argenti; hoc autem ſuperavit 100. Talenta, ùt patet ex ℣. 27. Obſtat inſuper huic explicationi illud Vulgatæ *Duo millia*, hoc enim non poteſt conjungi cum maſculino *Sicli*.

Textus Hebræus tollit utrumque inconveniens, & mediâ incedit viâ, habet enim: *Æs oblatum ſeptuaginta Talenta, & bis mille, & quadringenti ſicli.* Ubi clarum eſt excludi primum ſenſum de 72000. Talentis. Illud verò ואלפים *Ve alpajim. Et bis mille* jungendum eſſe Talentis, non ſiclis, convincunt circumſtantiæ, quia aliàs fuiſſet nimis parum æris, ùt diximus. Remanet igitur hic ſenſus: Oblata ſunt æris Talenta 2070. & ſicli 400. Hoc eſt libræ 258766$\frac{2}{3}$. ſive ſicli 6210400.

LEVITICUS.

CAPUT I. II.

LOquere filius Iſraël, & dices ad eos. ℣. 2. A duobus ſæculis notavit Magdalius Gaudanus: *Hic* loquere *eſt Imperativi modi præſentis temporis, non futuri, licet aliquibus videri poſſit contrarium, propter verbum medianie hâc copulativâ* Et, *immediatè adjectum.* Nempè: *Et dices.* Patet ex Hebræo in quo eſt דבר *Dabber. Loquere* in Imperativo, non תדבר *Tedabber. Loquèris*, ſeu *Loquère* in futuro. Idem ſæpius occurrit in hoc libro.

Cap. II. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificii.* Hoc ℣. 1. prout etiam ℣. 13. vox *ſacrificium* non ſumitur in tota ſua latitudine; ſed pro ſpeciali de frumento, quod in Hebræo vocatur מנחה *Mincha.* Vide dicta Exod. XXX. 9.

℣. 11. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermento fiet.* Iterum in Hebræo eſt *Mincha*; unde non intelligitur oblatio quæcumque, ſed tantum omne ſacrificium de frumento: ac proinde patet quomodo huic loco non ſit contrarium, quod Cap. VII. 13. præcipiantur offerri *Panes fermentati*, quia hi non offerebantur in ſacrificium.

CAP. III. IV. V.

AMbiguum eſt quod dicitur Cap. III. 10. *Offerent.... pinguedinem, quæ operit ventrem, atque univerſa vitalia.* An ſcilicet omnia vitalia offerenda? An tantum omnis pinguedo operiens vitalia? Poſtremum declarat Hebræus textus, quia habet: Pinguedinem quæ *ſuper* ventrem, & *ſuper* vitalia: unde eadem verba Hebræa, quæ hîc habentur, transferuntur ℣. 14. *Et qui tegit univerſa vitalia.*

Idem dicendum circa Cap. IV. 8. *Adipem.... tam eum, qui vitalia operit* quam

quam omnia, quæ intrinsecus sunt. Nam ex Hebræo constat non omnia interiora animalis fuisse adolenda, sed omnem adipem seu pinguedinem interiora ambientem.

Cap. V. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato*: Quam? Hebræus textus illam specificat והתודה אשר חטא *Vehithvadda ascher chata. Confiteatur quod peccavit.* Unde idem verbum והתודו *Vehithvaddu* vertitur *Confitebuntur* Numer. V. 7.

CAP. VI. VII. X.

QUæ Cap. VI. 14. & Cap. VII. 29. *Libamenta* vocantur, non dicuntur à *Libando*, sicuti vinum libatur in sacrificio, quod putarunt Lovanienses Galli: *Oblations de liqueur.* Flandri: *Dranck-offeren.* Sed à voce *Libum*; idque omnibus locis, in quibus hæc vox habetur in Vulgata, exceptis Num. XV. 7. & Num. XXVIII. 8. 14. 15. Quibus locis *Libamentum* sumitur pro *Libamine*, ibi enim est in Hebræo נסך *Nesech. Fusio.* At Cap. VI. 14. pro illis *sacrificii, & libamentorum*, unica est in Hebræo vox מנחה *Mincha.* Vide dicta Levit. II.

Cap. VII. 37. *Ista est lex holocausti, & sacrificii pro peccato.* Pronum est hæc verba de duobus tantum sacrificiorum generibus accipere, nempè pro Holocausto, & Propitiatorio, præsertim cùm (etiam in recentioribus Bibliis) post *sacrificii* non sit comma, seu interpunctio. Sed ex Hebræo patet hîc designari tres diversas sacrificiorũ species לעלה למנחה ולחטאת *Laola, lamincha, ve-lachattath. Pro Holocausto, pro Mincha, & pro Propitiatorio.* Porrò *Mincha* designare speciale sacrificium, nempè farreum, jam diximus aliquoties. Vide quæ de hoc loco dicuntur libro sequenti.

Cap. X. 12. *Tollite sacrificium.* Iterum in Hebræo *Mincha.*

CAP. XII. XV.

CAp. XII. 6. *Cùmque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum.* Illa *pro filio, sive pro filia*, jungenda sunt præcedentibus, q. d. Cum puerpera expleverit tempus, quo segregari debet, determinatum respectivè quando pepererit filium, vel filiam, tunc pro se deferet agnum &c. *Ipsa* enim purificanda erat, non proles, pro *Ipsa* Sacerdos orabat, ut mundaretur, prout in Hebræo, Chaldæo, Græco, Latino *Pro ea* habetur ℣. 7. & 8.

Imò nec proles adesse debebat, neque ceremonia omitti quamvis proles mortua fuisset. Proinde non placet translatio Lovaniensis Gallica: *Et quand les jours de sa purification seront accomplis, elle apportera pour le filz, ou pour la fille un aigneau.* Rectiùs Flandrica: *Ende als de dagben haerder suyveringe volcynt syn, 't sy voor sone, ofte voor dochter, soo sal sy &c.*

Hic sensus, inquit Jansenius Iprensis, *clarè ex Hebræo colligitur, tametsi Augustinus q. 40. magis putet pro prole fuisse sacrificium oblatum.* In Hebræo quidem non est expressè Præpositio על *Al*, vel

vel בעד *Beadi*, id est *Pro*; sed simplex articulus ל *L*, qui valet Dativum, æquè ac Genitivum, est enim לבן או לבת *Leben, o lebath. Filio, vel filiæ*, aut: *Filii, vel filiæ*. Non tamen, tam *clarè*, quàm prætendit Jansenius ex his Hebræis verbis *colligitur* primus ille sensus, quia articulus ille ל *L* sæpè etiam valet *Pro*.

Cap. XV. Signum Gonorrhæi datur ℣. 3. *Cùm per singula momenta adhæserit carni ejus, atque concreverit fœdus humor*. Hæc non ita intelligas: Cùm continuò adhæserit concretus humor, sed duplex signum datur, ita ut ex duplici capite quis dignosci possit Gonorrhæus, nempè si vel continuò stillet, vel si absque distillatione coaguletur fœdus humor. Etenim in Hebræo est per disjunctivam או *O*, id est *vel*; atque adeò illud *atque*, est disjunctivè explicandum.

CAP. XXII. XXIII.

CAp. XXII. 4. *Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egreditur &c.* Duo sunt hìc ambigua, Primum, an casus sit de tangente hominem immundum super mortuo, an verò de tangente quamcumque rem factam immundam ex eo quòd esset in loco, in quo quis moriebatur, juxta legem Numer. XIX. signanter ℣. 22. Hebræa indicant secundum sensum, cùm habeant נגע בכל־טמא *Nogèa becol teme*. Quod magis propriè vertas: *Tangens omne immundum*, nam si intelligeretur omnis homo immundus, adderetur in Hebræo אדם *Adam. Tangens omnem hominem immundum*. Vel *Omnem immundum tam masculum, quam feminam*, ùt Num. V. 2.

Secundum dubium est an illa. *Et ex quo egreditur*, sint ita exponenda: *Qui tetigerit etiam illum ex quo egreditur*. An vero ita: *Atque etiam ille, ex quo egreditur*. Postremum sensum genuinum esse patet ex Hebræo, in quo non est Accusativus את־איש *Ethisch*, vel באיש *Baisch. Virum*; sed Nominativus איש *Isch. Vir*, ita: *Vel vir ex quo egreditur*. Ita etiam LXX. ἢ ἄνθρωπος ᾧ ἂν ἐξέλθῃ. *Vel homo cui egreditur* &c. Ambiguitas utraque benè sublata est in Bibliis Loveniens. tam Flandricis, quam Gallicis.

Cap. XXIII. 38. *Exceptis Sabbatis Domini*. Non ita intelligas, quasi illa, quæ specificat, seu excipit, non forent tunc offerenda; sed quòd illa etiam essent offerenda, seu non omittenda propter alia præscripta illo die sacrificia. Siquidem in Hebræo est מלבד *Millebar. Præter*. LXX. πλὴν τῶν Σαββάτων. *Pleen* autem junctum Genitivo, ùt hìc fit, valet. *Quin etiam, Insuper*. Eadem observanda sunt circa illud Cap. IX. 17. *Absque ceremoniis holocausti matutini*. Item Num. V. 8. *Excepto ariete*. Num. VI. 21. *Exceptis his* &c.

CAPUT XXIV.

VErs. 21. *Qui percusserit hominem punietur*. Non intelligitur quævis percussio, nec quævis punitio proportionata, nam de his ordinatum fuerat ℣. 19. Agitur enim hìc de percussione occisiva, & pœnâ mortis: unde LXX.

Qui

Qui percusserit hominem, & mortuus fuerit, morte moriatur. In Hebræo autem est: *Percutiens hominem interficietur.*

CAPUT XXVII.

VErs. 20. *Sin autem noluerit redimere agrum, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit.* Non est iste sensus: nemo poterit redimere præter *eum*, qui agrum istum Deo devoverat. Sed hic: Deinceps *eum* agrum, ille qui ipsum Deo voverat redimere nequibit. Nam pro illis: *ultra eum*, &c. In Hebræo tantum est: *Non redimetur amplius.*

℣. 28. *Omne, quod Domino consecratur.* Hic, & ℣. seqq. *Consecratio* non intelligitur quælibet oblatio, aut etiam votum; sed speciale votum *Horma*, seu חרם *Herem* (ùt hic in Hebræo habetur) quo res inanimis, aut etiam animal totaliter, & irrevocabiliter Deo offerebatur, quod Græcâ voce dicimus ἀνάθεμα.

NUMERI.

CAP. IV. VI. X.

CAp. IV. 13. *Altare mundabunt cinere*, Non præcipitur Sacerdotibus, ut cinere adhibito altare mundent, prout adhibito cinere, & aquâ benedictâ nunc reconciliantur Ecclesiæ pollutæ; sed mandatur eis, ut omnes cineres ab Altari removeant; etenim in Hebræo est ודשנו *Vedisschenu. Et à cinere mundabunt*, seu *Cineres removebunt*, ùt etiam omnes alii textus habent.

Cap. VI. In Vulgata manet ambiguum, quod dicitur ℣. 19. *Armum coctum*, nimirum an assatum, an elixum; sed Hebræus textus determinat; habet enim בשלה *Beschela. Elixum.* Hoc etiam significat Græcum ἑφθόν, quod hic habent LXX.

Cap. X. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.* Hæc primo intuitu unum tantummodò harum tubarum usum in his verbis indicant, cùm tamen duplicem fuisse constet tum ex aliis textibus, tum signanter ex Hebræo in quo est: *Ad convocationem cœtus, & ad proficisci faciendum castra.* Hoc duplex officium etiam indicant verba sequentia in hoc Capite. Vulgata involuta est & ambigua, quia in ea modo deest conjunctio illa *Et*, unà cum interpunctione, seu commate ante vocem *Quando.*

CAP. XIII. XIV.

ILlud ℣. 22. *A deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath.* La Haye post Lyranum explicat: *Quà intratur, & itur in Emath.* Sed cùm in Hebræo sit: *Ascenderunt & exploraverunt terram à deserto Sin* צן *usque ad Rohob* לבא חמת *Lebo Emath. Ingrediendo Emath*, Censeo istud Vulgatæ: *Intrantibus Emath*, refe-

referendum esse ad exploratores, nimirum quòd explorationem Chananææ inceperint *Ingrediendo*, seu *intrantibus* illis *Emath*; hoc est incipiendo à parte terræ Chanaan Septentrionali, ubi erat civitas *Emath*. Confirmatur id ipsum per hoc, quod sequitur ℣. 23. *Ascenderuntque ad Meridiem*, nempè ingressi ab Aquilonari plagâ.

Cap. XIV. 22. *Omnes homines qui viderunt majestatem meam*. Non indicatur eos vidisse Deum, aut Angelum personam Dei repræsentantem in assumpto corpore majestuoso; sed tantùm quòd majestuosa Dei opera conspexerint, nam in Hebræo, Chaldæo, Græco est: *Gloriam meam*.

CAPUT XV.

℣. 4. 5. 6. *Decimam partem Ephi.... Dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos & arietes erit sacrificium simila duarum decimarum*, &c. Quantitas similæ, vini, olei præscripta immolationi victimæ ℣. 4. & 5. non determinatur ad aliquam specialem victimam, si attendas punctum illud, ibidem notatum post ly *Victimam*. Si autem omisso puncto illo, attendas ad finem versus 5. ita: *Dabit in Holocaustum, sive in victimam per agnos singulos*; atque ita absolvas sensum, tunc sequitur quantitatem similæ, vini, olei ℣. 4. & 5. determinatam, præscribi pro sacrificio singulorum agnorum, sicuti statim major quantitas designatur pro victima arietum, & adhuc major pro sacrificio boum. Quodnam horum intelligendum?

Nedum circumstantiæ hujus Capitis, & Num. XXVIII. (quo loco eadem materia tractatur) sed etiam Chaldæus, Græcus, Hebræus textus clamant quantitatem determinatam ℣. 4. & 5. esse pro victima singulorum agnorum. Ita enim est in Hebræo, & hoc modo textus ille interpungitur: *Simila decimam... facies in holocaustum, vel in victimam agno uni. Vel pro ariete facies* &c. Ubi punctum est, & finis sensûs, ac versûs quinti post *uni*, hoc est *Cuilibet*, seu *Per agnos singulos*. Unde textus Vulgatæ legendus & intelligendus est hoc modo: *Dabunt in holocaustum, sive in victimam per agnos singulos. Et* per singulos *arietes erit sacrificium*, &c. Vide quæ circa hunc locum Deo dante notabimus libro sequenti, de dubiis Vulgatæ lectionibus.

CAPUT XVIII.

℣. 9. *Omnis oblatio, & sacrificium*. Iterum *Sacrificium* speciale *Mincha*, seu de frumento, intelligi, patet ex Hebræo. Nota jam sæpiùs dicta de hac voce.

℣. 22. *Nec committant peccatum mortiferum*. Peccatum mortale, seu *Mortiferum* modò vocant Christiani, quod præsentem mortem animæ adfert; sed hoc loco non videtur agi de morte animæ, sed de corporis tantum; Unde II. Reg. VI. Oza incurrit mortem corporis, atque adeò commisit tale *peccatum mortiferum*, quale hìc cavendum monet Scriptura; quamvis juxta multos ipsius peccatum tantum fuerit veniale,

quale etiam fortè fuit peccatum Nadab & Abiu, Levit. X. In Hebræo habetur למות *Lamuth. Ad moriendum*, seu *Quo moriantur*, utique corporaliter. Nota hujus Capitis ỳ. 3. Hinc non adeò genuinè Biblia Lovan. Gallica: *Peché mortel*. & Flandrica: *Doodtsonde*.

CAPUT XIX.

DEcernitur ỳ. 14. *Universa vasa quæ ibi sunt*, ubi quispiam moritur, *polluta erunt septem diebus*. Quæritur an per *universa vasa* hîc more Scripturæ intelligatur tota supellex, an tantùm *Vasa* propriè dicta, seu quæ apta sunt continere liquorem, ùt dolia, pocula, &c? Hoc sensu sumi, videtur insinuare illud quod sequitur ỳ. 15. *Vas, quod non habuerit operculum.*

Dico tamen hìc intelligi *Cunctam supellectilem*, quæ juxta ỳ. 18. fiebat immunda. Hoc clarè patet ex Hebræo, in quo non est hîc, seu ỳ. 14. *Vas*, aut Hebræum כלי *Cli*, sed universaliter וכל־אשר באהל *Vecol ascher baohel. Et omne quod in tabernaculo*, supple: *fuerit*, dum in illo moritur homo aliquis.

Quod verò dicitur ỳ. 15. *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Non ita intelligas, quasi omne dolium, poculum, aut similia, si operculo carebant, apud Judæos fuerint immunda, atque adeò hîc præcipi, ut omne vas habeat operculum; sed restrictè sunt hæc intelligenda, nempè in casu mortis hominis. Hoc clarè patet ex Hebræo, in quo est continuatio cum versu præcedenti: *Et omne vas* פתוח *Pathuach, apertum... immundum erit* moriente homine in illa domo; nempè liquor in vase aperto contentus; non verò iste, qui continetur in vase clauso.

CAPUT XX.

VEneruntque filii Israël... in desertum Sin. Fuisse hoc aliud à Deserto *Sin*, in quo datum Manna Exod. XV. 1. probat Hieron. Epist. 127. Mans. 33. *Sciendum quòd prior per* ס *Samech litteram scribatur* סין *interpreturque Rubus, sive Odium. Hæc autem* צין *per* צ *& vertitur in Mandatum.*

ỳ. 22. *Venerunt in montem Hor.* Quamvis solummodò spectent significatum nominis hujus montis *Hor*; tamen quia manifestant utilitatem textûs originalis pro elucidandis ambiguis translationum vocibus, merentur hîc adferri verba S. Hieronymi Epist. 127. Mans. 34. *Trigesima quarta Mansio est Hor, quam plerique interpretantur Lumen, nec errarent, si per* א *Aleph litteram scriberetur* אור. *Alii Pellem, & ipsi verum dicerent, si esset* ע *Ajin positum* עור *Nonnulli Foramen, quod posset accipi si* ח *Hheth haberet elementum* חור *Cùm autem legatur* הור *per* ה *magis Mons intelligitur*, ita Antonomasticè dictus. En quatuor verba diversæ significationis, & figuræ, seu litterarum in Hebræo, quæ in Latino uno eodemque charactere scribuntur *Or*, vel *Hor* הור חור עור אור

CAPUT XXI.

ỳ. 16. *Ex eo loco apparuit puteus.* Hæc non ita sumenda, quasi ex loco ad

ad quem ℣. 13. Hebræi venisse dicuntur, viderint istum puteum, seu ipsis ille apparuerit; sed hic est sensus: *Ex eo loco* digressis ad aliam stationem, *apparuit puteus*. Hebræa siquidem habent: מִשָּׁם בְּאֵרָה *Misscham beera. Inde ad puteum*, supple: *sunt profecti*.

℣. 32. *Misitque Moyses qui explorarent Jazer: cujus ceperunt viculos, & possederunt habitatores.* Videri posset quòd vox *Habitatores* sit in Nominativo casu; nempè Israëlitas captam urbem Jazer cum viculis adjacentibus possedisse, & inhabitasse, præsertim cùm *Habitatores* priores, nempè Regis Sehon subditos, possidere non potuerint; sed omnes omninò exterminaverint.

Attamen illud *Habitatores* esse Accusativum, est evidens ex Hebræo: *Vajjiras eth ha-Emorhi, ascher scham. Et posséderunt* (aut *Expulerunt*) *Amorrhæum, qui ibi*, supple: *Habitabat*.

Porrò notandum variam hîc esse lectionem in Hebræis codicibus quoad verbum ירש *Jaras*, nam modò quidem est in textu sicut expressi ויירש *Vajjiras* in conjugatione Hebræis dictâ *Kal*: Tunc autem significat *Et possedit*, nempè populus Hebræus *Amorrhæum, qui ibi*, nimirum ipsum subjugando, & occidendo, omniaque quæ illius erant sibi usurpando. Hanc textûs lectionem secutus est Hieronymus. Ad marginem tamen textûs Hebraïci notant Masorethæ, seu Rabbini antiquiores, alios Codices Hebræos habere in conjugatione *Hiphil* ויורש *Vajjores*, quod significat: *Et expulit* Amorrhæum ibidem habitantem. Hanc lectionem omnes penè aliæ translationes sequuntur, signanter LXX. καὶ ἐξέβαλον τὸν Ἀμορραῖον. *Et ejecerunt*, seu *expulerunt Amorrhæum*. Eandem lectionem etiam præferunt Rabbini ad marginem monentes, quòd etsi in textu scribatur ויירש *Vajjiras. Et possedit*; tamen legendum sit ויורש *Vajjores. Et expulit*.

CAPUT XXII.

Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam. ℣. 22. Præpositio *Contra* non hîc importat Angelum stetisse *Ante*, seu *E regione* Balaam, neque illo sensu transfertur in ullo textu, idque meritò; non enim habetur in Hebræo *Lipne. Ante*, vel *Leümmath. E regione*; sed לְשָׂטָן לוֹ *Le-satan lo.* hoc est *In Satan ipsi* Balaamo, sive *In adversarium illi*, ùt transfert Pagninus, aut cum Chaldæo: *Ut adversaretur illi*, qualiter idem verbum *Le-satan* vertitur in Vulgata ℣. 32. *Ut adversarer tibi.* LXX. transtulerunt Ἐνδιαβάλλειν αὐτόν. *Trajicere eum*, hoc est *Ad trajiciendum eum* stricto suo gladio. Græcum hoc verbum etiam transferri posset, imò passim transfertur: *Ut calumniaretur*, seu *Convitiaretur ei*, nempè ut Balaamum reprehenderet, & argueret de sua nequitia.

CAPUT XXIV.

Vers. 8. *Devorabunt gentes hostes illius.* Hoc est valdè ambiguum: Num scilicet *gentes* quædam, *hostes*, seu inimicos Israëlitarum *devorabunt*.

bunt. Hic ſenſus exprimitur in Lovanienſibus Flandricis: *De heydenen ſullen ſyn vyanden verſlinden*: Imò attento iſto: *Illius*, allegatus ſenſus videtur planior; non eſt tamen verior; nam in Hebræo eſt יאכל גוים צריו *Jochal gojim tſarau. Comedet populos inimicos ſuos*, nempè Gens Iſraëlitica.

℣. 14. *Dabo* tibi *conſilium*, *quid populus tuus populo huic faciat in extremo tempore.* Non quid ultimis mundi temporibus (nam paucis poſtea diebus hoc conſilium eſt executioni mandatum) ſed quid poſtea, ſeu in fine meæ apud te præſentiæ. Hoc colligitur ex Hebræo, in quo eſt: *Beacharith hajjamim. In poſteriori dierum*, ſeu (ùt Phraſim hanc Hebræam quoad ſenſum Latinè reddamus) *Sequentibus diebus.*

CAPUT XXVII.

STatuitur ℣. 21. *Pro hoc* Joſuë, *ſi quid agendum erit*, *Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe*, *& omnes filii Iſraël cum eo.* Non omninò liquet an Eleazaro, & populo ſit egrediendum & ingrediendum, hoc eſt, an ſua negotia peragere debeant ad verbum Joſuë, an potius mandet Deus, ut ad verbum Eleazari, Joſuë populuſque ſua peragant magni momenti negotia. Denique an *Ejus* non referatur ad Deum, *Ipſe* verò ad Joſuam. Ita teſte Ludovico Capello Interpretatur Junius Hæreticus, ut ſit hic ſenſus: Ad mandatum Dei tum Joſuë, tum populus univerſus debet eſſe paratus, ut quidquid Deus juſſerit, id exequantur. Ipſe autem Capellus hîc in Notis Criticis, abſque ulla probatione, quaſi ex tripode definit. *Ad mandatum Joſuæ*, *ipſe Eleazar ſummus ſacerdos egredietur* &c. *Quod obſervandum*, inquit, *adverſus Pontificios*, *qui Reges volunt Pontifici Romano ſubjici*, *non verò ipſum Regibus*, *cùm Deus hîc contra præcipiat ſummum Pontificem Judæorum Principi populi Judaïci parêre*, *atque ſubjici.* Sed fallit hic Hæreticus, & fallitur.

Quem ut confundamus, notandum in Hebræo eſſe: *Et interrogabit* Eleazar *pro eo* (utique pro Joſuë) *in judicio urim coram Domino. Ad os ejus* (hoc eſt ad ejus verbum, ſeu inſtructionem) *egredientur*, *& ad os ejus ingredientur ipſe*, *& omnes filii Iſraël cum eo*, *& omnis congregatio.*

Ubi nota illud: *In judicio Urim*, idem eſſe ac *ſecundum ritum*, ut vertunt Tigurina, ſeu *Per Urim & Thummim*, quomodò in rebus gravioris momenti per ſummum Sacerdotem petebantur à Deo oracula, & paſſim dabantur: nam *Miſphat. Judicium*, Hebræis ſæpè ſignificare modum & rationem agendi, uſum atque conſuetudinem, non malè hoc loco obſervavit idem Capellus.

Porrò quis non videat Hebræum textum non innuere, quod Capellus tam præfidenter aſſerit, ſed potiùs ſubjicere Joſuam totumque populum Inſtructioni Divinæ, ſibi per Eleazarum relatæ? Imò quamvis Hebræus textus aliqualiter ambiguus eſſe videatur; tamen Chaldæus textus hîc clariſſimus eſt, ita enim habet: *Interrogabit pro ipſo per Urim coram Domino. Juxta ſermonem Eleazari Sacerdotis exibunt in aciem belli*,

li, & juxta sermonem ejus ingredientur ad judicandum judicium, ipse, & omnes filii Israël, &c.

Hunc esse legitimum sensum, clarè colligitur ex textu. Nam si Eleazar debet petere Oraculum à Domino, & hoc Domini verbum sive Oraculum ad Josuë referre, sive ipsi resolutionem Divinam indicare; liquet profectò illud: *Ad os ejus*, seu *Verbum ejus* referre Eleazarum, & sensum esse: Ad verbum Eleazari, quod ei à Deo consulto revelatum fuerit, ut indicet illud ipsi Josuæ & populo, Josuë populusque se conformabunt.

CAP. XXVIII. XXIX.

CAp. XXVIII. 15. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.* Numquid hircus tunc offerendus *in holocaustum pro peccatis?* Essentialiter differebant sacrificia pro peccatis, & holocausta. An igitur Hircus offerendus *in*, seu *præter* aliud *holocaustum sempiternum*, hoc est præter illud, quod indies erat offerendum?

Hic est genuinus sensus, quem patenter exhibent omnes alii Textus, signanter Chaldæus, Græcus, Hebræus: *Et hircus unus in hostiam pro peccato ipsi Domino* על *Al. Cum*, sive *super*, vel *præter juge sacrificium.* Hoc est hircus ille offerendus est, & insuper juge sacrificium duorum agnorum, quorum unus cum libamentis suis mane ante omnia, alter vesperi post universa sacrificia singulis diebus offerri debebant. Pro ambiguitate, imò malo intellectu cavendo, præstaret in Vulgata pro *In*, legi *Insuper*, & ante hanc vocem congruè poneretur aliqua interpunctio.

Cap. XXIX. 16. 19. 25. 28. 31. 34. 38. *Absque holocausto sempiterno.* Hoc non est *Sine holocausto*, seu *Holocausto omisso*; sed *Præter*, ut eadem vox מלבד *Millebad* transfertur ℣. 6. & alibi frequenter; hoc est: Propter ista particularia sacrificia non est omittendum Sacrificium juge, sed illud etiam offerendum est.

℣. 11. & signanter 39. *In sacrificio, in libamine.* Per *Sacrificium* hîc non intelligitur quodcumque, nec per *Libamen* sacrificium de frumento; sed ùt in Hebræo est: *Et in Minchis vestris*, seu sacrificiis de frumento, *& in sacrificiis liquidis vestris.* Hoc est in illis, quæ libando fiunt.

CAP. XXXIII. XXXIV. XXXVI.

VAsti deserti in quo per 40. annos vagati sunt Israëlitæ diversa loca sunt ℣. 11. *Sin* סין & ℣. 36. צין Posterior locus etiam intelligitur Cap. XXXIV. 3. *A solitudine Sin*, nam ibi est in Hebræo צין non סין Vide dicta superius ad Cap. XX. 1.

Cap. XXXIV. 15. *Duæ semis Tribus.* Hoc est Duæ Tribus cum dimidia, nempè integra Tribus Ruben, totaque Tribus Gad, ac dimidia Tribus Manasse. Siquidem in Hebræo est: *Duæ Tribus, & dimidia Tribus.*

Cap. XXXVI. 8. *Cuncta feminæ de eadem Tribu maritos accipient.* Debebantne omnes omninò filiæ nubere viris

ris Tribus suæ propriæ? An verò, juxta id, quod circumstantiæ insinuant, fuit hæc lex pro solis filiabus heredibus, seu quæ fratribus carebant? Postremum clarè docet textus Hebræus, qui habet: *Omnis filia hereditans hereditatem de Tribubus filiorum Israël, uni de familia Tribus patris sui erit in uxorem.* Conformiter intelligendus est ℣. 7. *Omnes viri ducent uxores*, quando hæ heredes sunt, quæ sint *de Tribu & cognatione sua.*

DEUTERONOMIUM.

CAPUT I. III. IV.

ALiquis fortè dubitaret, an illud I. 44. *Amorrhæus... cecidit de Seïr usque Horma*, derivetur à *Cado*, an à *Cædo*? Omne dubium tollit textus Hebræus ויכתו *Vajjacthu. Contuderunt.* LXX. *Vulneraverunt vos* Amorrhæi, de Seïr usque Horma vos persequentes.

Cap. III. 11. *Solus Og restiterat de stirpe gigantum.* Ambiguum est an à *Resistere* dicatur, an à *Restare.* Si à *Restare*; quomodo ipse solus supererat? cùm in Hebron essent eo tempore gigantes, ùt patet Num. XIII. 23. 34. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Hos postea delevit Caleb. Jos. XV. 14. Judic. I. 20.

Difficultatem amovet textus Hebræus: *Tantummodò Og Rex Basan remanserat de residuo Raphaïm.* Moyses igitur non dicit solum *Og* tunc superfuisse de cunctis gigantibus, sed de stirpe *Raphaïm*, idque in ista terra, trans Jordanem, quæ Abrahami tempore illis repleta erat Gen. XIV. 5. XV. 20. Etenim adhuc temporibus Davidis, *Goliat* aliique Gigantes de genere *Rapha*, seu *Raphaïm* erant in terra Philistiim.

Cap. IV. Penè semper in Scriptura *Virtus* sumitur non pro eâ, quæ vitio morali opponitur, & à quâ quis dicitur *Virtuosus*, ùt *Castus*, *Justus*, *Humilis*; sed pro Robore, Potentia, Viribus. Non *Deught*, sed *Kracht*. Istud signanter patet hîc ℣. 37. *Eduxitque te præcedens in virtute suâ magnâ.* Hebr. *Becocho*; est autem כוח *Choach: Potentia, Robur, Fortitudo.* LXX. *In fortitudine.*

℣. 48. *Usque ad montem Sion.* Non frustra additur: *Qui est & Hermon*; nam hîc non agitur de monte *Sion*, qui erat in Jerusalem, sed de alio, qui erat terminus Borealis totius terræ promissæ, alio nomine dictus *Hermon.* Hic scribitur שיאן Jerosolymitanus verò ציון

CAP. V. VI.

V. 33. *Ut.... protelentur* (vel, ùt quidam codices, *Proteletis*) *dies.* Apud Auctores profanos *Protelare* est procul pellere, longè abigere, quo sensu hîc non sumi, sed q. d. In longum extendantur, patet ex Hebræo הארכתם *Haarachtem. Longos faciatis.* LXX. *Ut longorum dierum sitis.*

Cap.

Cap. VI. 4. *Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Hæc Alexander Papa, Augustinus, Anselmus, Idacius, Gregorius Nyssenus, aliique pro mysterio SS. Trinitatis adferunt, quod tamen in nuda littera non tam peremptoriè fundatum videtur, ut inde convinci possent Judæi, aliique negantes SS. Trinitatem. Nam in Hebræo est יהוה אלהינו יהוה אחד *Adonaj elohenu Adonaj echad.* Quorum verborum hic videtur obvius sensus: יהוה *Adonaj*, sive *Jehova* (ùt juxta dicta Exod. VI. 3. quidam hoc nomen essentiale Dei abusivè proferunt, & hîc pro clariori intellectu hujus loci pono) *qui Deus noster est, est Jehova unus*, seu solus, & unicus, ac verus Deus.

Numquid Judæis præceptum erat de Lege somniare, cùm dicatur ℣. 7. *Meditaberis* de illa *dormiens atque consurgens*? Hebræum בשכבך *Beschochbecha* significat etiam: *In cubando te*, seu Quando cubas in lecto tuo, ut dormias, aut quiescas. Hinc eadem verba Hebræa, quæ hîc habentur, sunt translata Cap. IX. 19. *Quando accubueris, atque surrexeris.*

CAP. IX. XIII.

TOtum populum alloquens Moyses dicit ℣. 2. *Filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.* Nemo superstes præter Caleb & Josue viderant Gigantes illos in Hebron Num. XIII. Neque ullus eos *audiverat*; an ergo istud *Audisti* non refertur ad sequentia: *Quibus* &c? Hebræus textus ambiguitate caret, non enim habet ראית *Raitha. Vidisti* oculis, sed ידעת *Jadatha. Nosti.* Istud autem *Audisti* non refert ad præcedentia, sed ad sequentia, sic enim habet: *Filios Enakim, quos tu nosti, & tu audisti: Quis stabit contra filios Enak?* Ita etiam LXX. *Filios Enak, quos tu scis, & tu audisti: Quis resistet contra faciem filiorum Enak?* Eos enim describi, & talia dici audiverant ab Exploratoribus Num. XIII.

℣. 10. *Quando concio populi congregata est.* Non est hîc *Concio* sermo habitus coram populo, sed ipse *Cætus* populi; nam in Hebræo non est aliud, quàm: *In die Ecclesiæ*, seu *Congregationis.* Idem notandum Cap. XVIII. 16.

Cap. XIII. 13. *Egressi sunt filii Belial.* Ut in Dictionario Scripturistico notavi בליעל *Belijaal*, seu *Belial*, est *Sine utilitate, sine jugo, sine superiore.* Quo nomine meritò vocatur Diabolus; nam etsi istud *Belial* in Vulgata sit ambiguum, ut sit Adjectivum vocis *Filii*, atque ita Nominativus pluralis; tamen hîc esse Genitivum singularem *Belial*, cujus aliqui dicantur *Filii*, patet ex Hebræo textu, in quo non est בנים *Banim*, sed בני *Benè Belial. Filii istius Belialis.*

CAP. XV. XVI. XVII.

VErbum *Fænerabis* quod Cap. XV. 6. atque alibi sæpiùs habetur in Vulgata, non significat præcisè usuram committere, sed in genere mutuum

tuum dare, quod & in Dictionario probavi, & indicat Hebræa vox והעבטת *Vehaabattha. Et mutuabis*; prout idem verbum תעבט *Thaabot*, hoc eodem versu in Vulgata transfertur *Mutuum accipies*, abstrahendo nimirum ab usura.

Cap. XVI. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Atqui victima Paschalis non poterat esse de specie bovina. Aliqui per *Phase* hîc intelligunt victimas (etiam alias præter agnum Paschalem) Paschali tempore immolari solitas, atque de illis explicant illud Joan. XVIII. 28. *Ipsi non introïerunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Verùm notari meretur hîc in Hebræo esse: *Immolabis Phase* צאן ובקר *Tson u-bakar. Pecudem, & bovem*, LXX. πρόβατα, καὶ βόας. *Pecudes & boves.* Hoc est tempore Paschali immolabis tum victimam Paschalem, tum alias victimas præscriptas Num. XXVIII. 19. Quidquid sit, fuisset magis conforme Hebræo atque Græco, si translatum fuisset: *Immolabis Phase Domino Deo tuo oves, & boves.*

Cap. XVII. 18. *Describet sibi* Rex *Deuteronomium legis hujus*. Cùm *Deuteronomium* Græcè sit *Secunda lex*, aut *Secundarium legis*: quæritur an hîc intelligatur liber *Deuteronomium* vocatus, an copia legis Mosaïcæ, præsertim hujus concernentis Reges? Hebræum משנה *Mischne*, propriè significat *Duplum, Copiam, Transumptum*. Involutè Flandrica Lovaniensia *'t tweede reght van deser wet.*

CAP. XVIII. XXI. XXIII.

Levita, qui devotione ductus, servit in Tabernaculo, vel Templo, etiam illo tempore, quo à servitio liber est, seu quando non sunt ipsius vices, ℣. 8. *Partem ciborum eamdem accipiet, quam & ceteri* Levitæ, tunc temporis secundum vices suas ministrantes, *excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione*, seu jure *debetur*. Istud *Excepto* non tollit ab ipso illud, *quod in urbe sua ei debetur*, sed superaddit, q. d. stipendium actualis servitii recipiet, atque insuper illud quod tamquam Levita ei debetur in urbe sua ex decimis &c. Hoc clarè asserunt Hebræa per לבד *Lebad. Præter.* Vide infra Cap. XXIX. 10.

Cap. XXI. 23. *Non permanebit cadaver ejus in ligno*, in cruce. Hebræa & Græca: *Non pernoctabit.*

Cap. XXIII. 1. *Non intrabit... Ecclesiam Domini.* Hîc ℣. 1. 2. 3. 8. Per *Ecclesiam* non intelligitur *Templum*; hoc enim Hebraïcè dicitur היכל *Hecal*, quod verbum hîc non est, sed קהל *Kahal. Cœtus, Congregatio.* Unde per *Ecclesiam* hoc loco intelligitur Jus civicum, seu Gentilitium, nempè ut quis gaudeat juribus & privilegiis Israëlitarum.

CAP. XXIV. XXIX. XXXI.

Vulgata correcta legit ℣. 6. *Animam suam* (id est vitam, seu illud ex quo vitæ necessarium victum procurare debet) *opposuit tibi*. Antiquiores verò Codices passim legunt: *Apposuit.* Quæritur an sensus sit: contra te posuit?

fuit? An: Apud te posuit? Hebræa sunt clara חבל *Chobel. Oppignorans*, seu *In pignus tradens*. Similiter LXX. *Quia animam iste oppignorat*.

Cap. XXIX. 10. *Exceptis lignorum cæsoribus*, &c. Non hos excludit Moyses, sed specialiter includit, q. d. Nemine etiam abjectissimo excluso. Patet hoc clariùs ex Hebræo: *A cæsore lignorum tuorum, usque ad haurientem aquas tuas*. Ita etiam Græca, & Chaldæa.

Cap. XXXI. 21. *Scio cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum*. Ambiguum est an Deus dicat se nosse mala illa, quæ populus *Hodie*, hoc est jamjam facturus est, *antequam*, &c. An verò, se illa prævidere *hodie antequam*, &c.

Ambiguitas ista non tollitur ex Originali textu, cùm etiam in illo istud *Hodie* ad utrumque possit referri, eadem enim ibidem est constructio. Textûs tamen circumstantiæ indicant *Hodie* aptiùs ad *Scio* referri, quàm ad *Facturus est*, seu עשה *Ose. Faciens*; nam sequitur: *Antequam introducam*, &c. Ab illo autem tempore, quo hæc dicta sunt, usque ad ingressum terræ promissionis, populus à Lege non recessit, nec aliqua notabilia peccata commisisse legitur; atque adeò illud *Hodie* non videtur ad ea, *quæ facturus est* posse referri.

CAP. XXXII. XXXIII.

Cap. XXXII. 24. *Cùm furore trahentium super terram*. Noli intelligere furorem Leonum, Tigridum, Ursorum, & similium, homines invadentium, & ad terram prosternentium; sed Draconum aliarumque talium ferarum, quæ non adeò pedibus incedunt, sed se ipsas quasi trahunt super terram, seu reptant. Patet ex Hebræo, in quo tantum est עם חמת זחלי עפר *Im chamath zochale aphar. Cum furore reptantium terræ*. Idemque verbum *zochale* vertit Hieron. Mich. VII. 17. *Reptilia*. Unde in Vulgata est hîc explicationis causâ additum: *Atque serpentium*.

℣. 32. *Uva eorum uva fellis, & botri amarissimi*. An *Hujus botri*? An *Hi botri*? Hos botros intelligi manifestant Hebræa. *Uva eorum uva fellis*, (seu ראש *veneni*, hoc est *venenosa*) *botri amarissimi sunt eis*. In Nominativo plurali. Hinc in singulari LXX. *Botrus amaritudinis ipsis*. Notant etiam Lovanienses correctores, novem manuscripta Vulgatæ habere: *Botrus amarissimus*.

℣. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me*? An *Recondita*, seu occultè reposita? An *Condita*, hoc est Creata, aut Creanda? An tandem *Condîta*? sicuti dum unus alteri malum aliquod procuravit, Adagio Flandrico dicimus: *Hanc ipse illi pultem coxit*. Primum sensum hîc adstrui patet ex Hebræo: כמס *Camus. Reconditum, absconditum*.

Cap. XXXIII. 7. *Audi Domine vocem Juda, & ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adversarios ejus erit*. Cujus manus, & pro quo pugnabunt? Cujus adjutor, & quis erit? An manus Dei pro Juda? An Judæ pro se, &

pro populo? An Deus quasi adjutor Dei? An Judas populi? Cùm in Hebræo non sit יהיה *Ihje. Erit*, sed תהיה *Tihje. Eris*, patet Apostrophen esse ad Deum, q. d. Manus Judæ, Te Domine illas fortificante, pugnabunt pro se ipso, aut etiam pro populo, & Tu Deus adjutor Judæ, populique eris.

℣. 24. *Benedictus in filiis Aser.* An inter reliquos benedictus Aser? Sicut Gabriël dicebat V. Deiparæ: *Benedicta tu in mulieribus*? An specialiter *in filiis suis*, hoc est in prole sua, & posteritate felix futurus? In Hebræo non est בבנים *Bebanim. In filiis*, ut posterior sensus haberetur; sed מבנים *Mibbanim. A filiis*, hoc est præ reliquis Jacobi filiis; atque adeò præ ceteris fratribus suis.

JOSUË.

CAPUT II. V.

Cap. II. 17. *Adjurasti nos*, sumitur pro *Jurare fecisti*, ùt est in Hebræo. Vide dicta Gen. XXIV.

Cap. V. 2. *Circumcide secundò filios Israël.* Non jubentur à Josuë iterum circumcidi illi, qui antea in Ægypto circumcisi fuerant; sed populus iterum jubetur circumcidi, illi nimirum, qui hactenus 40. annorum tempore non erant circumcisi juxta ℣. 6. Hunc sensum exhibent Hebræa שוב מל *Schub mol. Revertere circumcidendo.* Iterum repetatur circumcisio tam diu intermissa.

℣. 3. *In colle præputiorum.* Per illud *Colle* non indicatur locus corporis, seu pars membri in quo facta est circumcisio; sed monticulus aliquis terræ Chanaan, juxta quem illa generalis circumcisio facta est, ipseque inde dictus: *Collis præputiorum.* Hinc Hebræa: *Ad* seu *Juxta collem præputiorum.* LXX. *In loco vocato: Collis præputiorum.*

℣. 15. *Cecidit Josuë pronus in terram & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Hìc *Quid* non est humiliantis se, & indignum reputantis alloquio Angelico, q. d. Cur? Quare? Non enim in Hebræo est למה *Lamma. Quare. Ut quid*, sicut pro *Quid* in Hebræo habetur Cap. VII. 7. sed hoc loco est מה *Ma. Quid? Quodnam?* q. d. Paratus sum obedire Domine, loquere, & impera.

CAP. VII. VIII. IX.

Cap. VII. 5. *Persecuti sunt eos adversarii.... & ceciderunt per prona fugientes.* Ambiguum est istud *Ceciderunt*, an scilicet à *Cado* derivetur, an à Cædo. Postremum docent Hebræa ויכום *Vajjaccum. Et percusserunt eos.*

℣. 21. *Abscondi in terra contra medium tabernaculi mei.* Hìc *Contra* non valet *E regione*; sed *Juxta*, seu *Circa*; est enim in Hebræo בתוך האהלי *Bethoch haoholi. In medio tabernaculi mei.* LXX. *In tabernaculo meo.*

Cap. VIII. 32. *Scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi.* An præcisè librum quintum Pentateuchi, qui à Græcis, & Latinis vocatur *Deuteronomium*? An potiùs simpliciter copiam legis Moysaicæ? Postremum suadent He-

Hebræa משנה תורת משה *Mischne torath Mose. Duplum*, seu *Copiam*, vel *Transumptum Legis Moysis*. Iterum non satis genuinè Flandrica Lovaniensia, *t' tweede recht des wets Moysi*. Vide ad Deut. XVII. 18.

Cap. IX. 6. *De terra longinqua venimus*. Est Præteritum, non Præsens; nam in Hebræo est *Banu*, non *Baïm*.

CAP. XIII. XIV.

Cap. XIII. 3. *Usque ad terminos Accaron contra Aquilonem: Terra Chanaan, quæ in quinque Regulos Philisthiim dividitur*. Illud *Terra Chanaan* non est sequentibus, sed præcedentibus jungendum, & duo illa puncta, quæ præcedunt meritò tollerentur; nam ita habent Hebræa. *Chananæi reputabitur*. LXX. *Chananæorum reputatur*.

Similiter ℣. 4. *Ad Meridiem verò sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum*. Hebræa: *Et Hevæi à Meridie*, supple: existentes, *omnis* illa *terra* est etiam *Chananæi*, atque adeò vobis debetur, prout *& Maara*, &c.

℣. 21. *Hevæum, & Recem*. Hic per *Hevæum* non intelligitur unus ex 7. Populis Chananæorum; nam in Hebræo hi constanter scribuntur חוי *Hhevi*. Ille autem qui hic à Moyse percussus narratur, non populus erat, sed homo unus Princeps Madianitarum, dictus אוי *Evi*, quomodo rectè scribitur Num. XXXI. 8. Meritòque sic etiam hic scriptum fuisset omissâ aspiratione, quæ superfluit, prout etiam in Græco est Ἐυΐ.

Cap. XIV. Ultimo versu dicitur: *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est*. Multi putant hic per *Adam* intelligi primum patrem omnium nostrûm; sed longè verosimilius est istud *Arbe* esse nomen proprium Gigantis famosi, à quo progenitus *Enak*, ejusque posteri, qui *Adam*, hoc est *Homo ille magnus Arbe*, ibi sit inter Enakinos sepultus. Etenim vox *Adam* sæpiùs sumitur appellativè, ut sit idem quod *Homo*, quod patet I. Reg. XVII. 32. II. Reg. VII. 19. Oseæ XI. 4. Hic autem etiam appellativè sumi constat non solùm ex Cap. XV. 13. & XXI. 11. *Cariath Arbe patris Enak*, sed etiam hic ex Hebræo קרית ארבע האדם הגדול *Kariath Arba haadam haggadol*. *Civitas Arbe; iste homo iste magnus*, &c. Unde vocem *Adam* esse Appellativam, non propriam, suadet ה *H* littera voci *Adam* in Hebræo præposita, nam istud ה demonstrativum non solet præponi nominibus propriis personarum; In tantum ut propterea Eccle. I. 3. ubi in Hebræo est לבני האדם *Libne haadam*, Hieronymus & LXX. transtulerint: *Filiis hominum*, non *Filiis Adam*. Ita etiam Gen. VI. 1. & 2.

CAPUT XVI.

℣. 1. *Ab Jordane contra Jericho & aquas ejus*. Non Jordanis aquas intelligit, sed urbis Jericho, nam in Hebræo est: *Ad aquas Jerichuntis*.

℣. 2. *Egreditur de Bethel Luza*. Ambiguum est an hic una eademque urbs dicatur *Bethel-Luza*, quod videri posset ex Gen. XXVIII. 19. An potiùs dicantur

cantur limites sortis filiorum Joseph protendi de *Bethel* in *Luzam*. Postremum asserunt LXX. Basiliensia ἀπὸ Βαιθὴλ εἰς Λουζά. Idem habent Hebræa מבית־אל לוזה *Mib-Bethel Luza*. *De Bethel Luzam*, seu *In Luzam*, nam istud *Luza* est in Hebræo Accusativi casûs.

Urbs enim ista vocabatur propriè לוז *Luz* Gen. XXVIII. 19. atque adeò illud ה in fine vocis additum, est locale, seu idem Hebraïcè valet, quod *Versus*, *Ad* &c. Non malè proindè Lovaniensium Biblia Latina habent: *De Bethel Luzam*, & Flandrica: *Ende gaet uyt van Bethel tot Luza*; etsi enim *Luza* urbs etiam *Bethel* diceretur, tamen hîc in rigore est distinctio, & *Luz* vocatur urbs ipsa; *Bethel* verò locus urbi propinquus, in quo Jacob viderat scalam ad cœlum pertingentem Gen. XXVIII. Vide quæ circa lectionem hujus loci dicam libro sequenti.

Eodem versu: *Transitque terminum Archi*, *Ataroth*. Dubium ingeritur per hoc quod dicat *Terminum*; nimirùm an idem locus sit *Archi*, & *Ataroth*, an diversa loca, cùm sit comma intermedium. Sed tum LXX. tum Hebræa sumunt ùt unum locum, ejusdemque urbis nomen, quæ hîc vocatur הארכי עטרות *Ha-Archi-Ataroth*, hoc est *Illa-Magna*, seu *Longa-Ataroth*, & ℣. 5. ac Cap. XVIII. 13. *Ataroth-Addar*, hoc est *Ataroth illustris*, ut distinguatur contra minorem *Ataroth*, de quâ hîc ℣. 7.

Ad comma medium inter *Archi*, & *Ataroth*, dico istud superfluere; & ùt unum nomen compositum scribitur in Hebræo & Græco.

CAPUT XXI.

Ambiguum est quod habetur hoc Cap. ℣. 21. *De Tribu Ephraïm urbes confugii*, *Sichem*... *& Gazer*, *& Cibsaïm*. Item ℣. 32. *De Tribu quoque Nephtali civitates confugii*, *Cedes in Galilaa*, *& Hammoth Dor*, &c. Similia occurrunt ℣. 36. & 37. quibus locis videntur plures Refugii civitates assignari, quàm sex designatæ Cap. XX. & alibi; nempè in sola Tribu Ephraïm: *Sichem*, *Gazer*, *Cibsaïm*, *Bethoron*. In Tribu Nephthali: *Cedes*, *Hammoth-Dor*, *Carthan*, & ita de aliis enumeratis ℣. 27. 36. 37.

Sed constat ex variis aliis Scripturæ locis non fuisse plures quàm sex urbes refugii, unde hæc ita interpungenda & intelligenda: *De Tribu Ephraïm* (Levitis ad habitandum assignatæ sunt sequentes) *urbes*, *Confugii* quidem *Sichem*, deinde & aliæ, quæ non erant Confugii, nempè *Gazer*, *Cibsaïm*, &c.

Hunc sensum etiam exprimunt Hebræa, quæ non habent ערים *Arim*. *Urbes*; sed עיר *Ir*. *Urbem confugii Sichem*, *& Gazer*, &c. Ita etiam habent ℣. 27. עיר מקלט גולן *Ir miklat Gaulon*. *Civitatem refugii Gaulon*; unde conformiter intelligendum istud Vulgatæ ibidem: *De dimidia Tribu Manaße Confugii civitates Gaulon in Basan*, *& Bosran*, &c. Imò videntur hîc verba transposita in Vulgatâ, & legendum esse conformiter ad rei veritatem, & alios omnes textus: *De dimidia Tribu Ma-*

Manasse Civitatem (aut etiam *Civitates*) *Confugii Gaulon*, &c. Quia ad ista non reflexerunt Translatores Lovanienses in hoc capite pluries aberrarunt, præ-tim Gallicus ℣. 32. *Aussi les trois citez de refuge avec leurs fauxbourgs de la lignée de Nepthali, Cedes en Galilée, & Hammoth-dor, & Carthan.*

CAP. XXII. XXIV.

Cap. XXII. 8. *Revertimini.* Non est Indicativi modi, ùt pronum est accipi, sed Imperativi, quod patet ex Hebræo שׁוּבוּ *Schubu.* Ut esset Indicativum deberet in Hebræo esse שַׁבְתֶּם *Scabthem.*

℣. 11. *Ædificasse... Altare... contra filios Israël.* Hoc non est *Contrarium*, seu *Adversus* filios Israël, sed *E regione*, seu potiùs *In loco* ubi filii Israël Jordanem transierant. Istud enim indicat Hebræus: *El eber bene Israël. Ad*, seu *propè transitum filiorum Israël.*

Cap. XXIV. 2. *Thare pater Abraham, & Nachor: servieruntque Diis alienis.* Ut constat ex Gen. XI. 25. 26. Abraham habuit & *Avum*, & *Fratrem* ambos vocatos *Nachor*, etiam in Hebræo נחור Quæritur uter hîc intelligatur an *Frater*, an *Avus*? *Fratrem* intelligi patet ex Hebræo: *Thare pater Abrahami, & pater Nachoris.*

JUDICUM

CAPUT I. III.

ISraëlitæ victores comprehenderunt *Adonibezec* Regem ℣. 6. *Casis summitatibus manuum ejus ac pedum.* Intelligi possunt extremi digitorum articuli, possunt etiam intelligi soli pollices, qui sunt *Superiores* manuum partes, signanter in manibus junctis; & quibus abscissis homo totus fit incapax ut utatur gladio. Hos solos intelligi indicat Hebræus textus, habet enim: *Absciderunt* בהנות *Behonoth. Pollices*, & ideò dicit Vulgata: *Casis summitatibus*, non *Extremitatibus.* Benè igitur Flandrica Lovaniensia: *Afhouwende hem de duymen aen handen ende voeten. Amputantes ipsi pollices manuum ac pedum.*

℣. 16. *Filii autem Cinai cognati Moysi.* Istud *Cognati* non est Nominativus pluralis, sed Genitivus singularis, & significat hîc *Affinem*, nam in Hebræo est חתן *Chothen. Affinis*, quia nimirum uxor Moysis Sephora erat hujus *Cinai* consanguinea.

℣. 34. 35. *Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent: habitavitque in monte Hares.* Cùm Scriptura hîc sola montana assignet Tribui Dan, videri posset illud: *Habitavitque in monte Hares*, de Tribu Dan dici; sed Hebræa expresè ad Amorrhæos restringunt: *Et cœpit Amorrhæus habitare in monte*, &c. Ita etiam LXX.

Cap. III. Rex Moab ℣. 19. *Imperavit silentium: egressisque omnibus.* Quibus imperavit silentium? Uni Aod; nam Hebræa habent: *Et dixit*: הס *Has. Sile.* Etiam LXX. *Tace.*

CAPUT VII. XIII.

℣. 25. Gedeon *Interfecit Oreb in petra Oreb.* Habemus etiam Exod. XVII. 6.

Petram Oreb, seu *Horeb*, sed hæc alia est; nam ista Moysis scribitur חרב hæc Gedeonis עורב

Cap. XIII. 12. & 13. *Quid vis ut faciat puer? aut à quo se observare debebit? Dixitque Angelus Domini ad Manuë: Ab omnibus quæ locutus sum uxori tuæ abstineat se, & quidquid ex vinea nascitur non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo: & quod ei præcepi, impleat atque custodiat.* Hæc norma vivendi videtur hic tradi puero nascituro, de quo Pater petiverat: *Quid vis ut faciat puer*, &c. Ita ad Samsonem seu puerum referunt Biblia Lovaniensium tam Flandrica, quam Gallica. Sed si benè attendamus, hæc etiam in Latino referri possunt ad matrem Samsonis, imò referenda esse patet ex Hebræo, in quo omnia hæc verba: *Abstineat se. Non comedat, Bibat, Vescatur, Impleat, Custodiat*, sunt in feminino genere, atque adeò dicuntur de uxore Manuë, non de Samsone.

CAP. XVI. XVII. XIX. XX.

Cap. XVI. 19. *Vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus.* Illud *Rasit* est in Hebræo femininum, adeoque refertur ad Dalilam, non ad tonsorem, quamvis indubiè ipsa per tonsorem raserit. Pro *Crinibus* habent Hebræa *Cincinnos*.

Cap. XVII. 7. *Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus, eratque ipse Levites.* Ad quem refertur illud *Ejus*? An ad Micha, de quo præcesserat? At Micha erat de Tribu Ephraïm, Ad quem ergo? Hebræus textus determinat ad *Judam* referri, habet enim: *Ex familia Juda*, nempè quoad genus maternum, nam quoad paternum erat *Levites*.

Cap. XIX. 22. *Filii Belial (id est absque jugo)* Illa: *Id est absque jugo*, sunt verba Hieronymi explicantis vocem *Belial*, quæ ibidem designat Diabolum, cujus hi pessimi, & exleges Gabaonitæ dicuntur *Filii*; nam *Belial* esse in vim Genitivi patet ex Hebræo בני *Bene*.

Cap. XX. 32. *Putaverunt enim* Benjaminitæ *solito eos* reliquos Israëlitas *more cedere*, prout nimirum bis factum fuerat diebus præcedentibus. Porrò hìc per *cedere* non intelligitur *fugere*, sive *recedere*, seu *loco cedere*, quod attentis circumstantiis pronum est intelligi, præsertim si legatur sine diphthongo, sicuti dicitur ℣. 39. *Putaverunt enim filii Benjamin eos fugere.* Sed *Cedere* hìc idem videtur esse quod *percutere*, cùm in Hebræo sit: *Dixeruntque filii Benjamin: Percussi, seu cæsi ipsi, sicut in principio.* Vide libr. II.

RUTH.

CAPUT I. II. III.

NOëmi dixit utrique nurui suæ ℣. 8. *Ite in domum matris vestræ.* An igitur utriusque fuit una mater, ita ut *Ruth* & *Orpha* fuerint sorores? Esse alium Vulgatæ sensum colligitur ex Hebræo: *Revertimini, unaquæque ad domum matris suæ.*

℣. 15. *En reversa est cognata tua.* Non intel-

intelligitur *Consanguinea*, sed *Affinis*; nam in Hebræo est: *Jebimtech. Fratria tua.* Est enim mea יבמת *Jebemeth*, quæ est *uxor fratris mariti mei.*

℣. 19. *Hæc est illa Noëmi.* Suntne verba asserentium, an interrogantium, & admirantium? Est in Hebræo manifesta interrogatio הזאת *Hazeth? Haccine est Noëmi?* Similiter LXX. *Num illa est Noëmi?* Hoc signum interrogationis desideratur in Vulgata correcta, & assertivè translatum est etiam in Bibliis Lovaniensium tam Gallicis quàm Flandricis.

Cap. II. 13. *Non sum similis unius puellarum tuarum.* Hoc est: Præstantior me est vel infima ancillarum tuarum, nam *Ancillas* significat Hebræum שפחת *Schephachoth.*

Cap. III. 3. *Non te videat homo.* Non videtur hic sensus: Cave ne te ullus homo videat; sed: Cave ne à Booz videaris, nam & hunc circumstantiæ indicant, & in Hebræo, ac Græco est: *Non cognoscaris à viro donec ipse finiverit comedere, & bibere.* Græcum τῷ ἀνδρὶ simplicius idem valet quod Flandricum *Den man*, & Gallicum *l'Homme.* Possunt tamen verba tum Græci textûs, tum maximè Hebræi, etiam sumi priori sensu, cùm Hebræum איש *Isch* sæpè pro quovis homine indeterminatim sumatur. Hoc sensu est in Lovaniensibus Flandricis: *Gheen mensch en sie u. Nullus te videat homo.* Sed alio in Gallicis: *Que l'home ne te voie pas.*

℣. 9. *Ait illi* Booz Ruthæ: *Quæ es?* Miror quod Bonfrerius & La Haye hîc dicant, ex interrogatione illa in Hebræo non satis posse colligi, quòd Booz ante responsum Ruthæ cognoverit jacentem ad pedes suos, fuisse mulierem, & non virum aliquem. Quamvis enim hoc nequeat colligi ex Hebræo cognomine מי *Mi*, quod communis generis est, atque adeò indifferens ad masculinum *Quis*, & femininum *Quæ*; tamen ex conjuncto pronomine *Tu* potest sciri, cùm in Hebræo sit מי את *Mi at. Quæ tu femina?* non מי אתה *Mi atha. Quis tu vir?*

I. REGUM.

CAPUT II. III.

CAp. II. 1. *Dilatatum est os meum.* פי *Pi. Os* oris.

℣. 3. *Ipsi præparantur cogitationes.* נתכנו *Nithcenu.* Ponderantur, numerantur.

℣. 5. *Donec sterilis peperit plurimos.* Potest intelligi: Tam diu, quàm sterilis peperit: atque etiam: In tantum ut sterilis pareret plurimos. Hunc sensum exigunt Hebræa propter עד *Ad. Eousque* ut sterilis pepererit plurimos.

℣. 12. *Filii* ipsius *Belial.* Vide dicta Judic. XIX. 22.

Cap. III. Ambiguum est quod dicitur de Heli ℣. 2. 3. *Nec poterat videre lucerna Dei antequam extingueretur Samuël*, &c. Nimirum an indicetur oculos Heli ita caligasse, ut ad lucernæ lumen amplius videre non potuerit, sed tantum orto jam sole, seu clarâ luce, nempè eo tantùm tempore, quo mane

mane lucerna candelabri in Tabernaculo extinguebatur. Hebræa tamen indicant istud *Lucerna Dei*, &c. non ad visum Heli debilem esse referendum; sed ad Samuëlem, scilicet ipsum de nocte in Templo seu Tabernaculo dormivisse (intellige in Atrio) ibidemque solitum pernoctare, & manere, donec lucerna orto jam sole extingueretur; nam in Hebræo novus sensus ibidem incipit: *Et lucerna Dei*, &c. Vide dicenda libro II.

℣. 10. *Venit Dominus, & stetit: & vocavit, sicut vocaverat secundò, Samuël, Samuël.* Istud *Secundò* videtur referendum ad repetitam vocem *Samuël*, præsertim cùm antea vocaverat *Samuëlem tertiò*, ùt dicitur ℣. 8.

Attamen non hoc indicari; sed tantùm quòd rursum, idque pro quarta vice vocaverit, patet ex Hebræo: *Vajjikra cephaam-bephaam.* Quod significat: *Sicut ante*, prout eadem verba transferuntur Num. XXIV. 1. Seu (ùt magìs verbotenus vertam quoad significationem) *Sicut semel iterumque.* Hoc est: Sicut antea diversis vicibus vocaverat. LXX. transtulerunt Hebræa de verbo ad verbum ὡς ἅπαξ καὶ ἅπαξ *Sicut semel & semel*, imò tertiò.

℣. 15. *Dormivit autem Samuël usque mane.* Mirum si quarto à Deo compellatus, & tam stupenda prædici audiens, dormire potuerit. In Hebræo est: *Et cubavit*, quod abstrahit à somno, & tantummodò indicat Samuëlem non statim de nocte ad Heli cucurisse, ut ei nuntiaret, quæ audierat; etsi fortè præ stupore, non dormierit.

CAP. VI. IX. XII.

Cap. VI. 14. *Plaustrum venit in agrum... Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri.* Ambiguum est an derivetur à *Cado*, dicanturque allisò ad lapidem plaustro, ejus ligna dissoluta decidisse; an verò à *Cædo*, ut dicantur Bethsamitæ plaustrum confregisse. Hoc ultimum exprimunt LXX. & Hebræa: *Sciderunt.*

Cap. IX. 7. *Sportulam non habemus, ut demus homini Dei.* Significat *Sportula* parvulum corbem de vimine textum, item Munusculum. Ultimum hîc intelligi patet ex Hebræo תשורה *Teschura. Donum. Munus. Xenium.*

℣. 25. *Stravitque Saul in solario.* Hæc verba modò non sunt expressa in Hebræo, sed subintelliguntur, eaque expresse habent passim LXX. ex quibus patet *Solarium* hîc pro *Domate* poni, & istud *Saul* esse Dativi casûs: Διέστρωσαν τῷ Σαοὺλ ἐπὶ τῷ δώματι. *Straverunt Sauli in domate*, seu tecto plano.

Cap. XII. 3. *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus.* Item ℣. 5. *Testis est Dominus adversus vos, & testis Christus ejus.* Per Christum Samuël intelligit Saulem, quem ita vocat, quia ipsum unxerat in Regem; nam hîc *Christus* sumitur appellativè pro *Uncto*, prout Græcè significat; & in Hebræo est משיחו *Meschicho. Unctus ejus.* Hinc Dominus Jesus Antonomasticè dictus est Græcè *Christus*, Hebraïcè *Messias* leniori pronunciatione.

CAP. XIII. XVI.

Filius unius anni erat Saul cùm regnare cæpiſſet. Cùm ſit evidens tunc temporis Saulem non fuiſſe unius anni puerulum, variè iſta explicantur à variis. Veroſimilius eſt ſubaudiri particulam *Sicut*, vel *Ad inſtar*; nempè quòd ita ſimplex, humilis, innocens tunc fuerit Saul, ſicut puer unius anni.

Quòd autem Rhabanus id explicet ita: Saul dum Regnum adiret, habebat filium unius anni, nempè Isboſethum, non poteſt ſubſiſtere, cùm in Hebræo non ſit in Dativo לשאול *Le-Saul. Sauli*, ſed in Nominativo שאול *Saul*.

ỳ. 13. *Jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum.* Non deſignatur nuda præparatio, ſed decretum perdurationis, q. d. Fundaſſet, confirmaſſet, *Stabilivißet*, ùt ſignificat Hebræum הכין *Hechin*.

Eodem ſenſu frequenter ſumendum eſt in Scriptura verbum *Præparare*, v. g. Pſalm. 23. *Super flumina præparavit.* Firmavit terram. Pſalm. 88. *In æternum præparabo ſemen tuum.* Proverb. VIII. 27. *Quando præparabat cœlos aderam.*

Cap. XVI. *Ad Iſai.* Pater Davidis in Vulgata nunc *Iſai* vocatur, nunc *Jeſſe*, quod ùt duo diverſa nomina Aliqui ſumunt; ſed ex Hebræo conſtat idem omninò eſſe Hebræum nomen ישי ſed diverſimodè pronuntiatum. Et quidem in Vulgata ſæpiùs habetur ſecundum puncta nunc iſti nomini ſubjecta ישי *Iſaj* diſſylabum; at aliquoties etiam prout aliis punctis legerunt LXX. Ἰεσσαὶ ישׁי *Jeſſe*, aut potiùs *Jeſſa*.

ỳ. 6. *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* Hebr. *Meſchicho. Unctus ejus*, ſeu *ungendus* in Regem. Vide dicta Cap. XII. 3.

ỳ. 7. *Quoniam abjeci eum.* Aliqui intelligunt ſupplendo: Ungendum in Regem, q. d. Humilem & abjectum, nempè Davidem elegi, ut Rex ungatur. Sed hæc alium ſenſum habere, & non de Davide, ſed de Eliab dici, patet ex Hebræo מאסתיהו *Meaſthihu. Reprobavi eum*, *Repuli* ne ſit Rex, atque ita abjeci; quod Flandricè diceremus: *Ick hebbe hem afgekeurt.*

CAP. XVII. XVIII.

ỳ. 4. Goliat erat *Altitudinis ſex cubitorum & palmi*, non minoris, qui tantùm 4. digitorum latitudinem continet; ſed majoris, ſeu ſpithami, qui habet digitos 12. Belgicè: *Span.* Id enim ſignificat Hebræum זרת *Zareth.*

ỳ. 45. 46. *Quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus*, &c. Eſt ſatis mirabile, quod in Vulgata correcta ſit poſitum comma poſt *Hodie*, cùm tamen verſus 45. finiatur ante ly *Hodie* ſine ulla interpunctione, & ab *Hodie* incipiat ỳ. 46. Quid hîc ſequendum? Si attendamus verſuum diſtinctionem, ſeu Hebraïcam Rabbinorum Maſoretharum interpunctionem, illud *Hodie* omninò afficit ſequentia, & comma ſequens eſſet auferendum, atque legendum: *Quibus exprobraſti. Hodie & (ſeu etiam) dabit te Dominus* &c. Imò illud *Et* non eſt in Hebræo, atque ita iſti

lectioni admodum favet ille textus.

Cap. XVIII. 11. *Declinavit David à facie ejus secundò.* Rupertus illud *Ejus* ad lanceam refert, sicut dicitur Psalm. LIX. 6. *Ut fugiant à facie arcûs.* Item Thren. v. 9. *A facie gladii.* Itaque facies lanceæ hîc sit ejus cuspis.

Sed Lyranus multò aptiùs refert ad Saulem, nam illud *Ejus* est in Hebræo pronomen masculinum *Mippanau*, adeoque referendum est ad Saulem, cùm in Hebræo *Lancea. Chanith* sit feminini generis; si verò facies lanceæ intelligeretur, haberetur in Hebræo *Mippaneha.*

ỳ. 20. *Dilexit autem David Michol filia Saul altera.* Hæc quidem verba non sunt ambigua prout modo habentur in Vulgata, sed in pluribus antiquis Codicibus, signanter Lovaniensibus legitur: *Filiam Saul alteram.* Moderna lectio est genuina, & conformiter intelligendus hic locus; nam in Hebræo *David* est in Accusativo, *Michol* in Nominativo: *Dilexit Michol ipsum Davidem* את דוד *Eth David.*

CAP. XX. XXI. XXIV.

Cap. XX. 17. *Addidit Jonathas dejerare David.* Theologi moderni per *Dejerare* intelligunt falsum jurare; sed hoc loco significat: Vehementer jurare, prout etiam Eccle. IX. 2. *Ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat.* Unde LXX. simpliciter Ὀμόσαι. *Jurare.* Hebr. *Ad jurandum*, seu *Jurare*, nempè promissam Davidi fidelitatem vehementer confirmando.

Cap. XXI. 1. *Venit David in Nobe.* Erat hæc *Nobe* propè Jerusalem, & consequenter alia à *Nobe*, de qua Numer. XXXII. 42. Judic. VIII. 11. Quamvis enim Aliqui utramque confundant, & inde ulterius errent, putantes Tabernaculum Mosaïcum temporibus Saul in Nobe ultra Jordanem fuisse; tamen diversam esse & hujus historiæ circumstantiæ clamant, & textus Hebræus indicat; cùm hæc Davidis scribatur נב *Nob*, illa ultra Jordanem נבח *Nobach.*

Cap. XXIV. 6. *Post hæc percussit cor suum David.* Ambiguum est, an dicatur David manu suâ cor, seu pectus proprium tutudisse, an verò, quòd cor, seu conscientia Davidis ipsi remorsum ingesserit de isto facto, nempè de abscissione oræ Chlamydis Saulis. Postremum sensum exprimunt Hebræa: & LXX. *Percussit cor Davidis ipsum.*

CAP. XXV. XXIX.

ỳ. 34. *Non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.* Posset hoc intelligi de solo Nabal, qui solus peccaverat, nempè quòd ipse non mansisset vivus, sed jacuisset interemptus, aut saltem adeò læsus, ut non posset stare, neque ad parietem mingere. Sed sensus genuinus est, quòd omnes de ipsius familia fuissent trucidati, ad canes usque, qui pede elevato ad parietem mingere solent: etenim in Hebræo & Græco *Nabal* est in Dativo לנבל *Le-Nabal.* τῷ Νάβαλ. *Ipsi Nabal.*

Cap.

XXIX. 5. *Percussit Saul in millibus suis, & David in decem millibus suis.* Hæc non ita intelligas: Saul stipatus *millibus* militibus *suis* pugnavit & vicit; *David* cum *decem millibus suis.* Neque etiam sic (prout Aliqui exponunt) Unicus Saul tantam fecit hostium stragem, acsi duxisset in prælium aliquot millia pugnatorum suorum; David verò tantam acsi cum aliquot denis millibus militibus suis pugnam iniisset. Nihil enim aliud hîc dicunt Satrapæ Philistinorum, quàm quod cantaverant puellæ Cap. XVIII. 7. Suntque hîc eadem verba in Hebræo, quæ ibi vertuntur: *Percussit Saul mille, & David decem millia.*

Sed notandum quòd verba contactûs Physici, vel moralis, Hebræi soleant exprimere præpositâ litterâ ב *B* (quæ valet *In*) rei illi, quæ contingitur, aut quâ contingunt. Hinc habes Luc. XXII. 49. *Domine, si percutimus in gladio.* Isa. LXVI. 5. *Videbimus in lætitia vestra*, hoc est lætitiam vestram. Sic etiam I. Reg. XVIII. 11. Vulgata: *Putans quod configere posset David.* In Hebræo est: *Et dixit* (hoc est: Saul sibi persuasit) אכה בדוד *Acce be-David. Percutiam in David*, hoc est *Davidem.* Similiter II. Reg. XXIII. 9. *Quando exprobraverunt Philisthiim*, hoc est *Philisthæos.* In Hebræo est, *In Philisthæis.*

Sic igitur etiam hîc: *Percussit Saul in millibus suis*, idem est acsi diceret: Percussit mille hostes suos. Vel *suos* vocat hostes, quod jure belli hostes victi fiant mancipia vincentium.

II. REGUM.

CAPUT II. IV. V.

ABner filium Saulis Isboseth ℣. 8. *Circumduxit... per Castra.* Non est intelligendum, quod eum circumduxerit per congregatas militum acies. Sed hîc, prout etiam ℣. 12. & 29. Item Cap. XVII. 24. 27. Atque etiam Cap. XIX. 32. & III. Reg. II. 8. vox *Castra* designat specialem urbem ædificatam ultra Jordanem in eo loco, in quo Jacob duo agmina, seu castra Angelorum conspexerat, atque idcirco Gen. XXXII. 2. Appellavit nomen *loci illius* מחנים *Mahanaim, id est Castra.* Nempè *duo*; est enim dualis numeri, illudque tum hoc, tum allegatis locis est in Hebræo; idemque materiale nomen passim retinuerunt in Græco Translatores LXX.

Cap. IV. 2. *Duo viri principes latronum.* Per *Latrones* hîc non intelliguntur grassatores viarum, & injusti homicidæ; sed milites prædatorii, sive illi, qui in hostes legitimas, aut saltem militares excursiones faciunt, & prædam agunt; in Hebræo enim vocantur שרי גדודים *Sare gedudim. Principes militarium agminum*, seu *Turmarum.* Chaldæus: *Principes exercituum.* LXX. *Duces agminum militarium.*

Cap. V. 1. *Ecce nos, os tuum.* Hebraïcè עצמך *Atsmecha. Os* ossis.

CAPUT VI. VII. IX.

Cap. VI. 4. *Cumque tulissent eam de*

 domo

domo Abinadab qui erat in Gabaa custodiens arcam Dei Abio præcedebat arcam. Ad quem refertur Verbum *Custodiens*? ad *Abinadab*, an ad *Abio*? Vulgatæ pleraque exemplaria recentiora cùm ponant interpunctionem post *Gabaa*, nullam verò post *Dei*, referunt ad *Abio*; sed ad *Abinadab* esse referendum patet ex Hebræo, in quo est: *Et tulerunt eam de domo Abinadab qui in Gabaa cum arca Dei & Abio incedens ante arcam.*

Cap. VII. 19. *Ista est lex Adam.* Per vocem *Adam* non intelligit David primum nostrum omnium parentem; sed hominem in genere, seu totam speciem. Constat hoc tum ex LXX. ὁ νόμος τοῦ ἀνθρώπου. *Lex hominis*, tum ex Hebræo תורת האדם *Thorath haadam*, ubi illud ה *H* præfixum nomini *Adam*, declarat esse nomen Appellativum, non Proprium.

Cap. IX. 13. *Miphiboseth... de mensa Regis jugiter vescebatur.* An mensæ jugiter assidens? An cibo Regio illi allato? Primum afferit textus Hebræus: *Al schulchan. Ad*, sive *super mensam.* Ita etiam Chaldæus, & LXX. ἐπὶ τῆς τραπέζης.

CAPUT IX.

℣. 2. David *Vidit mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum.* Bethsabee non se lavabat ipsa existens in solario suo, seu domate domûs suæ, saltem istud hîc non dicitur, sed quòd ipsam, se alicubi, unde eminus videri poterat, lavantem, David prospexerit existens in domate Palatii sui. Patet ex Hebræo: *Meal haggag. E tecto*, seu *Domate*, prout eadem Præpositio מעל *Meal* hoc eodem versu versa est: *De strato suo.* LXX. *E domate.*

℣. 3. *Bethsabee filia Eliam.* Iste per Anagramma, idem tamen significante Nomine, vocatur I. Par. III. 5. עמיאל *Ammiel*, hoc est *Populus Dei*, vel *Populus fortis.* אליעם *Eliam. Dei populus*, vel *Fortis populus.*

Uxor Uriæ Hethæi. Aliqui apud à Lapide *Uriam* dictum putant *Hethæum*, quasi *Gethæum*, nempè Philisthæum natione, ortum ex Satrapia *Geth*, & Proselytum Judæorum factum. Sed ex Hebræo constat hoc non subsistere; non enim ibi dicitur גתי *Githi* à *Geth*, sed חתי *Hitthi.* Fuit ergo vel ex Chananæis *Hetthæis*, vel potius Judæus natione oriundus ex pago *Heth* propè Hebron; vel *Hethæus* dictus propter aliquod contra Hethæos factum memorabile ipsius, aut proavorum.

CAPUT XII. XIV.

℣. 24. *Consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea: quæ genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon.* Videtur hîc asseri Bethsabee filio nomen *Salomonis* imposuisse; sed Davidi tribuendum est illud *Vocavit*, cùm sit in Hebræo *Vajikra. Et ipse vocavit*, non *Vattikra. Et ipsa vocavit.*

℣. 25. *Vocavit nomen ejus, Amabilis Domino.* Utique non hoc materiali Latino nomine vocatus fuit Salomon, sed idem significante ידידיה *Jedidjah*, quod hîc in Hebræo est.

℣. 31. David devictos Ammonitas

Tra-

Traduxit in typo laterum. Aliqui sic explicant: Ita eos dissecuit acsi fuissent lateres, seu ad *typum*, sive similitudinem laterum. Alii sic: In ardentes laterum furnos Ammonitas injici jussit. His magìs favent Hebræa: *Transire fecit eos in laterificina* במלבן *Bammalben.*

Cap. XIV. 8. *Ego jubebo pro te.* Non promittit, quòd fidejubebit, nam in Hebræo non est verbum ערב *Arab*, sed אצוה עליך *Atsavve alajich. Præcipipiam super te.* Hoc est: Mandato Regio cavebo, ne quis tibi noceat, ne quis filium tuum occidat.

℣. 15. *Nunc igitur veni.* Non petit per hæc Thecuïtis ut Rex David veniat, seu accedat, & audiat verba mulieris *præsente populo*; Non enim est illud *Veni* Imperativum secundæ personæ, sed Præteritum primæ: באתי *Bathi. Ego veni.*

CAP. XV. XVII. XIX.

Cap. XV. 20. *Compelleris.* Est futurum, non præsens; etenim in Hebræo est: *Ego movere*, seu *emigrare te faciam.* Hoc est: Causa ero, si me sequi volueris, quòd hoc tibi accidet.

Cap. XVII. 24. & 27. *David venit in Castra.* Non significatur Davidem rursus se junxisse turmis suis, seu castris militum suorum; sed venisse in urbem, seu locum dictum *Castra* ultra Jordané. Patet ex Hebræo מחנימה *Mahanajmah. In Mahanaim*; nam illud ultimum ה *h* additum indicat locum specialem, quo David venerit. Vide dicta ad II. Reg. II. 8.

Cap. XIX. 24. *Miphibosceth.... descendit in occursum Regis* David... *intonsa barba.* Quid hoc mirum? Aut quod signum luctûs Miphiboscethi de calamitate Davidis? Nam Judæis barbam radere non licebat juxta legem Levit. XIX. 27. *Nec radetis barbam.*

Notandum Israëlitis fuisse prohibitum abradere promissam de mento barbam, non verò ne concinnè radendo aptarent crines superiorum labiorum, qui à Belgis vocantur *De knevels*, à Græcis μύσαξ, nempè barba vestiens superius labium, seu cornua superioris barbæ, hîc autem non agitur de promissâ menti barbâ, quæ Hebraïcè vocatur זקן *Zakan*, (quod verbum hoc loco non habetur) sed שפם *Sapham*, quæ vox significat superius labium, & in eo natos crines; unde etiam LXX. non verterunt Πώγωνα *Barbam*, sed Μύσακα. Similiter Arias transtulit: *Non fecerat mustacam suam.*

℣. 32. *Cùm moraretur in Castris*: In urbe *Mahanaim.* Vide dicta Cap. XVII. 24.

℣. 36. *Non indigeo hac vicissitudine.* Bersellaj non intendit his verbis indicare: Non quæro istam mutationem, ut vadam ex urbe mea habitatum in aulâ Jerosolymis. Sed est q. d. Recuso ut vices istas mihi, gratesque rependas pro acceptis à me beneficiis; nam in Hebræo est: *Ut quid retribuet mihi Rex retributionem istam?* Optimè ergo Lovaniensia Flandrica *Wederloon*, Gallica *Guerdon.*

CAP. XXI. XXII. XXIII.

Cap. XXI. 16. Gigas *Jesbibenob fuit de*

genere Arapha, ex quo etiam alii tres, de quibus sequitur, ùt patet ex ỷ. 22. Rabbini putant eundem esse hominem *Arapham*, seu *Arpham*, & *Orpham* nurum Noëmi, de quâ Ruth I. 4. Fabulanturque hos 4. fuisse filios istius *Orphæ*. Sed obstat tum ratio temporis, tum loci, tum ipsa diversitas nominis in Hebræo; *Orpha* enim scribitur ערפה At *Arapha* הרפה Imò in hoc nomine primum ה *h*, vel *a*, videtur additítium, ut denotet stemma; nomen autem ipsum, viri est, non feminæ, nempè Gigantis illius *Rapha* רפה seu רפא ùt scribitur I. Par. xx. 4. Ubi Hieronymus transtulit *Raphaim*; unde etiam hîc LXX. Sixtina habent τȣ Ῥάφα *Istius Rapha* viri. Complutensia τῶν γιγάντων *Gigantum*, ubi etiam dicuntur in Hebræo *nati Le-Harapha*, quod non significat *Ex Harapha*, quasi ex matre, sed *Ipsi Harapha* quasi patri, cui nascuntur filii.

Eadem notanda circa ỷ. 22. *Hi quatuor nati sunt de Harapha in Geth.*

Cap. XXII. 45. *Filii alieni resistent mihi.* Si litteram lectionis Hebraïcæ spectemus tum hoc versu, tum sequenti, tum Psalm. xvii. 46. Istud *Alieni* non est Nominativus pluralis, q. d. *Filii degeneres*; sed Genitivus singularis; nam his locis est in Hebræo בני נכר *Bene nechar*. *Filii* istius, qui *alienus*, sive *extraneus* est, non verò בנים נכרים *Banim nochrim*. *Filii, qui extranei sunt*. Attamen LXX. tam hîc, quàm Psal. xvii. habent in Nominativo plurali υἱοὶ ἀλλότριοι, sed fortè legendum: ἀλλοτρίου.

Cap. XXIII. 9. *Quando exprobraverunt Philistiim.* Non Philisthæi Hebræis timiditatem exprobrantes, ùt exponit Menochius; sed Israëlitæ Philisthæis, ùt patet ex Hebræo בחרפם בפלשתים *Becharpham bap-Pelisthim. Cùm afficerent ipsi probris Philisthæos.*

III. REGUM.

CAPUT II. III. IV.

Versu 28. *Venit nuncius ad Joab.* Non de persona veniente intelligendum, sed de re, quæ nunciabatur, seu de *fama*, est enim tam in Hebræo שמעה *Schemua*, quàm in Græco ἀκοὴ *Auditio, fama, rumor*. Hinc non exactè versum in Lovan. *Un Meßagier. Een Bode.*

ỷ. 39. *Ut fugerent servi Semei.* Vulgata non exprimit numerum servorum, qui fugitivi erant à Semei: Hebræa tamen & LXX. habent expresè: *Duo servi*. Fortè vox *Duo* excidit è Vulgata.

Cap. III. 15. *Intellexit quod eßet somnium.* Non est hîc *Quod* Pronomen, q. d. *Quale*, sed Adverbium; nam in Hebræo est: *Et ecce somnium*. Ita etiam Græca: unde judiciosè in Vaticano exemplari Clem. VIII. tum anni 1592. tum 1593. est cum accentu impressum *Quòd*, & benè translatum in Lovaniensibus Flandricis: *Dattet eenen droom was*. Minùs rectè in Gallicis: *Quel estoit le songe.*

Cap. IV. 21. *Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine ter-*

terra Philisthiim usque ad terminum Ægypti. Possunt hæc ita intelligi, ùt dicatur in Philisthæa fuisse fluvius quidam, qui hîc statuatur terminus unus Regnorum, quæ Salomoni erant subjecta, aut saltem tributaria; alter autem terminus fuerint limites terræ Ægypti propinqui terræ Chananææ. Sed profectò hæc *ditio* angusta fuisset, & modica.

Si punctuationem modernam Hebraïci textûs sequamur, illud *Terra* in Vulgata non est Genitivus singularis, qui regatur à voce *Flumine*, sed Nominativus pluralis. Insuper ante ly *Terra* debet in Vulgata mente suppleri copula *Et*, aut saltem comma unum. Itaque sic habent Hebræa: *A flumine, terram Philisthiim, usque ad terminum Ægypti.* Nam ֳ *Camets*, sive *A* longum sub ultima syllaba vocis נהר *Nahar. Flumen*, indicat istud *Flumine* non regere vocem ארץ *Erets. Terra*; atque adeò illam non esse in Genitivo, sed in Accusativo, aut si in Genitivo sumatur in Vulgata, subintelligi vocem *Regna*, quæ præcessit, q. d. *Et regna terra Philisthiim.*

Itaque sic communiter exponunt Interpretes: Salomonem habuisse saltem sub tributo *omnia regna à flumine*, nempè Euphrate, qui ab Hebræis Antonomasticè vocatur *flumen*; itemque *terram Philisthiim*, seu *terra Philisthiim* regna omnia, quinque scilicet Satrapias, & hoc usque ad ipsam Ægyptum, ubi nempè Ægyptus est contermina terræ Chanaan.

Ita etiam intellexit, & legit S. Augustinus q. 21. in Josuë. *Salomon erat dominans in omnibus regibus à flumine usque ad terram Philisthiim, & usque ad fines Ægypti. Ecce ubi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens promittensque prædixerat: à flumine quippè hîc intelligitur ab Euphrate.*

CAP. V. VII.

℣. 4. *Non est Satan, neque occursus malus.* Non videtur hîc *Satan* sumi Antonomasticè pro *Diabolo* infernali, sed Appellativè, quomodò sonat idem quod *Adversarius* Latinè; unde LXX. *Non est ἐπίβουλος. Insidiator.*

Cap. VII. 12. *Atrium majus rotundum.* Nemo uncquam dixit Templi Salomonici Atrium, aut extimum ambitum fuisse orbicularis figuræ; sed ùt est in Hebræo סביב *Sabib. Circumcirca* domum sacram seu Templum, quod cùm esset quadratum, eandem quoque figuram habuit Atrium circumdans Templum.

℣. 14. *Filium mulieris viduæ de Tribu Nephthali.* Vidua illa non erat de Tribu Nephthali, sed de Tribu Dan, ùt habetur II. Par. II. 14. Sed *Hiram*, seu filius istius viduæ erat ex patre de Tribu Nephthali, quod patet ex Hebræo הוא *Hu. Ipse de Tribu Nephthali*, non היא *Hi. Ipsa.* Unde quod hîc dicitur *Hiram Patre Tyrio*, intellige patrem *Tyrium* fuisse Nativitate, aut habitatione, non Genere.

℣. 26. *Grossitudo luteris trium unciarum erat.* Adrichomius hunc *Luterem* alium facit à mari, seu magno æneo lavacro, hîc descripto à ℣. 23. Sed eum

cum errare convincit textus Hebræus: *Veobjo tephach. Et densitas ejus palmus* minor. Ubi copula *Et*, ac Pronomen *Ejus* manifestè convincunt hîc esse sermonem de eodem, de quo præcessit, diciturque *trium unciarum* mensuræ longitudinis, hoc est *palmi* minoris, seu trium pollicum, sive quatuor digitorum; quia sicut libra Romana veterumque omnium constabat 12. unciis, ita pes unus pollicibus 12.

℣. 45. *Omnia vasa... in domo Domini de aurichalco erant.* Non intelligi tam hoc, quàm aliis Scripturæ locis, istud quod vulgò nunc *Aurichalcum* vocatur, & à colore ac sono: *Aurum crepitans*, tum ex circumstantiis textûs constat, nempè quòd utensilia Templi inde sint facta, tum ex Hebræo, in quo est: *Nechoseth memorat. Æs tersum*, sive, ùt transfertur II. Par. IV. 16. *Æs mundissimum*, atque adeò propter fulgorem quasi *Aureum æs*, quod sonat *Aurichalcum*, est enim χαλκὸς græcè *Æs*. De hoc latiùs disputavi in Dictionario Scripturistico Editionis secundæ.

CAPUT IX. X. XI.

℣. 2. Salomoni *Apparuit... Dominus secundò.* Non tunc bis, sed iterum hac vice in Jerusalem, qui primò ipsi apparuerat initio regni in Gabaon; unde in Hebræo est *Schenith. Secundâ vice*, non *Phaamaim. Duabus vicibus*, prout est in Hebræo III. Reg. XI. 9.

Cap. X. 1. *Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit.* Istud *In nomine Domini*, non afficit verbum *Venit*, sed præcedentia; nam in Hebræo est: *Audiens*, seu *Audivit famam Salomonis in nomine Domini*, ותבא *Vattabo. Et venit.* Sensus proinde est, eam advenisse postquam audiverat illa, quæ Salomon faciebat in nomine Domini, seu Deo donante. Hinc meritò Vulgata correcta habet interpunctionem ante Verbum *Venit*, quæ in Bibliis Lovan. tam Gallicis, quàm Flandricis non rectè ibidem omissa, collocata est ante: *In nomine.*

Cap. XI. 9. *Qui apparuerat ei secundò*, seu *duabus vicibus*, ùt est in Hebræo. Vide dicta Cap. IX. 2.

℣. 20. *Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium... eratque Genubath habitans apud Pharaonem.* Ambiguum est an *Genubath* fuerit filius sororis *Taphnes*, an ipsa soror reginæ *Taphnes*. Fuisse nomen filii, non matris, constat ex Hebræo, in quo priùs est: *Eth Genubath. Genubathum*; deinde ויהי *Vajhi* &c. *Et fuit ipse Genubath domi Pharaonis.*

℣. 39. *Affligam semen David super hoc.* Non est sensus: Insuper, seu præter hæc, quæ tibi Jeroboam promitto, affligam posteros David, si tu mihi manseris fidelis; sed est q. d. Hac de causa, seu למען זאת *Lemaan zoth. Propter hoc.*

CAPUT XII. XIII. XIV.

Cap. XII. 10. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* Pro *Dorso* refertur Roboam dixisse II. Par. X. 10. *Lumbos.* In Hebræo est מתני *Mothne*, ex quo colligitur Hieronymum hîc per *Dorsum*, ibi per *Lumbos*, honestè significare voluisse posteriores lumborum partes.

Cap.

Cap. XIII. 3. *Hoc erit signum quod locutus est Dominus.* Illud *Quod*, non est notatum, nec notandum accentu; non enim est Adverbium, q. d. Ex quo probetur *quòd locutus sit*; sed Pronomen neutrum: *Signum quod* modò dat. Suadetur ex Hebræo, in quo non est Adverbium כי *Ci. Quia. Quòd*, sed Pronomen אשר *Ascher. Qui. Quæ. Quod.* Quamvis fatendum sit eamdem vocem *Ascher* aliquando, sed rarò, sumi pro Adverbio *Quòd*. Similiter LXX. non transtulerunt ὅτι. *Quòd. Quia*, sed Pronomen ὅ. Mallem proinde in Flandricis Lovaniensibus fuisse translatum: *Het welck*, quam quod nunc est: *Dattet*.

Cap. XIV. 24. *Effeminati fuerunt in terra.* Non intelliguntur hîc meri ignavi timidique, animum femineum magis, quàm virilem habentes; sed scorta mascula dedicata Veneri, aut Priápo, ut in honorem, aut etiam ad quæstum talium Idolorum, sustinerent nefandam libidinem.

Talis effeminatus quia Idolis consecratus, appellabatur Hebraïcè (meritò per Antiphrasim) קדש *Kedes*, id est *Sanctus*, prout etiam tale scortum femineum *Kedescha*, cùm tamen simplex meretrix diceretur *Zona*. Vide infra ad IV. Reg. XXIII. & Osee IV. Hos *Effeminatos abstulit de terra* Asa Rex Cap. XV. 12. Item Josaphat Cap. XXII. 47.

CAP. XVI. XX. XXI.

Cap. XVI. 34. *Ædificavit Hiël.... Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus.* Hoc est: Quando Hiël ausus fuit urbis Jericho fundamenta ponere, mortuus est *Abiram primitivus*, hoc est בכרו *Bechoro. Primogenitus ejus.* Atque ita successivè reliqui ejus filii, ipso progrediente in urbis extructione, donec tandem in ultimo complemento portas urbis ponens, *Segub novissimum*, seu צעירו *Tsciro. Minimum suum* natu filium perdiderit, prout imprecando prophetaverat Josuë VI. 26

Cap. XX. 32. *Si adhuc vivit, frater meus est.* Esse hîc interrogationem eamque absolvi post ly *Vivit*, Patet ex Hebræo: העודנו חי אחי הוא *Haodennu chaj? Achi hu. Num adhuc ille vivens? Frater meus ipse.* Eum fratrem reputo.

Cap. XXI. 8. *Qui erant in civitate ejus.* Per *ejus* non intelligit Samariam civitatem Jezabelis, sed Jezraël urbem habitationis ipsius Naboth; est enim in Hebræo Pronomen masculinum בעירו *Beïro.*

IV. REGUM.

CAPUT VI. X. XI.

CAp. VI. 32. *Antequam veniret nuncius ille dixit*, &c. *Ille* non est referendum ad *Nuncium*, sed ad Elisæum *Ille dixit*, &c. Vide dicenda Libro II.

Cap. X. 8. *Ponite ea* capita 70. filiorum Achab *ad duos acervos.* Non juxta duos acervos lapidum, aut aliarum rerum, sed ex ipsis 70. capitibus abscissis facite duos acervos: ita enim ha-

betur in Hebræo: *Ponite ea duos acervos.*

Cap. XII. 8. *Prohibitique sunt Sacerdotes ultra accipere pecuniam à populo, & instaurare sartatecta domûs.* Ne quis Politicus hic fingat Sacerdotes in similibus fuisse subjectos Regibus; notandum istam ordinationem factam ipsis Sacerdotibus, saltem principalioribus volentibus, & gaudentibus, quòd ab hoc onere exigendi & custodiendi pecuniam, & sartatecta curandi essent liberati.

Patet hoc est Hebræo *Vajjeothu*, à verbo יאת *Jaath*, quod significat *Complacere sibi in aliquo. Pulchrè convenire. Consentire.* Unde etiam verterunt LXX. Συνεφώνησαν. *Consenserunt.* Textus igitur Hebræus sic habet: *Et libenter consenserunt Sacerdotes, ut non acciperent pecuniam, & ut non instaurarent sartatecta.*

CAPUT XIV. XVI. XIX.

Cap. XIV. 28. *Jeroboam restituit Damascum, & Emath Juda in Israël.* Non est hîc *Juda* Genitivus, sed Dativus ליהודה *L-Ihuda. Ipsi Juda*, prout etiam LXX. τῷ Ἰούδᾳ. Recuperavit ergo urbes olim à Davide rege Judæ subjugatas, aut vectigales redditas, ac dein Israëlitis ereptas, quas tamen regno Judæ non restituit, sed sibi retinuit, seu regno decem Tribuum, quod regnum vocatur *Israël.*

Cap. XVI. 6. *Restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ.* Etiam hîc est Dativus *Ipsi Syriæ*, tam in Hebræo, quam Græco.

Cap. XIX. Valdè notabilis est locus ℣. 21. *Sprevit te, & subsannavit te virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem.* Hæc Lyranus, imò etiam Cornelius à Lapide in Isa. XXXVII. 22. Intelligunt dicta ad Sion, & Jerusalem, q. d. O Sion te Sennacherib sprevit &c. Sed reverà sunt verba Dei alloquentis ipsum Sennacherib, q. d. Te ô Sennacherib filia Sion sprevit &c. Ità optimè translatum est in Bibliis Lovaniensium Gallicis tum hoc loco, tum Isaiæ XXXVII. atque etiam dicto loco Isaiæ in Flandricis; sed quod mirandum, non rectè hîc IV. Reg. XIX. *O maget dochter van Sion, hy heeft u versmaet ende beschimpt, ghy dochter van Jerusalem hy heeft syn hooft achter u geschut.*

Hæc dici ad Sennacherib patet evidenter ex Hebræo tum hîc, tum Isaiæ XXXVII. 22. *Baza lecha, laaga lecha bethulath bath Sion, acharecha ros henia bath Jerusalem.* In his verbis ך *Cha. Te* & *Tuum* sæpiùs occurrens, est Masculinum, non Femininum. E contra illa *Sprevit, subsannavit, Movit* בזה לעגה הניעה *Baza. Laaga. Henia* sunt omnia feminina. Verba proinde *Sioni*, seu Jerosolymæ conveniunt, Pronomina autem *Te, Tuum* Regi Sennacherib.

CAPUT XX. XXIII.

Cap. XX. 9. *Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Eadem hîc sunt *Lineæ*, & *Gradus*; nam utrobique est eadem vox in Hebræo, nempè מעלות *Maaloth.* Hinc Vulgata Isa. XXXVIII. 8. *Reversus est Sol decem lineis.*

Cap. XXIII. 7. *Ædiculas effeminatorum.*

rum. Vide dicta III. Reg. XIV. 24. Quia talia *Scorta* Idolis dedicata vocabantur Hebraïcè *Kedeschoth*, quod verbum derivatur à *Kadas. Sanctus fuit*, inde fortè Magdalius Gaudanus, & ipse Religiosus Dominicanus scripsit in suo *Correctorio* ad hunc locum: *Destruxit ædiculas effeminatorum. In Hebræo habetur: Ædiculas Monachorum.* Quid hîc Magdalio venerit in mentem, nescio.

I. PARALIPOMENON.

CAPUT I. II. IV.

CAp. I. 36. *Filii Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec.* Quidam hæc ita intelligunt, ut *Thamna* non fuerit filius Eliphaz, sed ejus *concubina*, ex qua *Genuit Amalec*, ùt dicitur Gen. XXXVI. 12. Quo loco inter filios Eliphaz nullus recensetur *Thamna*. Etiam Biblia Gothica hîc habent: *De Thamnâ concubinâ Amalec.* Verùm non esse hunc Vulgatæ sensum, patet ex Hebræo, & Græco, in quibus est: *Et Thamna, & Amalec.*

Cap. II. 18. Caleb de Azuba *Genuit Jerioth, fueruntque filii ejus Jaser* &c. *Jerioth* feminam fuisse, seu Calebi filiam, non filium, patet ex Græco αὐτῆς, & Hebræo: *Veelle baneha. Et hi filii ejus* feminæ.

Cap. IV. In prioribus Capitibus hujus libri S. Hieronymus nomina propria Hebræa multoties non materialiter transcripsit; sed secundum significationem suam transtulit, quod significanter factum est hoc Cap. versu 22. *Qui stare fecit Solem, virique Mendacii, & Securus, & Incendens.* LXX. Hebræa illa nomina retinuerunt, quæ sunt: *Jokim, Cozeba, Joas, Saraph.*

CAPUT VI. VII.

Cap. VI. 57. *Dederunt civitates ad confugiendum, Hebron, & Lobnam.* Non ita intelligas, quasi dicantur *Lobna*, & sequentes etiam fuisse civitates refugii, nam talis fuit sola Hebron, reliquæ autem simpliciter urbes Sacerdotales. Unde interpunctio poni deberet post vocem *Civitates*, non ante *Hebron*. Nota pro his illa, quæ diximus ad Jos. XXI. Hîc in Paralip. Hebræus textus habet: *Et filiis Aaron dederunt Urbes Juda* (hoc est *in*, & *sub Tribu Juda*, sequentes, nempè) *Confugii Hebron, & Lobna* &c. Eadem respectivè notanda sunt ad ℣. 67. Ubi sensu locandum est comma post vocem *Urbes*, quod incongruè ibidem habetur ante *Sichem*.

Cap. VII. 7. *Vrai* præstaret hoc nomen imprimere per *U* vocalem; etenim primam nominis litteram, non esse *V* consonantem, patet ex Hebræo עירי *Iri*, vel potiùs עורי *Ouraj.* Idem est de nomine *Vlam* hoc Cap. ℣. 16, 17. & Cap. seq. ℣. 39. 40. cùm ubique scribatur in Hebræo אולם *Oulam.*

℣. 14. *Concubina ejus Syra peperit Machir.* Ista non vocabatur hoc materiali nomine *Syra* (prout aliquis ex Aaronis posteris materiali nomine Hebræo vocatus est *Belga* I. Par. XXIV. 14.) sed erat concubina illa natione *Syra*, ùt

 patet

patet ex Hebræo, ubi pro Latino *Syra* habetur ארמית *Arammija*, quod significat è *Syria* oriundam.

℣. 15. *Machir accepit uxores filiis suis Happhim, & Saphan.* Illæ uxores non fuerunt vocatæ *Happhim & Saphan*, sed ipsi filii Machir, nam ex Hebræo constat illa nomina esse in Dativo casu לחפים ולשפים *Ipsi Happhim, & Ipsi Saphim.* LXX. etiam præponunt Dativum τῷ.

℣. 18. *Soror ejus Regina peperit Virum decorum.* Matris nomen proprium non erat *Regina*, neque etiam *Regma*, ùt aliqui codices mendosè scribunt, sed מלכת *Molecheth*, filius autem vocabatur אישהוד *Ishod*: Hoc significat *Virum decorum*, istud *Reginam*. LXX. etiam nomina materialia *Molecheth*, & *Ishod* retinuerunt.

℣. 25. *Filius ejus Rapha.* Iste *Rapha* non dicitur hîc filius feminæ *Saræ*, de quâ immediatè præcesserat, sed viri *Beria*, de quo dixerat ℣. 23. Constat ex Hebræo בנו *Beno. Filius ejus* viri, & Græco ἀυτȣ̃.

CAP. XII. XXII. XXIV.

Cap. XII. 34. *De Nephthali, Principes mille: & cum eis instructi clypeo & hasta, triginta & septem millia.* Quæritur an hîc allegetur numerus Principum de Tribu Nephthali, dicanturque fuisse milleni; an potiùs sine expressione numeri Principum, hîc significentur *Tribuni*, seu Præfecti millenis hominibus, qui passim in Hebræo vocantur *Principes mille*, vel *millium*, signanter Cap. seq. ℣. 1. ubi pro *Tribunis* (ùt habet Vulgata) in Hebræo est *Sare Haalaphim. Principes mille*, seu *Millium.* Prout etiam hoc Cap. ℣. 20. Vulgata: *Principes millium.*

Loco tamen quem tractamus non intelliguntur præcisè Tribuni, sed exprimitur numerus Principum de Nephthali, nempè quod fuerint *Mille.* In Hebræo siquidem est שרים אלף *Sarim aleph. Principes* numero *mille*, seu *milleni*, non *Sare alaphim.* Pariformiter LXX. Α'ρχοντες χίλιοι, non χιλίαρχαι.

Cap. XXII. 9. *Ob hanc causam Pacificus vocabitur.* Nomine Hebræo idem significante, nam in Hebræo est: *Salomon erit nomen ejus.*

Cap. XXIV. 2. *Sacerdotio functus est Eleazar, & Ithamar.* ℣. 3. *Divisit eos David, id est Sadoc de filiis Eleazari, & Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas & ministerium.* Non significatur quod David Sadocum, & Achimelechum diviserit, ùt aliàs pronum est intelligi; sed quod David unà cum Sadoco & Achimelecho, seu potiùs operâ & authoritate utriusque Pontificis (atque adeò illi ipsi Pontifices per Davidem) ordinaverit, seu distinxerit omnes Sacerdotes posteros Eleazari & Ithamari in clases 24. Patet hoc nedum ex Græco, & Chaldæo, sed & ex Hebræo: *Divisit eos David, & Sadoc, & Achimelech.* Hinc ℣. 6. *Descripsitque eos Semeias.... Scriba Levites coram Rege & principibus, & Sadoc Sacerdote, & Ahimelech filio Abiathar.* Vide etiam, & nota ℣. 31.

CA-

CAPUT XXV.

℣. 3. *Porrò Idithun: filii Idithun, Godolias, Sori, Jeseias, & Hasabias, & Mathathias, sex.* Non sunt hæc ita intelligenda, quasi Idithun inter sex filios habuerit primum etiam vocatum *Idithun*, quod visum est Lyrano, & asserendum videretur, cùm aliàs tantùm quinque filii ipsius Idithun referantur, & tamen dicantur esse *sex*.

Nihilominus constat ex Hebræo hunc esse sensum: Porrò ad familiam Idithun pertinent sequentes filii Idithun, tamquam principaliores, unamque singuli classem constituentes, nempè *Godolias, Sori*, &c. Omissum est autem, vel excidit nomen sexti, nempè *Semeias*, quem de filiis Idithun fuisse patet ex II. Par. xxix. 14. Loco quem tractamus in Hebræo est: *Ipsi Idithun: Filii Idithuni*, seu *Ipsius Idithun*.

Prout eodem modo habetur in Hebræo ℣. 4. *Ipsi Heman. Filii Hemani: Bocciau*, & ceteri numero *Quatuordecim*, ubi etiam iste *Heman* recensitus ante *Bocciau*, non est filius unus inter reliquos, sed pater omnium sequentium, aliàs (ùt numerando patebit) non essent 14. Hemani filii, sed 15. Unde hîc ℣. 4. pariformiter intelligenda sunt ista Vulgatæ: *Heman quoque filii Heman.*

CAPUT XXVI. XXIX.

Cap. XXVI. 10. *De Hosa Semri Princeps (non enim habuerat primogenitum, & idcircò posuerat eum pater ejus in principem.)* Non quod *Semri* non habuerit filios, atque adeò nec primogenitum. Neque etiam quòd *Hosa* (de quo dicitur istud: *Non enim habuerat*) nullum habuerit; cùm enim habuerit filium Semri, qui tamen non erat ipsius primogenitus, aliquem primò, seu ante *Semri* genitum habere debuit.

Sensus ergo genuinus est, quòd *Hosa* filiorum, seu posterorum suorum Principem cum prærogativâ aliàs Primogenito competenti, constituerit ipsum *Semri*, propter specialia merita, aut naturæ, vel gratiæ dotes, etsi *Semri* non esset ipsius primogenitus ordine nativitatis, seu etsi *non habuerit* illum (ùt subintelligendum in Vulgata) *primogenitum*, sed alium quempiam. Patent hæc ex Hebræo, in quo est: *Semri Princeps, nam non fuit primogenitus, & posuit eum pater suus in principem.*

℣. 23. *Amramitis, & Isaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis.* Sunt omnia in Dativo plurali, quod constat ex Hebræo, in quo singulis his quatuor nominibus præfigitur littera ל *L*, quæ Hebræis est Articulus Præpositivus indicans Dativum casum.

Cap. XXIX. 22. *Unxerunt secundò Salomonem.... in Principem.* Hoc est secundâ vice, qui primâ unctus fuerat subitò, & absque concursu totius populi, ùt refertur III. Reg. I. 45. Etenim in Hebræo non est hîc *Bis*, seu *Duabus vicibus*, sed *Schenith. Vice alterâ.* Vide dicta III. Reg. ix. 2.

II. PARALIPOMENON.

CAP. IX. XIV. XXIV.

Cap. IX. 5. *Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus &*

& sapientia tua. Pro *Virtutibus* est in Chaldæo, Græco, & Hebræo: *De Verbis tuis*, seu *Sermonibus*. Interpres Vulgatæ videtur Hebræum דבר *Dabar. Verbum*, pro re, vel facto sumpsisse, quod frequens est Scripturæ, atque ideò vertisse *Virtutibus*, hoc est magnificentissimis, ac potentissimis operibus tuis. Saltem ex dictis patet hìc *Virtutem* non sumi prout opponitur vitio.

Cap. XIV. 11. *Venimus contra hanc multitudinem.* Rectè notavit Magdalius: *Venimus mediâ correptâ, & est præteriti temporis, Hebraïcè enim Banu legimus.*

Cap. XXIV. 19. *Mittebatque eis* Deus *Prophetas ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant.* Aliquatenus est ambiguum, an istud *Protestantes* referatur ad Prophetas, an ad rebelles ac reluctantes Judæos. Sed clarum evadit ex Hebræo, in quo pro *Quos protestantes* est: *Et testificati sunt eis* Prophetæ Divinam ultionem imminentem obstinatis.

CAP. XXIX. XXXVI.

Cap. XXIX. 34. *Donec impleretur opus, & sanctificarentur Antistites.* Antistites hìc sunt *Sacerdotes* etiam simplices, ùt patet ex Græco ἱερεῖς, & Hebræo כהנים *Chohanim.*

Cap. XXXVI. 13. *Qui adjuraverat eum per Deum.* Sumitur hìc *Adjurare* pro juramentum exigere, quod circa hoc verbum monuimus ad Gen. XXIV. Unde in Hebræo est: *Qui eum fecerat jurare per Deum*; nimirum Nabuchodonosor exegerat à Sedecia juramentum promissæ fidelitatis servandæ.

I. ESDRÆ.

CAPUT I. III. IX. X.

CAp. I. Non demit, sed addit, quod dicitur ℣. 4. *Excepto quod voluntariè offerunt*; nam in Hebræo est: *Cum spontanea oblatione*, seu unà cum illo, quod sponte offertur. Idem est ℣. 6.

Cap. III. 12. *Qui viderant Templum prius cùm fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum, flebant.* Illud *Cùm fundatum esset.* Varii referunt ad Templum Salomonicum, quod fundatum magnificentissimèque extructum viderant. Alii meliùs ponunt interpunctionem ante *Cùm*, & referunt ad Templi secundi fundationem, q. d. Cùm & hujus fundationem viderent tantoperè à prioris Templi magnificentiâ deficientem, flebant. Ita enim est in Hebræo, ubi omisso istud *Et*, est: *Cùm fundaretur hæc domus* &c.

Cap. IX. 2. *Manus... Principum... fuit in Transgressione hac prima.* Lyranus, Estius, Menochius, Tirinus notant istud *Prima* esse ambiguum, nempè ut referatur ad *transgressionem*, q. d. Hæc fuit *prima* populi post reditum *Transgressio*. Vel ut ad *Manum*, q. d. Ipsi Principes primi, seu præcipui fuerunt in hac transgressione. Hic est verus sensus; nam in Hebræo est Adjectivum femininum ראשונה *Rischona. Prima*, quod nequit referri ad *Transgressionem* מעל *Maal*, quia vox illa est Masculina; sed ad femininum יד *Jad. Manum.* Ita etiam LXX. Unde vox

Pri-

Prima est hîc in Nominativo casu, non in Ablativo.

Cap. X. 34. *Et Vel.* Hoc nomen esse dissyllabum *Uel*, constat ex Hebræo אואל.

II. ESDRÆ.

CAPUT I. V.

CAp. I. 2. *Interrogavi eos de Judæis, qui remanserant, & supererant de captivitate, & Jerusalem.* Non est iste sensus: Interrogavi de Judæis è captivitate, & Jerosolyma residuis; sed q. d. Perquisivi qualiter ageretur cum Hebræis in Judæa degentibus, item de ipsa civitate Jerusalem, qualis nimirum esset status ejus; nam in Hebræo est: *Interrogavi* על *Al. Super,* seu *de Judæis, qui remanserant* מן *Min. Ex captivitate* ועל *Veal. Et super,* seu *De Jerusalem.*

Cap. V. 18. *Inter dies decem vina diversa, & alia multa tribuebam.* Istud *Decem* non afficit *Vina*, q. d. Indies, seu quotidie decem diversa vina abundanter tribuebam; sed annectendum est cum *Dies*, ùt patet ex Hebræo: *Uben asereth jamim becol jajin leharbe.* Quod verbotenus vertit Pagninus: *Et inter*, vel *intra decem dies in omni vino ad multiplicandum.* Sed Vatablus Paraphrasticè sensum verosimiliorem exprimit: *Intra decem autem dies excipiebam illos cum omni genere vini ad copiam.* Tigurina: *Decimo quoque die dabatur vinum omnibus affatim.* Syrus: *Semel denis quibusque diebus multum vini.* LXX. *In medio decem dierum in omnibus vinum multitudini.*

CAPUT VI. VII. IX.

Cap. VI. 14. *Noadia Propheta.* Esse nomen non viri, sed mulieris, quæ se Prophetissam fingebat, videtur ex Hebræo נביאה *Nebia. Prophetissa,* ùt transtulerunt Pagninus, & Arias Montanus. Nisi dicamus in Hebræo superfluere istud ה *h* finale, legendúmque non esse *Nebia. Prophetissa*; sed *Nebi. Propheta.* Hoc verosimile fit ex eo, quòd in masculino transtulerint & Hieronymus, & LXX.

Cap. VII. 2. *Quasi vir verax,* non fingens veritatem, seu fidelitatem, sed verè talis. Hebr. כאיש *Ceïsch. Sicut, Tamquam vir fidelis.*

Cap. IX. 7. *Elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum.* Videtur hîc appellativè transferri Hebræum nomen urbis Chaldææ, de qua Abraham erat oriundus; nam in Hebræo, & Chaldæo habetur מאור *Me-Ur. De Ur,* quod tamquam nomen proprium loci Hieronymus retinuit in Vulgata Gen. XI. 28. 31. Estque hoc multò verosimiliùs, cùm dicatur Gen. XI. 31. Thare eduxisse de *Ur*, non solum Abrahamum, sed etiam Lot, Saram, &c. circa quos omnes non habuit locum illa miraculosa ex igne liberatio, quam circa Abrahamum referunt, vel fingunt Rabbini: unde etiam hîc in Esdra vertunt LXX. *E regione Chaldæorum.*

CAPUT X. XI. XIII.

Cap. X. 1. *Nehemias, Athersatha filius Achelai.* Videri possent distinctorum

rum hominum nomina *Nehemias*, & *Athersatha*, præsertim propter comma inter utrumque nomen collocatum. Sed fuisse unum eundemque hominem duplici hoc nomine vocatum, patet tum ex II. Esd. VIII. 9. Tum quòd comma istud superfluat, nec sit in Græco, aut Hebræo. Vide circa hunc locum dicenda Libro II.

Cap. XI. 15. *Hasabia*, *filius Boni*. Hìc patris nomen Hebraïcum non transfertur appellativè, seu quoad significationem, sicut quoad multa nomina fieri notavimus in libro primo Paralip. signanter quoad nomen *Pacificus* Cap. XXII. 9. & circa nomen *Regina* Cap. VII. 18. Nam hìc in Hebræo non habetur טוב *Tob. Bonus*, sed materiale nomen בוני *Boni*, sive *Bouni*.

℣. 22. *Episcopus Levitarum*. Vox *Episcopus* hìc non significat Pontificem; sed *Præfectum*, & *Superintendentem*, quem verbotenus significat Græca vox Ἐπισκόπος, quam retinuit Latinus Interpres ex LXX. qui meritò græcè sic transtulerunt Hebræam vocem פקיד *Pakid*, nam idem valet quod Latina *Visitator*, *Inspector*.

Cap. XIII. 1. *In Ecclesiam Dei*. Non intelligitur *Templum*, quod Hebraïcè dicitur היכל *Hecal*, sed *Congregatio*, seu potiùs jus civicum; seu proprium gentis Israëliticæ, ut censeatur quis de isto populo: hoc enim significat Hebræum קהל *Kahal*, quod hìc habetur. Vide dicta Deuter. XXIII.

℣. 21. *Si secundò hoc feceritis*. Hoc est, si deinceps, sive: *Si iterum*. Hebr. *Si iteraveritis*, nam fecerant antea *Semel & bis* ℣. 20.

TOBIAS.

CAPUT II. V. VII.

CAp. II. 1. *Cum esset dies festus Domini*. Græca determinant: *In Pentecoste, quæ est sancta septem hebdomadarum*. Ita etiam textus Syriacus, item Hebræus editus per Munsterum בחג שבועות *Bechag schebuoth*: *In festo hebdomadarum*, hoc est *Pentecostes*. Sed Hebræus editus per Fagium habet בחג הסכות *Bechag hassuchoth*. *In festo Tabernaculorum*. Hunc inspexit La Haye, cùm dicat Hebræum designare *Festum Tabernaculorum*. Illum verò Tirinus, dicens in Hebræo haberi: *Festum Pentecostes*.

Cap. V. 14. *Restituam tibi mercedem tuam*. Quam? Non determinat Vulgata, sed designant Græca ℣. 21. *Drachmam per diem*, *& necessaria sicut & filio meo*. Hoc est: Præter victum, quotidie *Drachmam*; Intellige Hebræam, seu *medium siclum*, ùt habetur in Hebræo, & Syro.

Cap. VII. 19. *Lacrymata est*. Tam ad matrem *Annam*, quàm ad *Saram* filiam potest referri. Græca sunt etiam ambigua; sed determinant Hebræa apud la Haye: *Quod cum fecisset introducendo illuc filiam suam, cœpit puella flere*. Vatablus: *Introduxit eam lacrymantem*.

CAPUT XI. XII.

Cap. XI. 1. *Pervenerunt ad Charan*. Non intelligitur *Charan*, sive *Harun* Mesopotamiæ, in qua aliquantisper mora-

moratus est Abraham cum patre suo Thare egressus de Ur Chaldæorum, Gen. xi. 31. & xii. Nam ista vocatur in Hebræo חרן Hæc verò Tobiæ אצרים *Atsrim*, seu *Atsram*, sive *Acran*.

Patet etiam ex situ, quia ex Ninive iverant versus Mediam, nempè in *Rages*, seu *Ragu*, aut *Ragau*, ùt scribitur Judith I. 6. Illa autem erat respectu Ninive Orientalis tum Urbs, tum Regio; at Mesopotamia, & in eâ sita *Haran* Abrahæ, sunt respectu Ninive occidentales, deflectentes parumper versus Meridiem. Tobiæque *Charan* erat sita trans Tigrim inter *Ecbatanas Mediæ*, & *Niniven Assyriæ* urbes, ac fortè fuit *Charra* de qua Ptolomæus. At Abrahami *Haran*, sive *Charan*, ubi Thare pater Abrahami fuit mortuus, erat cis Tigrim, nimirum in Mesopotamia inter Tigrim, & Euphratem.

Cap. XII. 7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Intelligit arcana Regum consilia, seu Mysteria, unde in Græco est: μυστήριον.

JUDITH.

CAPUT I.

VErs. 12. *Nabuchodonosor juravit quòd defenderet se*. Idem habes II. 1. & IX. 2. *In defensionem*. Non significatur his locis illud, quod nunc passim per verbum *Defendere* intelligitur, nempè *Tueri*, vel *Conservare* aliquem à malo, sive *Injuriam arcere*. Sed pro *Ulcisci*, seu *Vindicare*. Hoc quidem circumstantiæ textûs indicant, sed clariùs patet ex Græco, quandoquidem his locis ibidem sit ἐκδικῆσαι. *Ulcisci*, *Vindicare*.

Eodem sensu accipitur Eccli. xlvii. 31. & xlviii. 7. Antiquitùs enim passim *Defendere* sumebatur pro *Ulcisci*. Hinc idem Græcum Verbum translatum est Rom. xii. 19. *Non vos defendentes charissimi*; & ubi habemus Psal. viii. 3. *Ut destruas inimicum & ultorem*, olim legebatur: *Inimicum & defensorem*, ùt observare licet apud Severum Sulpitium in vita S. Martini, inquit Estius; Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, pro eo quod nos habemus Rom. xii. 19. *Mihi vindictam, & ego retribuam*, legit: *Mihi defensam, & ego defendam*. Et Nonius Marcellus ex Ennio: *Serva cives, defende hostes*, hoc est vindica, ulciscere, inquit à Lapide Rom. xii. 19. qui tamen hoc Ennii dictum fortè adfert extra rem; etenim quidni Ennius *Defendere* sumpserit pro *Tueri*, per *Hostes* verò intellexerit, *Hospites*, seu hospitio susceptos? Hi namque priscis temporibus *Hostes* vocabantur.

CAPUT VIII. IX.

Cap. VIII. 32. *Cum abra mea*. Similiter Cap. X. 2. 5. 10. XVI. 28. *Abra* non est nomen proprium ancillæ Judith, sed appellativum; nam ἄβρα Græcè significat famulam juvenem, præsertim pedissequam dominæ suæ. Vide meum Dictionarium Scripturisticum de hoc verbo.

Cap. IX. Judith Deo dicit ℣. 4. *Illa post illa cogitasti*. Cùm clarum sit ex

fide & ratione non dari in Deo successionem cogitationum, patet non esse hunc sensum: Prius illa, dein ista cogitasti; sed hunc: Decrevisti ut illa prius, ista posterius fierent, quem sensum clarè indicant Græca: *Tu enim fecisti priora illorum; & illa, & posteriora, & præsentia, & supervenientia cogitasti, & adfuerunt, quæ decrevisti.*

℣. 13. *Percuties eum ex labiis charitatis meæ. Charitas* hîc non significat virtutem Theologicam, aut veram proximi dilectionem; sed *Labia charitatis*, sunt labia blandiloqua, ac sermones dulces, amatorii, dilectionem prætendentes, in quibus frequenter est, atque in verbis Judith fuit, fraus & deceptio; unde in Græco est modò: ἐκ χειλέων ἀπάτης μȣ. *Ex labiis deceptionis meæ.* Videtur Interpres Vulgatæ non ἀπάτης. *Fraudis, Deceptionis*, legisse, sed, ἀγάπης. *Dilectionis, Amoris.*

ESTHER.

CAPUT I. II.

Cap. I. 19. *Scribatur juxta leges Persarum atque Medorum.* Hoc est: Ad modum legum Persicarum, &c. Ita etiam LXX. *Secundùm leges Medorum, atque Persarum.* Videntur tam hi, quàm Hieronymus in Hebræo legisse כדתי *Chedathe. Sicut leges.* Modò exiguo apice mutato, est in Hebræo בדתי *Bedathe Paras u-Madaj. In legibus*, seu *Inter leges Persiæ, & Mediæ.*

Cap. II. 7. *Qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissæ.* Puto tum hîc, tum ℣. 15. *Fratrem* non intelligi strictè dictum; sed generaliter *Consanguineum*, quod usitatum est Scripturæ. Ratio opinionis meæ est, quòd reliqui textus omnes, & hîc, & ℣. 15. Mardochæum dicant fuisse *Edissæ*, seu *Estheris patruelem*, non *Patruum*. Græca: *Filia fratris patris sui.* Chaldæa, & Hebræa בת דודו *Bath dodo. Filia patrui sui.* Reor proinde nomen *Fratris* hîc in Vulgata latè accipiendum; imò forsitan excidit vox *Patris*, ita ut primæva lectio fuerit: *Filia fratris patris sui.* Ad Cap. VIII. 1. *Quòd esset patruus suus.* Dico fortè Hieronymum transtulisse: *Patruelis*; neque enim in Hebræo, Græco, Chaldæo, quidquam eo loco reperitur de *patruo.*

CAPUT IV. VI.

Cap. IV. 3. *Crudele Regis Dogma.* Non tam doctrinam significat δόγμα, quàm *Placitum*, sive *Decretum.* Est in Hebræo hîc duplex vox, nempè דבר *Dabar. Verbum*, & דת *Dath. Lex. Verbum Regis, & lex Regis.*

Cap. VI. 9. Aman suasit clamandum: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Dicitur tamen ipse clamasse ℣. 11. *Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare.* Ne quis in hac verborum diversitate aliquid subesse putet, notet eadem omninò esse in Hebræo verba utroque versu, scilicet hæc: *Cacha jease laisch, ascher hammelech chapets bikaro. Sic fiet viro cujus Rex vult honorem.*

JOB.

JOB.

CAPUT II. V.

VErsu 5. *Tange os ejus.* Hebr. *Astmo. Os* ossis.

℣. 9. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Non intelligit uxor Job *stoliditatem*, seu *Insipientiam*; sed *Innocentiam*, & *Perfectionem*; Id enim significat Hebræum תמתך *Thummathecha.*

Cap. V. 2. *Verè stultum interficit iracundia.* Non est hic sensus: Illum, qui reverà stultus est, cum quo sensu coïncidit, quod Biblia Lovan. aliaque antiqua mendosè legunt: *Virum stultum.* Sed debet intelligi: *Ita verè fit, quòd stultum interficiat iracundia.* Patet ex Hebræo כי *Ki. Quia stultum.* LXX. *Etenim imprudentem.*

CAP. VI. VIII. XVIII. XIX. XXIV.

Cap. VI. 4. *Quarum indignatio ebibit spiritum meum.* In Hebræo, & Græco *Ebibit* est præsenti; sed VIII. 2. *Usquequo loqueris talia*, est futuro: *Dices.*

℣. 16. *Humectus videtur.* Non esse Substantivum, sed Adjectivum, ad quod subauditur *Scirpus*, aut *juncus*, patet ex Hebræo רטוב *Ratob. Humefactus. Virescens.*

XVIII. 8. *Immisit in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat.* Intelliguntur retis *maculæ*, quomodò vocantur Latinè ejus foramina, sive cancelli. q. d. Sicut avis reti capta, dum per foramina retis egredi conatur, sese magis magisque intricat, ita impius reti suæ concupiscentiæ captus, ex uno vitio repit in aliud, quasi ex una retis macula in aliam, & sensim se magis inextricabiliter implicat. Pro *Maculis* est in Hebræo & Græco *Rete.*

XIX. 20. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.* Posset quis hic *Os* oris intelligere, eo quòd sequatur: *Et derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* Sed cùm in Hebræo sit עצמי *Atsmi*, constat de *Osse* sermonem esse.

XXIV. 18. *Levis est super faciem aquæ.* Non designatur Glabrities, seu æquabilitas, sed *Levitas* ponderositati opposita, nam in Hebræo est קל *Kal. Levis, Velox.*

CAP. XXVIII. XXIX. XXXIV.

Cap. XXVIII. 7. *Semitam ignoravit avis.* Sensus hujus loci non est similis isti Proverb. xxx. 18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: Viam aquilæ in cœlo* &c. Sed isti quod dicitùr infra hoc cap. ℣. 21. *Volucres quoque cœli latet.* Nam vox *Avis* est in Nominavo. Patet ex Hebræo & Græco, quæ habent: *Non cognovit eam avis ulla.*

XXIX. 13. *Benedictio perituri.* Non ille, qui perire debet; sed qui periisset, nisi ei Job subvenisset; unde hìc *Perituri* idem est quod *Periclitantis*, seu *Pereuntis*, ùt est in Hebræo אובד *Obed.*

XXXIV. 5. Eliu arguit: *Dixit Job.. Deus subvertit judicium meum.* Beda, Lyranus, & alii quidam putant Eliu hæc referentem Jobo imponere, ac verba ipsius non fideliter adducere, eo quòd Job dixerit Cap. xxvii. 2. *Deus abstulit judicium meum*: aliud autem sit

 Sub-

Subvertere judicium, quod idem videtur ac iniquè judicare, quod Job de Deo non dixerat, aliud *Auferre Judicium*, seu *differre*, saltem ex mente Job.

Sed eorum speculationem non subsistere, manifestat Hebræus textus, quia in illo est utroque loco iisdem materialibus verbis: *El hesir misphati*, quod ad verbum translatum sonat: *Deus amovit judicium meum*, seu *Recedere fecit*.

CAP. XXXV. XXXVI. XXXVIII.

Cap. XXXV. 5. *Contemplare æthera quòd altior te sit*. Nempè *Æthera*; non *Deum*, ùt explicant Lyranus, & La Haye. Patet ex Hebræo, in quo *æthera* est in plurali *Schechakim*, & consequenter illis convenit Verbum plurale immediatè sequens *Gabehu*. *Excelsa sunt*.

XXXVI. 14. *Vita eorum inter effeminatos*. Hebr. *Kedeschim*. Vide dicta Deuter. XXIII. 17.

XXXVIII. 12. *Numquid post ortum tuum* (hoc est statim atque ortus es, sive creatus) *præcepisti diluculo*. Non est *Diluculo* Adverbium, sed substantivum בקר *Boker*. *Matutino tempori*, nimirum ut adesset ad jussionem tuam.

PSALMI.

PSALM. VII. IX.

PSal. VII. 12. *Numquid irascitur per singulos dies?* Ambiguum est, nempè an interroget negando, an asserendo, q. d. Utique indies irascitur. Ultimum habetur in Hebræo זעם *Zoëm*. *Irascens in omni die*, seu *indies*. Hieronymus vertit: *Comminans tota die*.

IX. 7. *Inimici defecerunt frameæ in finem*. Duobus modis potest intelligi. 1. Ad, seu per frameas, & jacula hostes penitùs defecerunt, & occisi sunt. 2. Frameæ, & reliqua arma hostis omnia omninò absumpta sunt, ita ut is amplius nocere non possit. Hic ultimus est verus sensus, atque adeò istud *Inimici* genitivus singularis, at *Frameæ* nominativus pluralis. Patet ex græco τοῦ ἐχθροῦ... αἱ ῥομφαῖαι. *Hostis enses*. Item ex Hebræo, in quo est: *O! inimice consummatæ sunt*, seu *finitæ frameæ* tuæ *ad finem* usque.

Versu, secundo loco 5. *Non est Deus in conspectu ejus*. Non videtur hic esse sensus: Impius non attendit Divinam præsentiam, sed iste: Impius cogitat nullum esse Numen; hunc enim important Hebræa: *Een Elohim col mezimmothau*. *Non est Deus*, vel *Nullum esse Deum*, sunt *omnes cogitationes ejus*.

ỳ. 6. *Non movebor à generatione in generationem sine malo*. Ne sic intelligas: Numquam movebor nisi per malum; sed ita: Numquam à felicitate jam habitâ decidam, semper *ero sine malo*, ùt rectè transtulit Hieronymus, cùm in Hebræo sit: אשר *Quia* (vel *Qui*) *sine malo*, supple *ero*.

ỳ. 9. *Rapere pauperem dum attrahit eum*. Non sumitur *Dum* pro *Donec*, ùt putat Tirinus, sed pro *Quando*; nam tam in Hebræo, quàm Græco est: *Rapiet pauperem in trahendo eum*. Hoc est: Diripiet *cùm attraxerit eum in rete suum*, ùt vertit Hieronymus.

Ps.

PSAL. X. XIII.

Ps. X. 7. *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur.* Putavit Eugubinus illa connecti: *Laqueos ignis*, q. d. Laqueos ignitos; verùm in Hebræo non est *Pache es*, sed פחים אש *Pachim es. Pluet Deus super peccatores laqueos, Ignem & sulphur*, vel in Nominativo: *Ignis.*

XIII. 1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Lyranus putat esse verbum Chaldæorum, non negantium omne Numen, sed blasphemantium Deum illum, quem colebant Judæi, non esse verum Deum. Attamen esse verbum negantis omne Numen, patet ex Hebræo: אין אלהים *Een Elohim*, quod rectè vertas: *Non datur ullus Deus.* Vide dicta Psal. IX. 5.

℣. 3. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Non intelligitur exceptivè, q. d. Omnes mali sunt *præter unum*, seu paucissimos; sed inclusivè, q. d. Nemo bonus, *nequidem unus.* Nam in Hebræo est: *Non etiam unus*; licet indubiè hoc commodè sit intelligendum, dictumque hyperbolicè. Idem est de ℣. 1. ubi tamen illud in Hebræo deest; sed habetur in Græco.

PSAL. XVII. XVIII. XX.

Ps. XVII. 41. *Inimicos meos dedisti mihi dorsum.* Quod hîc ambiguum, est clarum in Hebræo: *Inimicorum meorum dedisti mihi cervicem*; quando scilicet Te donante à me victi fugerunt.

℣. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni* &c. Istud *Alieni* est in Hebræo genitivus singularis: *Bene nechar. Filii* istius *alieni*, sed in Græco est nominativus pluralis υἱοὶ ἀλλότριοι.

XVIII. 14. *Ab alienis parce servo tuo.* Noli propter præcedentia: *Delicta quis intelligit?* &c. intelligere. Ab alienis peccatis; sed: Ab alienis hominibus, aut dæmonibus; est enim in Hebræo masculinum, nunc quidem מזדים *Mizzedim. A superbis, ab Insolentibus, à Nequam*: sed videntur legisse LXX. מזרים *Mizzarim. Ab alienis*, mutato ד *d*, in ר *r*.

Ibidem: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Non est *Mei* Nominativus pluralis, quo sensu refertur usurpasse Benedictus XII. per hunc versiculum repellens consanguineos suos, instantes ut ab ipso promoverentur. Etenim genitivi casûs esse, patet ex Hebræo בי *Bi. In me, contra me.*

XX. 12. *Declinaverunt in te mala.* Sensus non est: Mala super te venerunt, sed: Hostes tui conati sunt te malis involvere. Patet ex Hebræo: *Natu alecha raa*, quod ad verbum transtulit Hieronymus: *Inclinaverunt super te malum.*

PSAL. XXIII. XXVI.

Ps. XXIII. 7. & 9. *Attollite portas principes vestras.* Si attendamus Græcum οἱ ἄρχοντες, istud *Principes* est vocativus; sed si Hebræum, videtur Prosopopœia ad ipsas portas: *Seu schearim raschechem*; quod simpliciter sonat, sicut transtulit Hieronymus: *Levate portæ capita vestra.* Hoc est: Attollamini in altum, ut sublatis portis planus pateat introitus; cui congruit, quod

 sequi-

sequitur; *Et elevamini portæ æternales.*

XXVI. 4. *Unam petii.* Subintellige *Rem*, aut *Petitionem*, & nota Hebræos uti feminino genere pro neutro, quo carent, nec aliud censendum est voluisse Estium, dum hic notavit: *In Hebræo in neutro genere est: unum petii* &c. Nam ibi est femininum אחת *Achath. Unam*; item אותה *Othah. Hanc.*

PSAL. XXVII. XXX.

Ps. XXVII. 5. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus destrues illos.* Ex omissa interpunctione ante *Destrues illos*, ambiguum est illud: *Et in opera manuum ejus destrues illos.* Sed Hebræus textus clarus est, quia ita habet: *Quoniam non intelligent opera Domini, & opus manuum ejus, destruet eos* &c. Ita pariter Græca. Meritò etiam omitteretur istud *In* ibi: *In opera*, quod per Hebraïsmum est in Vulgata retentum, pro quo tam ibi, quàm post *Intelligent*, habetur in Hebræo Articulus אל *El*, qui valet *Ad*, sive *In*, ùt regit Accusativum, prout etiam Græcum εἰς.

XXX. 2. *Non confundar in æternum.* In Hebræo est אל *Al. Ne confundar.* Unde benè notat Estius. *Confundar* non est Futurum Indicativi, quasi affirmet se non confusum iri; sed est Optativi modi. Græcum καταισχυνθείην habet vim precandi, q. d. Confundi ne patiaris famulum tuum.

PSAL. XXXIII. XXXIV.

Ps. XXXIII. 4. *Exaltemus nomen ejus in idipsum.* Vocem *In idipsum* evolvit Hebræum יחדו *Jachdau. Unà, Simul, Pariter.*

℣. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Quid immittet? Seipsum in modum militaris præsidii *in circuitu*, hoc est circumquaque protegens eos, qui Deum timent. Hoc importat tam Hebræum חנה *Chone*, quàm Græcum παρεμβαλεῖ *Castrametabitur.*

XXXIV. 26. *Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur* sibi de *malis meis, induantur confusione & reverentiâ.* Non sumitur hîc, prout & pluribus aliis Scripturæ locis *Reverentia* pro ingenuo quodam pudore, conjuncto cum cultu ejus, propter quem accidit; sed pro mera erubescentia, quod signanter patet ex Hebræo *Climma. Erubescentia, Ignominia.*

PSALM. XXXIX.

℣. 7. *Aures autem perfecisti mihi.* Nunc est in Hebræo *Caritha. Perfodisti*, nimirum tamquam servo voluntario, qui permittens aures suas subulâ perforari, debebat irrevocabiliter (saltem usque ad annum Jubilæi) hero servire, juxta legem Exod. xxi. 5. 6.

Paulus Hebr. x. 5. ex græco legit: *Corpus aptasti*, seu *Perfecisti mihi*, hoc est Aptissimum & promptissimum ad obediendum. Videntur LXX. legisse כלית *Cillitha. Perfecisti*, pro כרית *Caritha. Perfodisti*, quod modò reperitur. Forte eraso superiori apice in Hebræo textu ex ל *l* factum est ר *r.*

℣. 8. *Holocaustum & pro peccato non postulasti.* Hæc non sunt ita intelligenda:

da: *Et non postulasti pro peccato holocaustum.* Sed ita: *Neque Holocaustum postulasti, neque* speciale *Sacrificium*, quod offerebatur, & dicebatur: *Pro peccato.* Patet ex Hebræo: *Ola, vachattath. Holocaustum, & Sacrificium pro peccato.*

In capite libri scriptum est de me &c. Quidam exponunt: *In prima pagina libri.* Item: *In primi libri capite.* q. d. Initio Genesis. Sed in Hebræo est: *In volumine libri.* Unde *in capite*, hîc idem est quod *In summa*, q. d. Tota Scriptura tractat de me, & de voluntate tuâ per me implendâ.

PSALM. XLIV.

℣. 2. *Dico ego opera mea regi.* In Paraphrasi græca illud *Dico* accipitur pro *Dicare*, seu *Offerre.* Hîc tamen non esse primæ, sed tertiæ conjugationis, seu Præsens ab Infinitivo *Dicere*, patet ex Hebræo: אמר *Omer ani. Dicens ego.* Ita pariter Græca & Chaldæa.

Constat etiam ex Hebræo *Le-melech*, istud *Regi* esse nomen Dativi casûs, à Nominativo *Rex*, non Verbum Infinitivum, q. d. *Dico opera mea dirigi*, quomodò hunc locum intellexisse quosdam viros doctissimos, expertus sum cum ipsis colloquens.

℣. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Non est Adverbium, sed Vocativus *Potentissime*, q. d. O heros strenuè ac potens. Patet ex Græco *δυνατέ*, & Hebræo *Gibbor. Tu ô potens.*

℣. 5. *Intende prosperè procede & regna.* Istud *Prosperè* non est connectendum cum *Intende*, sed cum *Procede*, quod patet ex Græco *κατευοδοῦ. Benè feliciterque tibi cedat via tua.*

℣. 14. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Istud *Filiæ* non esse Vocativum pluralem, quod putavit Richardus Pampolitanus, neque Nominativum, quod Cassiodorus; sed Genitivum singularem, patet ex Hebræo בת *Bath.*

PSAL. XLV. L. LI.

Ps. XLV. 3. 4. *Transferentur montes in cor maris: sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum.* Quorum? an *Montium*? Non, sed *Marium*, ùt est in Hebræo, & Græco; seu potiùs *Cordis maris*; nam in Hebræo est in singulari: *Aqua ejus*, præcessit autem solùm singulare לב *Leb. Cor.*

L. 5. *Peccatum meum contra me est semper.* Non dicit: Peccatum meum mihi perpetuus est hostis, mihi continuò adversatur; sed: Mihi semper obversatur, continuò illud ante oculos mentis habeo in conspectu; hoc enim, non primum, significat græcum *ἐνώπιόν μου* & hebræum נגדי *Negdi.*

LI. 6. *Dilexisti omnia verba præcipitationis.* Non reprehenditur hîc mera in loquendo festinatio, à quâ quis dicitur præcipitanter loqui; sed *Verba præcipitationis*, sunt talia, per quæ proximus, de quo similia dicuntur, perditur, absorbetur, de bonis, famâ, aut vitâ præcipitatur: hoc enim significat hebræum *Bala.*

PSAL. LII. LIV.

Ps. LII. In titulo istud *Intelligentiæ* non esse Nominativum pluralem; sed Genitivum singularem, patet ex græco

co *Συνέσεως*. In hebræo est etiam singulare מַשְׂכִּיל *Mascil*.

℣. 1. *Non est Deus*. Hebr. *Nullus est Deus*. ℣. 4. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Hebr. *Ne unus quidem*. Vide dicta Ps. xiii.

LIV. 4. *Declinaverunt in me iniquitates*. Apud Theodoretum est in Nominativo *ἀνομίαι*, ut sensus sit: Ipsæ iniquitates ad me venerunt, ut me invaderent, atque obruerent. Sed verus sensus est: Hostes mei me calumniati sunt, mihique detraxerunt, dicentes me esse magnum nequam; Est enim in hebræo & græco: *Devolverunt super me iniquitatem*. Multi etiam Latini codices habent in singulari *Iniquitatem*, quod optassem in correctis retentum, aut restitutum, cùm & ambiguum sensum dilucidet, & conforme sit hebræo & græco.

PSAL. LVIII. LIX. LXIV.

LVIII. 12. *Ne quando obliviscantur populi mei*. Sic etiam vertit S. Hieronymus. Porrò istud *Populi mei*, est ambiguum ad genitivum singularem, & ad nominativum pluralem, prout etiam hebræum עַמִּי *Ammi*. Genitivo transtulerunt LXX. At Symmachus Nominativo: *Populus meus*, cui non obstat, quòd dicatur *obliviscantur*; nam, quia vox *Populus* multitudinem denotat, Hebræi illam passim componunt cum Verbo plurali, quâ Phrasi dicitur in hebræo Psalm. lxiii. 10. *Et timuerunt omnis homo*. Ex hebræo tamen non constat istud *Populi mei*, debere sumi in nominativo plurali, licet hoc prætendant Menochius, & Lorinus.

LIX. 8. *Deus locutus est in sancto suo*. In Samuële revelante, ait Lyranus. *In me*: ùt quidam alii; sed si homo aliquis sanctus intelligeretur, scriberetur in hebræo קָדוֹשׁ *Kados*, hìc autem est בְּקָדְשׁוֹ *Be'kodscho*. *In sanctuario suo*, ùt vertit Hieronymus; nempè in Tabernaculo, vel è Propitiatorio.

LXIV. 9. *Exitus matutini, & vespere delectabis*. Ambiguitatem versione suâ tollit Hieronymus: *Egressus matutini, & vesperi laudantes facies*; atque ita verbotenus est in hebræo, item in græco *ἐξόδους πρωΐας, καὶ ἑσπέρας*. Ex quibus patet illud *Exitus* esse in Accusativo, & istud *Matutini* in Genitivo singulari, prout & illud *Vespere*, quod proinde rectiùs scriberetur per Diphthongum *Vesperæ*, qualiter in multis libris habetur.

PSALM. LXVII.

℣. 13. *Rex virtutum* quisque. Hebr. *Malche Tsabaoth*. *Reges exercituum*. *Dilecti dilecti*. Genitivus singularis *τοῦ ἀγαπητοῦ, τοῦ ἀγαπητοῦ*. *Et speciei domûs*. נְוַת בַּיִת *Nevath baith*. *Pulchritudinis*, vel *Pulcherrimæ domûs*.

℣. 14. *Si dormiatis inter medios cleros*. LXX. *In medio clerorum*, hoc est *Sortium*, seu *Duorum terminorum*, ùt sonat hebræum *Schepattaïm*.

℣. 15. *Dum discernit cœlestis reges super eam*. Non est sensus: Dum Deus cœli discernit, tu reges, seu gubernabis; sed *Reges* est nomen plurale; nam in hebræo est *Melachim*.

℣. 19. *Etenim non credentes inhabitare*

re Dominum Deum. Non intelligas sic: Sunt equidem qui non credunt Deum inhabitare Ecclesiam, vel cœlum. Sed quomodò est in hebræo: *Veaph sorerim lischan. Et etiam incredulos*, seu *rebelles* (supple ex anterioribus *cepisti*) *ad inhabitandum*, seu *ut inhabitet Dominus Deus* in eis conversis. Ita etiam textus Chaldæus.

℣. 21. *Domini Domini exitus mortis*. Hebr. *Domini Dei* sunt *egressiones mortis*. Hoc est: ope illius exitur à morte.

℣. 23. *Convertam in profundum maris præcipitatos*. Non verò est sensus: Ad profundum adigam; etenim in hebræo est: *Reducam ex profunditatibus maris*.

℣. 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis*. Non intelliguntur præcisè homines sancti, sed ùt Hebræa: *Mimmikdaschecha. A*, vel *de*, seu *ex sanctuariis*, quamvis ipsi etiam homines sancti rectè vocari possint, & intelligi *Sanctuaria Dei*.

PSAL. LXVIII. LXX. LXXII.

LXVIII. 3. *Non est substantia*. Id est Divitiæ, inquit Lyranus, qui meritò addit: Aliter: Non est virtus subsistendi; nam in græco est ὑπόςασις. *Subsistentia*. In hebræo מעמד *Moomad. Firma statio*. q. d. Non possum firmum pedem figere in cœno, in quod demersus sum.

℣. 20. *Reverentiam meam*. Hebr. *Climmathi. Ignominiam*, quam innocens sustinere debeo.

LXX. 1. *Non confundar*. Hebr. *Al. Ne confundar*. Vide dicta Ps. xxx.

LXXII. 1. *Quàm bonus Israël Deus*. Non est *Israël* Vocativo casu, quasi Psalmista populum Israël alloqueretur; neque etiam Genitivo, q. d. *Deus Israëlis*. Sed Dativo. Colligitur tum ex græco, τῷ Ἰσραὴλ *Israëli*. Tum ex hebræo לישראל *Le-Israël*, quamvis enim Articulus ל *L* quandoque genitivum indicet; genuinè tamen, & per se est nota Dativi, præsertim hîc, cùm aliàs dici debuisset: *Deus Israël*.

℣. 10. *Ideò convertetur populus meus hic*. Non est *hic* Pronomen, q. d. *Iste populus*, sed Adverbium. Patet ex hebræo *Halom*, & græco ἐνταῦθα. *Hîc. Illic*.

℣. 25. *A te quid volui super terram?* Non ita intelligas: Nihil desideravi mihi per te in terra præstari, ùt explicat Menochius. Sed ùt est in hebræo: *Tecum nihil volui*. Clarius LXX. παρὰ σοῦ. *Præter te*.

PSAL. LXXVI. LXXVII.

LXXVI. 3. *Manibus meis nocte contra eum*. Non dicit se operibus suis nocturnis fuisse contrarium Deo, seu Deum offendisse; sed *contra eum*, est: *E regione ejus*. q. d. Extensis manibus eum, quasi coram me existentem conspexissem, sum deprecatus. LXX. ἐναντίον αὐτοῦ. *Coram*, sive *Ante eum*. Videntur in hebræo legisse נגדו *Negdo. E regione ejus. Coram eo*, pro eo quod modo est נגרה *Nigra. Jadi lajela nigra. Manus mea de nocte extensa fuit*.

℣. 14. *Deus in sancto via tua*. In sancto tuo Angelo præcedente Hebræos in deserto, ait Lyranus, sed melius Alii: *In sanctitate*, ùt est in hebræo בקדש *Bakkodes*. Hoc est: Sanctissima

ma sunt omnia opera tua, etiam quando nos pro meritis castigas & exerces.

LXXVII. 41. *Sanctum Israël.* Hebræa & Græca: *Sanctum Israëlis.* Nempè Deum Sanctissimum, & totius sanctitatis populi Israël auctorem.

℣. 63. *Virgines eorum non sunt lamentata.* Non esse activum, sed passivum, patet ex hebræo: *Lo hulalu*; unde vertit Hieronymus: *Virgines ejus nemo luxit.* Similiter ℣. 64. *Viduæ ejus non plorabantur.* Hieronymus ex hebræo: *Viduæ non sunt fletæ.*

PSALM. LXXIX.

℣. 2. *Manifestare coram Ephraïm.* Non esse Infinitivum, sed Imperativum passivum, docet tum græcum ἐμφάνηθι, tum hebræum *Hophia. Manifestus fias, Appare.*

℣. 17. *Incensa igni & suffossa ab increpatione vultûs tui peribunt.* Ne intelligas: *Illa quæ combusta sunt, & suffossa* in vineâ tuâ *peribunt*, seu amplius talia non erunt; sed increpante Te Deus hostes nostros, restaurabuntur. Sensus enim est: Vinea ista tua *incensa* est *igni*, & *suffossa.* Ita siquidem in Nominativo feminino singularis numeri est tum in græco, tum in hebræo; Hinc Hieronymus transtulit: *Succensam igni, & deramatam*, supple: *Visita & perfice*, ùt præcessit, atque ita *Ab increpatione vultûs tui peribunt* hostes, seu *Pereant*, ùt vertit Hieronymus, ne vineam istam tuam deinceps incendant &c. Rectiùs proinde interpunctio aliqua poneretur post *suffossa*, quæ quia omissa est, datur occasio, ut sensu non genuino sumatur hic locus.

PS. LXXXI. LXXXIII. LXXXVI.

LXXXI. 6. *Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes.* Est evidens ex hebræo illud *Excelsi* esse Genitivum singularem, non Nominativum pluralem.

LXXXIII. 8. *Ibunt de virtute in virtutem.* Hieronymus: *De fortitudine in fortitudinem.* Ita etiam hebræa & græca.

LXXXVI. 4. *Memor ero Rahab.* Rectè monet Menochius: Vox *Rahab* non significat *Rahab* meretricem, cujus mentio fit Jos. II. nam nomen meretricis scribitur per ח *Cheth* רחב Ῥαχὰβ, at vox *Rahab*, quæ hoc Psalmo habetur, per ה *He* רהב Ῥαὰβ, significatque *Superbiam*, & juxta Interpretes passim, hìc designat Ægyptum.

℣. 5. *Numquid Sion dicet?* Non est sensus: *Numquid ipsa Sion loquetur?* ùt habet mendosa lectio LXX. atque ex ipsa Augustinus, & Cassiodorus: *Mater Sion dicet.* Μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ, quia ùt reflectit Hieronymus, correctiora græca habent, legendumque est Μή τι; *Numquid?* Etiam in hebræo est *Sion* Dativi casûs לציון *Li-Tsion. Sioni. Numquid Sioni dicet* aliquis? Ideò vertit Hieronymus: *Ad Sion dicetur.*

PSAL. LXXXIX. XCV.

LXXXIX. 5. *Custodia in nocte*, est ùt Hieronymus vertit hebræum *Asmura*, *Vigilia nocturna*, spatium scilicet trium horarum.

Ibidem: *Mane sicut herba transeat, mane floreat* &c. Videri posset optari, ut ipsum *Mane*, seu Matutinum tempus.

pus *transeat*; præsertim cùm non præcedat substantivum singulare aliud, quod transiret, floreret, &c. Sed tum illud sequens: *Vespere decidat.* Tum maximè hebræum *Babboker. In matutino tempore*, ostendit illud *Mane* non esse substantivum, sed Adverbium, atque adeò illa: *Transeat, Floreat, Decidat*, ad *hominem* referri, de quo dixerat ℣. 3. *Ne avertas hominem.*

XCV. 7. *Afferte Domino patriæ gentium.* Non designatur hîc illud, quod Latini vocant *Patriam*, nempè solum natale, sed *Familia, Tribus, Cognatio*, sive id, quod significat græca vox πατριά, quæ hîc est in græco, prout & Psalmo xxi. 28. ubi Vulgata: *Universæ familiæ.* Hieronymus ibi *Cognationes*, hîc *familiæ.* Imò hic idem versus Psalmi, quem tractamus, translatus est in Vulgata I. Par. xvi. 28. *Afferte Domino familiæ populorum.* His tribus locis est in hebræo: *Misphechoth. Familiæ, Tribus, Cognationes.*

PSALM. CIII. CIV.

CIII. 2. *Confessionem & decorem induisti.* Ita & græca ἐξομολόγησιν. Sed reliqui omnes Interpretes *Gloriam*, aut quid simile, nam hebræum *Hod* propriè significat *Gloriam*, & *Decorem*, nisi velis contortè derivare הוד *Hod* à ידה *Jada*, quomodò equidem significaret *Confessionem* laudis. Hîc porrò intelligitur objectum Laudationis. Proinde non est sensus litteralis, sed merus accommodatitius, quòd Quidam moraliter explicent, aut potiùs utantur hoc loco, q. d. O peccator! per confessionem peccatorum indues decorem gratiæ sanctificantis.

℣. 17. *Herodii domus dux est eorum.* gr. *Nidus Herodii præest eis.* Id est principalior est nidis reliquarum avium.

CIV. 6. *Semen Abrahæ servi ejus: filii Jacob electi ejus.* Istud *Electi ejus*, tam in hebræo, quàm græco est in Nominativo plurali: *Filii Jacob* sunt *electi ejus*; prout etiam illud *Servi ejus* in græco δῦλοι. Videturque ita pariter fuisse in hebræo, nempè עבדין *Abadau*, quamvis modò litterâ י demptâ, sit in genitivo singulari עבדו *Abdo.*

PSAL. CVI. CVII. CVIII.

CVI. 25. *Dixit & stetit spiritus procellæ.* Immeritò Vulgatam carpit Joannes Faber; nam *Stetit* hîc non significat tempestatem cessasse; sed adfuisse, ac permansisse ad voluntatem Dei. Hinc Lyranus. *Non importatur quietatio venti, sed magis fortificatio, sicut homo stans fortior est, quàm jacens, vel sedens; propter quod in translatione Hieronymi habetur: Dixit & surrexit ventus tempestatis.* Augustinus: *Quid est stetit? Permansit, Perduravit.* In hebræo est: *Vajjaamed. Et stare fecit. Statuit. Stabilivit*, ab עמד *Amad. Consistere. Permanere*, atque hoc sensu *Stare*: Unde idem verbum habetur Psalm. cviii. 6. *Diabolus (Jaamod) stet à dextris ejus.*

CVII. 8. *Deus locutus est in sancto suo.* Hieron. ùt hebræa: *In sanctuario suo.*

CVIII. 6. *Diabolus stet à dextris ejus.* Hebr. *Satan.* Utrumque idem est ac *Adversarius, Accusator, Criminator*; unde hîc forsitan non intelligitur de-

terminatè spiritus nequam, qui Antonomasticè *vocatur Diabolus & Satanas.* De ipso tamen intelligi nihil vetat.

℣. 28. *Maledicent illi, & tu benedices.* Non est *Illi* Dativus singularis, sed Nominativus pluralis, quod patet ex græco αὐτοῖ, & hebræo *Hemma.*

PSALM. CIX. CX.

CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo.* Primo loco est in hebræo nomen Dei essentiale יהוה quod nulli creaturæ unquam à Scriptura tribuitur: Secundo tamen loco est materiale nomen אדני *Adoni*, quod significat Dominum quemcumque, seu superiorem, passimque legitur etiam tributum hominibus.

℣. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Quàm multi psallentium hîc per vocem *Principium* putant designari Exordium, sive Initium! Lyranus Deum Patrem interpretatur, qui omnium tum in Divinis, tum in creatis exordium est. Sed ex hebræo *Nedaboth* patet intelligi *Principatum*, sive *Imperium.* Hoc etiam significat vox ἀρχὴ (quæ hîc est in græco, & æquivocatione suâ dedit occasionem ambiguæ translationis) unde & *Princeps* hebraïcè vocatur *Nadib*, & in græco ἄρχων. Suetonius etiam *Principium* pro *Principatu* usurpavit.

De hoc Psalmi ambiguo loco ita quidam modernus Scriptor: *Qui novit hebraïcè Principium pro Principatu, & Imperio positum non ignorat, eadem enim occurrit vox, ac Isai. 9. Factus est Principatus super humerum ejus.* Sed nihil omninò valet ista probatio; etenim pro *Principatu*, est in hebræo Isa. IX. 6. משרה *Misra*, in qua voce ne una quidem eadem est littera, cum illis, quæ sunt in voce נדבת *Nedaboth*, quæ in hoc Psalmo vertitur *Principium.*

CX. 3. *Confessio & magnificentia opus ejus.* Non sic intelligas: Opus Dei est, seu per gratiam ejus fit, ut peccator veniat ad confessionem, & ita fiat magnus in justitia, & sanctitate. Nam hîc iterum sunt præcisè eadem verba: *Hod, vehador*, quæ Psalm. CIII. Interpres transtulit *Confessionem, & decorem.* Vide ibi dicta. Hîc vertit Hieronymus: *Gloria & decor opus ejus.* Sensus autem Vulgatæ est: Omnia & singula opera Dei digna sunt ut ab hominibus laudentur, Deo adscribantur, & magnificentur.

PS. CXI. CXII. CXXI. CXXVI.

CXI. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Posset quis istud *Volet* sumere ùt Imperativum à Verbo *Volare.* q. d. Sit adeò paratus ad mandata Dei exequenda, ut non tam currere, quàm volare videatur. Sed à *Velle* derivari, patet ex græco θελήσει, & hebræo *Chapets*; unde sensus est: Ardenter *cupit*, in illis sibi *complacet*, & satagit adimplere.

CXII. *Laudate pueri Dominum.* Hîc *Pueros* Scripturæ more pro servis sumi, docet hebræum עבדי *Abde. Servi.*

℣. 2. *Ex hoc nunc.* Noli per interpunctionem separare *Hoc* & *Nunc*, Nam in hebræo est *Meatta. Ex nunc.* Hieron. *A modò.*

CXXI.

CXXI. 7. *Fiat pax in virtute tua* Non est hic sensus: Domine Deus procura nobis pacem per omnipotentiam tuam. Sed *Virtus* (ùt constat ex hebræo *Chel*) significat Propugnaculum, aut mænia civitatis, *Pax* autem prosperitatem. Hinc Hieronymus: *Sit pax in muris tuis.*

CXXVI. 3. *Ecce hereditas Domini filii merces fructus ventris.* In hebræo est *Banim. Filii* Nominativo plurali: *Fructus. Pri* Nominativo singulari; sensus est: *Filii* sunt *hereditas Domini*, seu quos Deus dat, aut etiam quos specialiter ùt suos possidet: *Merces* autem justorum est *fructus ventris*, seu bona posteritas.

PS. CXXXI. CXXXII. CXXXIV.

CXXXI. 5. *Requiem temporibus meis*, Laterales capitis partes intelligi patet ex græco κροτάφοις.

CXXXII. 3. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Cùm legamus Deuter. IV. 48. *Montem Sion, qui est & Hermon*: Videri posset hîc *Sion* dici pars quædam inferior montis *Hermon*, in quam ex superiori jugo ros deflueret. Sed cùm in hebræo non sit שיאן quomodò aliter vocatur *Hermon*, sed ציון Patet montem Jerosolymitanum intelligi, ac sensum esse: *Sicut ros in Hermon descendens*, atque etiam *sicut ros, qui descendit in montem Sion* Jerosolymis.

CXXXIV. 14. *In servis suis deprecabitur.* Hieronymus ex hebræo: *In servos suos erit placabilis.*

PSAL. CXXXVII. CXXXVIII.

CXXXVII. 3. *Multiplicabis in anima mea virtutem.* Hieronymus *Dilatabis animæ meæ fortitudinem.* Est enim in hebræo עז *Oz. Robur. Fortitudo.*

CXXXVIII. 15. *Non est occultatum os meum à te.* S. August. *Possemus hîc putare os esse ab eo, quod sunt ora, non Ossum, ab eo quod sunt ossa. Hoc in græco invenitur* (ὀστοῦν, atque etiam in hebræo *Otsmi*) *Habeo in abscondito quoddam ossum, sic enim potiùs loquamur. Melius est ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* Hinc Hieronymus: *Non sunt operta ossa mea.*

℣. 16. *Imperfectum meum* &c. Varii intelligunt q. d. Imperfectiones meas; sed aliud significari docet hebræum *Golmi. Meum embryon*, hoc est me, cùm adhuc in utero matris existens, essem imperfectus fœtus; unde vertit Hieronymus: *Informem adhuc me.*

PS. CXLV. CXLVII. CXLVIII. CL.

CXLV. 4. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam.* Redibit spiritus, sive anima in resurrectione ad corpus suum, quod in pulverem, sive terram fuerat redactum. Ita explicat La Haye. Sed hîc de morte, non de resurrectione agi, ostendit quod sequitur: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Deinde istud *Revertetur* non de anima dici, sed de homine, seu ejus corpore (juxta illud Gen. III. 19. *Donec revertaris in terram* &c. Item Eccles. XII. 7. *Revertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum*) patet ex hebræo, in quo illud *Exibit* est femininum תצא *Tetse*, certumque est ad *Spiritum*, seu femininum *Ruach* referri;

ferri; sed *Revertetur* est Masculinum יָשׁוּב *Jaschub*, quod proinde de *Homine* dicitur; si enim de *Spiritu*, esset in hebræo femininum תָּשׁוּב *Taschub*.

CXLVII. 17. *Mittit crystallum suam sicut buccellas*. Latinus Interpres retinuit græcum κρύσαλλος, quod significat & *glaciem*, & quemdam lapidem pretiosum. Hîc sumi pro *grandine*, quæ etiam glacies est, & per *buccellas* cadit, indicant conjuncta de nive, gelu, &c. probatque hebræum *Korcho*. *Glaciem suam*, ùt etiam transtulit Hieronymus.

CXLVIII. 14. *Confessio ejus*. Iterum הוֹד *Hod*. Hieron. *Gloria*, objectum confessionis laudativæ. Vide dicta Psal. CX.

CL. 1. *Laudate Dominum in sanctis ejus*. Hebr. *Bekodscho*. *In sanctuario*, vel *In sanctitate ejus*, non verò præcisè in sanctis Angelis, aut hominibus.

PROVERBIA.

CAPUT I. II.

VErs. 12. Impii dicunt: *Deglutiamus eum... & integrum quasi descendentem in lacum*. Non ita intelligas: Eum *totum* absumamus, acsi decidisset in barathrum; quia *Integer* hîc est *Innocens*, seu *Perfectus*, ùt significat hebræum תְּמִימִם *Thamim*.

℣. 33. *Timore malorum sublato*. Istud *Malorum* esse Neutrum patet ex hebræo: *Et pacatus erit à timore malitiæ*. רָעָה *Raa*.

Cap. II. 7. *Custodiet Deus rectorum salutem*. Non intelligi *Rectores*, seu qui regunt, neque subditos, sive qui reguntur; sed justos bonos, atque adeò à *rectitudine rectos*, demonstrat hebræum יְשָׁרִים *Jeschârim*.

CAPUT III. IV.

Cap. III. 14. *Melior est acquisitio* Sapientiæ *negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus ejus*. *Purissimi* non est adjectivum *fructûs*, q. d. Sapientiæ fructus esse purissimos; sed fructus sapientiæ dicitur melior auro primo & purissimo; est enim in hebræo: *Et præ Charuts* est *proventus ejus*. Est autem חָרוּץ *Charuts* aurum optimum, seu primum, & purissimum.

Cap. IV. 3. 4. *Ego filius fui patris mei, tenellus & unigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicebat*. Non dicit Salomon se doctum atque instructum à matre sua; sed asserit hoc præstitisse patrem suum, quod patet ex hebræo, in quo utrumque Verbum est masculinum: *Et ille instruxit me, illeque dixit mihi*.

CAPUT V. X. XI.

Cap. V. 6. *Vagi sunt gressus ejus meretricis, & investigabiles*. Non: Qui investigari, seu deprehendi possint; sed potiùs econtrariò; Qui non possint deprehendi; nam in hebræo est: *Non scies*. Nequibis deprehendere.

X. 6. *Os impiorum operit iniquitas*. Non de *Osse* dici, sed de *Ore*, patet ex hebræo, פִּי *Pi*. Idem nota ℣℣. 11. 14. 31. 32.

XI. 6. *Justitia rectorum liberabit eos*. Hos qui recti sunt, ùt est in hebræo.

℣. 22. *Circulus aureus in naribus suis*, mu-

mulier pulchra & fatua. Non est *suis* Pronomen possessivum, q. d. Mulier pulchra & fatua, indiget morali circulo aureo in naso suo; sed est Genitivum à voce *sus*, est enim in hebræo: *In nare porci.* חזיר *Chazir.*

CAPUT XIII. XVI. XXI.

Cap. XIII. 15. *In itinere contemptorum vorago.* Non intelliguntur *Contempti*, sed *Comtemnentes.* Patet ex hebræo *Bogedim*, est enim בגד *Boged. Contemptor, Prævaricator.*

XVI. 14. *Indignatio Regis nuncii mortis.* Nominativus pluralis est *Nuncii*, non Genitivus singularis, nam in hebræo est *Malache. Qui nunciant.*

XXI. 8. *Perversa via viri aliena est.* Hoc libro, & in Ecclesiastico passim uxor impudica viri alterius, imò quævis meretrix, vocatur *Aliena.* Itaque videri posset eodem sensu etiam hîc sumi; sed ex hebræo masculino זר *Zar. Alienus*, patet esse Adjectivum *Via* דרך *Derech*, quod etiam est masculinū in hebræo, in quo habetur: *Perversum iter viri, & alienum.* Vel etiam: *Et alieni.*

CAP. XXII. XXIV. XXX.

Cap. XXII. 14. *Fovea profunda, os alienæ.* Hîc *Aliena* sumitur pro *Meretrice*, aut potiùs adultera; *Os* autem pro blandimentis, & lenociniis, seu verbis oris ejus, quibus juvenes, ac conjugatos viros ad peccatum, & ruinam, quasi in foveam profundam trahit. In hebræo quippè est פי *Pi. Os* oris *alienarum* scilicet mulierum.

XXIV. 12. *Servatorem animæ tuæ nihil fallit.* Hoc solo Vulgatæ loco habetur nomen *Servator*, quod hîc non significat *Salvatorem*; sed *Custodem*, & *Observatorem.* Flandricè: *Behoeder*, non *Salighmaeker.* Patet hoc ex hebræo נצר *Notser. Qui servat, Qui custodit, Servans, Servator.* At *Salvans, Salvator* Hebraïcè dicitur מושיע *Moschia.* Porrò quantum dignitate distet nomen *Servator*, à *Salvatore*, vide apud Estium in Philipp. III. 20.

XXX. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ.* Illud *Sanguisugæ* non esse Nominativum pluralem, sed Dativum, aut Genitivum singularem, fit manifestum ex hebræo: *La-aluka schette banoth. Hirudini*, sive *Hirudinis* sunt *duæ filiæ.* Hoc est: *Hirudo*, sive *Sanguisuga habet duas filias.*

℣. 25. *Formicæ populus infirmus.* Non est Genitivus singularis, sed Nominativus pluralis: Hebr. *Nemalim. Hæ formicæ.*

ECCLESIASTES

CAPUT IV. X. XI. XII.

CAp. IV. 15. *Cum adolescente secundo.* Ambiguum est an *Secundus* dicatur pro *Fortunato*; an verò notet ordinem, voceturque *Secundus* ante quem alter, seu primus. Postremum manifestant hebræa, quæ pro *Adolescente secundo*, habent: *Secundo genito.*

X. 1. *Pretiosior est sapientia & gloria parva & ad tempus stultitia.* Multi jungunt istud *Parva* cum *Gloria.* Alii legunt per Ablativum absolutum *Parvâ*

stulti-

stultitiâ. Sed genuinus sensus est, affectatæ Sapientiæ, & ostentatæ gloriæ prævalere modicam, & ad tempus simulatam stultitiam, aut simplicem innocentiam. In Hebræo siquidem est: *Pretiosum est*, seu *Prævalet præ sapientia*, & *præ gloria*, *stultitia modicum*. Unde *Sapientiâ* & *gloriâ* debent legi in Ablativo absoluto.

XI. 2. *Da partem septem*, *nec non & octo*. Hoc est: Pluribus egenis, seu tam multis, quàm tuæ tibi permittunt facultates; nam illa *Septem*, & *Octo* sunt Dativi casûs, est enim in hebræo & græco: *Da partem septenis*, *atque etiam octonis*.

XII. 5. *Excelsa quoque timebunt*. Non ipsa excelsa erunt timentia; sed homines senes timebunt excelsa; etenim in hebræo est: *Etiam de* (vel *ab*) *excelso timebunt*.

CANTICA.

CAPUT III. V.

VErs. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*. Non intelligitur mensa, in quam fercula, seu cibi inferantur, sed Sella gestatoria, in quâ magnificè ipse Salomon deferretur, qualem Belgæ vocant *Litiere*, & à *ferendo* dicitur *ferculum*, prout & græcè φορεῖον. Porrò ex LXX. & Hieronymo habemus istud significare hebræam vocem אפריון *Appirjon*, quæ nusquam nisi hoc loco habetur.

℣. 10. *Media charitate constravit*. Non est sensus: Mediante charitate; sed quòd intermedias ferculi partes splendentibus, & pretiosissimis, atque adeò desiderabilibus, seu amabilibus lapidibus constraverit: est enim in hebræo תוכו *Tocho*. *Medium ejus*.

Cap. V. 9. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Interpres retinuit Hebræam Phrasim; imò vertendo *Ex* involvit sensum, qui est: Quis, ac qualis est tuus ille adeò dilectus, præ dilecto alio quopiam, seu præ omnibus aliis dilectis; nam in Hebræo est Præpositio מן *Min*, quæ valet *A. De. Ex. Præ. Propter. Plusquam* pro circumstantiis, in quibus adhibetur, estque frequentissimè, (atque adeò hîc) nota comparationis, idem valens ac *Præ*, prout in libro Proverbiorum sæpissimè ponitur. In Hebræo est מה דודך מדוד *Ma dodech middod*. *Quid* est, vel habet *dilectus tuus præ dilecto* quovis alio?

℣. 11. *Comæ* capitis *ejus sicut elatæ palmarum*. Ex hebræo constat *Elatæ* non esse Adjectivum, q. d. *Elevatæ*, prout intellexerunt Interpretes Bibliorum Lovaniensium tam Galli, quàm Flandri: *Opgeheven*. *Eslevées*; sed substantivum Græcum ἐλάται, ùt etiam transtulerunt LXX. Et autem ἐλάτη, germen Palmæ instar facculi continens gemmas florum palmæ, quo se pandente, prorumpunt innumeri flosculi, longis nigrisque villis, quasi crinibus appensi. Hinc sponsa: *Comæ ejus sicut Elatæ palmarum*, *nigræ quasi corvus*.

℣. 12. *Oculi ejus sicut columbæ*. Non instar oculorum unius columbæ, sed ipsi oculi similes columbis, nam istud

Colum-

Columbæ esse Nominativum pluralis numeri, patet ex hebræo יונים *Jonim.*

℣. 15. *Species ejus ùt Libani, electus ùt Cedri.* Illud *Libani* esse Genitivum singularem, *Cedri* verò Nominativum pluralem, patet ex hebræo, & græco, in quibus est: *Species ejus sicut Libanus, electus* est, *ùt* sunt *Cedri.*

CAPUT VII. VIII.

Cap. VII. 5. *Coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.* Sicut purpureum Regis paludamentum decenter revinctum, seu plicatum per plicas, & quasi sulcos, qui hîc à similitudine vocantur *Canales*, etiam in Hebræo רהטים *Rehatim.*

VIII. 12. *Mille tui pacifici.* Rectè notavit Lyranus: *Tui pacifici* sunt Genitivi casûs singularis numeri, non Nominativi pluralis, quod patet per litteram Hebraïcam, quæ talis est: *Mille tibi ô Salomon!* seu *Pacifice.*

SAPIENTIA.

CAPUT I.

VErs. 3. *Perversæ cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corripit insipientes.* Benè notat Menochius: Non est hîc ἀρετὴ, hoc est *Virtus*, quæ opponitur vitio, sed δύναμις *Fortitudo, Potentia.* Sensus autem est: Potentia Dei δοκιμαζομένη multis *experimentis comprobata*, ἐλέγχει *Redarguit, Convincit*, & quasi invicto argumento demonstrat, esse insipientes eos, qui de Divina potentia malè sentiunt.

℣. 5. *Spiritus sanctus disciplinæ* (παιδείας *Eruditionis, correptionis*) *effugiet fictum.* Hîc *Fictum* non esse Adjectivum, prout Multi intelligunt, sed substantivum, manifestat græcum δόλον. *Dolum.*

Corripietur à superveniente iniquitate. Id est *Punietur*, inquit Lyranus, nempè *fictus* ille; sed, ùt ostendi, non præcessit *Dolosus*, sed *Dolus.* Deinde contextus suadet, ac græca docent de Spiritu Sancto hæc dici, nam nullum aliud suppositum præcessit in græco, ubi est: *Confutabitur superveniente iniquitate.* Hinc rectè Tirinus: Spiritus S. confutabitur, refelletur, indignè tractabitur, ac proinde fugabitur *ab* illa fictionis dolosa *iniquitate* in animam hominis *superveniente.* Loquitur Scriptura more humano, sicut Paulus Ephes. IV. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum.*

℣. 7. *Hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Nempè Divinum Numen Spiritûs Sancti omnia conservat, omnia complectitur, ubique existit, atque adeò omnes voces publicas, & secretas audit, perfectissimamque omnium habet scientiam. Interpres retinuit Genus neutrum vocis Πνεῦμα *Spiritus*; inde dixit: *Hoc quod*, pro *Hic qui*, ùt legit S. Augustinus in Speculo.

℣. 9. *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Non ipsæ cogitationes interrogabunt; sed interrogabuntur, sive examinabuntur, à cordium scrutatore Deo, ùt important Græca.

CAPUT II. III.

℣. 2. *Quoniam fumus flatus est in naribus nostris.* Non, ùt Bikellius puta-

vit, *Flatus* hìc eſt Participium, q. d. *Afflatus fumus*; ſed Nomen, q. d. Anhelitus noſter, ſeu anima principium illius, eſt inſtar fumi. Patet ex græco ὅτι καπνὸς ἡ πνοὴ. *Quia fumus* eſt *illa aſpiratio* &c.

℣. 15. *Immutata ſunt viæ ejus.* Ne exponas: *Non mutata*, ſed *Permutata*, hoc enim ſonat græcum ἐξηλλαγμένος, cui verbotenus correſpondet Flandricum: *Uytgewiſſelt.*

℣. 19. *Ut ſciamus reverentiam ejus.* Græcum Ἐπιείκειαν, ſignificat *Modeſtiam*, *manſuetudinem*, *moderationem*, *clementiam.* Senſus itaque eſt: Ut videamus, quâ animi moderatione, ac manſuetudine contumelias, atque tormenta perferat Chriſtus, ut etiam tantoperè læſus, quaſi vereatur ſe ipſum vindicare, imò ſe ſinat à nobis occidi, eſt enim ἐπιεικὴς, *Qui de jure ſuo remittit.*

Cap. III. 2. *Æſtimata eſt afflictio exitus illorum.* Iſtud *Exitus* Nominativum eſſe, non Genitivum patet ex græco ἡ ἔξοδος. Senſus eſt: Exitus juſtorum de hoc mundo reputatus fuit ab Atheis magna juſtorum κάκωσις. *Miſeria.*

℣. 6. *In tempore erit reſpectus illorum.* In die judicii inſpicientur, & pro meritis mercedem accipient; nam in græco eſt ἐπισκόπη. *Superinſpectio.*

℣. 13. *Maledicta creatura eorum.* Græce γένεσις *Generatio*, *Progenies. In reſpectione.* Cùm inſpicientur *animæ ſanctæ*, in judicio extremo. ἐν ἐπισκοπῇ.

CAPUT IV.

O quàm pulcra eſt caſta generatio cum claritate! Ne quis intelligat caſtam filiorum in matrimonio generationem, notandum in græco eſſe ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς. *Liberorum carentia virtuoſa*; illa nimirum, quæ non ex naturæ ſterilitate, aut generandi impoſſibilitate provenit, ſed ex Virtute Virginitatis. Ἀτεκνία eſt vox Privativa, cujus poſitivum Contrarium τεκνία *Parturitio*, *Liberorum procreatio.*

℣. 8. *Cani autem ſunt ſenſus hominis.* Vox *Cani* non eſt Adjectivum *Senſus*, q. d. *Senſus hominis hi ſunt cani*; ſed vox *Cani* eſt Subſtantiva, vox *Senſus* in Nominativo ſingularis numeri. Sic ergo intelligendum eſt: Prudentia hominis juſti, eſt illi, quamvis ætate adhuc juvenis ſit, tamquam veneranda canities; Etenim in græco eſt: *Canities autem eſt prudentia hominibus.*

℣. 12. *Tranſvertit ſenſum ſine malitia.* Iſtud *Sine malitia*, non refertur ad *Tranſvertit*, ſed ad *Senſum*; neque enim dicitur innocuè tranſvertere, ſed quòd pervertat *Senſum* (ſeu, ùt in græco eſt) νοῦν ἄκακον *Mentem non-malitioſam.*

℣. 19. *Diſrumpet illos inflatos ſine voce.* An ſine voce, ſolâ voluntate diſrumpet Deus impios ſuperbos? An diſrumpet obmuteſcentes, ſeu loqui non valentes, ùt *obmutuit ille* Matth. XXII. 12. Poſtremum ſenſum manifeſtat græcum ἀφώνους. *Mutos*, qui loqui vel non poterunt, vel non audebunt, præ confuſione, & conſcientiâ ſcelerum.

CAPUT V. VI.

Cap. V. 13. *Virtutis nullum ſignum valuimus oſtendere.* Hìc (quod in Vulgata

gata rarum) *Virtus* sumi videtur prout opposita vitio, nam in græco est ἀρετὴ, non δύναμις.

℣. 17. *Diadema speciei.* Speciosum. τῦ κάλλυς *Pulchritudinis.* Ita *Species* hoc libro passim sumitur.

℣. 23. *A petrosa ira.* Non dicitur Ira Dei *petrosa*, quasi obfirmata, & irrevocabili decreto stabilita; sed ab effectu, quòd mittat petras, quæ conterant impios; est enim in Græco ἐκ πετροβόλυ θυμῦ. *Ex petras-jaciente irâ*, Fundente grandines instar lapidum.

VI. 4. *Data est... vobis.. Virtus ab Altissimo.* Per *Virtutem* intelligi *Dominium*, atque *Imperium* in subditos, manifestat græcum Δυναστεία, unde *Dynasta*, *Dominus*, qui jurisdictionem habet.

℣. 17. *Dignos se ipsa circuit.* Non est una vox in Ablativo *Seipsâ* q. d. *Seipsâ dignos*; sed ùt ex græco patet, duæ: *Ipsa circuit dignos se.*

℣. 24. *Sacramenta Dei.* μυστήρια. *Arcana*, *Secreta.*

CAPUT VII. VIII.

℣. 10. *Super salutem & speciem.* Ambiguitatem evolvunt græca ὑπὲρ ὑγίειαν, καὶ εὐμορφίαν. *Super*, seu *Plusquam sanitatem, & formositatem*, seu *Pulchritudinem.*

℣. 11. *Innumerabilis honestas.* ℣. 13. *Honestatem illius non abscondo.* VIII. 18. *Honestas sine defectione.* X. 10. *Honestavit illum in laboribus.* ℣. 11. *Honestum fecit illum.* Omnibus his locis *Honestatem* sumi pro *Divitiis*, patet ex græco, ubi est πλῦτος *Divitiæ.* At Cap. X. 10. εὐπόρησε *Locupletavit.*

℣. 14. *Participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.* Vox *Commendati* non refertur ad Deum, quasi ipse laudabilis ob dona sua dicatur; sed ad homines sapientes; esse enim Nominativum pluralem, constat ex græco συςαθέντες.

VIII. 6. *Si sensus operatur.* Non intelligitur sensus externus, aut internus, quem Phantasiam vocamus, sed *Prudentia*, ùt est in græco.

℣. 18. *Honestas sine defectione.* græcè: *Divitiæ indeficientes.*

℣. 21. *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens.* Non agitur specialiter de *virtute continentiæ*, quæ species est Temperantiæ, & Castitatis; sed hîc *Continens* dicitur, qui possidet, in se habet, seu compos est, nempè Sapientiæ, de quâ obtinendâ hîc agit Salomon. Græcum ἐγκρατὴς propriè significat eum, qui habet Dominium, vel potestatem.

CAPUT IX. X.

Cap. IX. 15. *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hîc *Sensus* sumitur pro *Mente* νοῦν, at ℣. 17. *Sensum tuum* Domine *quis sciet?* significat Divinam voluntatem, seu deliberatum consilium βουλὴν.

X. 5. Sapientia *Scivit justum, & conservavit sine querela.* Non ita sumas: Abraham fuit conservatus à murmurationibus, seu ne ipse querularetur contra Deum; sed intellige ipsum conservatum fuisse *inculpatum*, seu *irreprehensibilem*, ita ut nemo justas de ipso querelas facere potuerit: talem enim sig-

nificat græcum ἀμεμπτος. Eodem modo intellige ℣. 15. *Semen sine querela.*

℣. 7. *Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* Non est sensus: Memoria, quæ vix animæ alicui est credibilis, nempè quia tam mirabilis, & inconsueta; sed, quem exhibent græca Ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός. *Incredulæ animæ*, nempè uxoris Lot *memoriale*, scilicet hoc: *Stans* permanenter *columna*, seu statua *salis*, in quam corpus ejus est conversum.

℣. 10. *Honestavit.* ℣. 11. *Honestum fecit.* Græc. *Ditavit.*

CAPUT XI. XII.

Cap. XI. 18. *Creavit orbem terrarum ex materia invisa.* Dicitur *Invisa*, non vilis, & despicabilis; sed invisibilis, inconspicua, *Inordinata*, & *Informis*, ùt significat græcum ἄμορφος.

XII. 2. *Qui exerrant partibus corripis.* Non est sensus: Eos qui partibus, sive actionibus suis exerrant, vel, ùt Aliqui non rectè legunt: *Qui errant ex partibus.* Neque etiam hic: Corripis partibus, seu modis à Te decretis; sed iste: *Per partes corripis*, sive ùt est in græco: κατ' ὀλίγον. *Paulatim*, *Sensim*, non totam in eos iram tuam simul effundens, idque ideò ùt interea pœniteant.

Similiter ℣. 10. *Partibus judicans*, non significat: Inter duas partes litigantes, utra jus habeat dijudicans; sed, ùt est in græco, κρίνων κατὰ βραχύ. Sensim puniens, *Judicans paulatim*, prout idem verbum transfertur ℣. 8.

℣. 11. *Semen erat maledictum ab initio, nec timens aliquem, veniam dabas.* Istud: *Nec timens aliquem*, non refertur ad *Semen maledictum*, q. d. Chananæi à Noë maledicti, neminem verebantur; sed illud ad Deum dicitur, q. d. Quòd illos non unico momento, ac nutu omnes perdebas, factum non fuit, quòd Tu Deus aliquem timeres, sed ex magna tua misericordia. Patet ex græco, in quo *Timens* est Masculinum εὐλαβούμενος *Veritus*, adeoque non refertur ad Neutrum Σπέρμα *Semen.*

℣. 15. 16. 17. 18. *Virtutem* sumi pro Potentia, Robore, Fortitudine, patet ex græco.

℣. 18. *Cum magna reverentia disponis nos.* Græcè μετὰ πολλῆς φειδοῦς. *Cum multa parcitate*, seu benignitate. Non tam rigidè procedis, quàm meritò posses.

CAPUT XIII. XVI.

℣. 1. *Non potuerunt intelligere eum qui est.* Bonus per essentiam, supplet Lyranus. Alius quispiam fortè suppleret *Deus*, ac proinde videretur *Est* sumi ùt tertio adjacens. Ex græco tamen patet esse secundo adjacens τὸν ὄντα. *Existentem*, sive *Ens*, quod semper est, ortumque non habet, ùt aït Plato; & ipse Deus Exod. III. 14. *Ego sum qui sum.*

℣. 13. *Per vacuitatem suam.* Non intelligitur infundata Phantasia, sed ἀργία *Otium. Inertia*, quâ, ab utili alio exercitio vacuus homo, fabricat Idolum.

℣. 17. *De substantia.* gr. *De possessionibus.*

XVI. 14. *Homo occidit quidem per mali-

malitiam. Posset quispiam putare hîc dici, hominem occidere, seu cadere, ac mori propter suam malitiam, ut sit *Occidit* mediâ correptâ; sed mediam producendam esse, & dici ex malitia homicidium committere, patet ex græco Ἀ'ποκτείνει. *Mortem infert* sibi, aut alteri.

℣. 22. *Ignis ardens in grandine & pluvia corruscans.* Non ipsa pluvia corruscans, sed ignis in pluvia. Græcè: *In pluviis corruscans.*

CAPUT XVII.

℣. 7. *Magicæ artis appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio.* Istud *Sapientiæ* est in Dativo, & *gloriæ* in Genitivo, quod patet ex græco, ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονίας. *Super astutiam gloriationis*, seu *jactantiæ*; ex quo etiam habetur *gloriam* pro *gloriatione* sumi.

℣. 11. *Semper præsumit sæva, perturbata conscientia.* Græcum χαλεπὰ demonstrat illud *Sæva*, non esse Adjectivum *Conscientiæ*, sed Accusativum pluralem, q. d. Semper crudelia timet, & pejora.

℣. 15. *Aliquando animæ deficiebant traductione.* Non ipsæ animæ deficiebant, sed Ægyptii τῆς ψυχῆς παρελύοντο προδοσίᾳ, quasi Paralysi percussi *Dissolvebantur ipsius animæ proditione*, seu *destitutione.* Hoc est viribus deficientibus.

℣. 19. *Animalium cursus invisus*: græcè Ἀ'θεώρητος. *Inconspicuus*, ab Ægyptiis non conspectus.

CAPUT XVIII. XIX.

℣. 5. *Uno* Moyse... *liberato, in traductionem illorum.* Non ita intelligas: ut Hebræi duce Moyse traducerentur per Mare Rubrum, seu transferrentur de Ægypto in terram promissam; sed ita: *Ad redargutionem, correptionem, confusionem* Ægyptiorum; nam in græco est εἰς ἔλεγχον.

℣. 10. *Ploratorum infantium.* An qui plorabant? An qui plorabantur? Græcum Θρηνουμένων cùm sit Passivum, innuit sensum postremum.

℣. 13. *Spoponderunt populum Dei esse.* Non ita intelligas: Ægyptii promiserunt, quòd populus veri Dei fierent, seu quòd ipsum relictis Idolis colerent; sed, ùt patet ex græco: ὡμολόγησαν *Confessi sunt* Hebræos esse populum Dei.

℣. 16. *Insimulatum imperium.* gr. *Non-hypocriticum*, non fictum, non nudi terriculamenti.

Cap. XIX. 1. *Impiis usque in novissimum sine misericordia ira supervenit.* Istud *Sine misericordia*, non refertur ad *impios*, sed ad iram, est enim in græco: *Immisericors ira institit.*

ECCLESIASTICUS.

CAPUT I. IV. VI.

CAp. I. 8. *Sedens super thronum illius.* An Thronus Sapientiæ? An Thronus Dei? Idem est quidem utriusque Thronus, attamen istud *Illius* referendum est ad *Deum*, non ad *Sapientiam*, cùm in Græco non sit femininum ἀυτῆς, sed Masculinum ἀυτȣ̃, positumque est Relativum *Illius*, pro Reciproco *Suum.*

IV. 13. *Complectentur placorem ejus.*

 Græ-

Græca: *Replebuntur bonâ lætitiâ*, placido nimirum animi gaudio.

VI. 1. *Noli fieri pro amico inimicus proximo.* Non est hic sensus: Nullius amicitia te moveat, ut gratiâ illius, fias alteri proximo tuo inimicus; quia in græco est: Ἀντὶ φίλου μὴ γίνου ἐχθρός. *Ex amico ne fias inimicus. Anti* enim significat quidem *Pro*, sed cum contrarietate; unde usitatiùs significat *Contra*. Hinc *Antichristus*, *Antilogia*, *Antimonachus*. Igitur hîc in Vulgata *Pro amico* idem est, quod *loco amici*, seu *Ex amico*. Vide infra. Hebr. XII. 2.

℣. 14. *Qui invenit illum invenit Thesaurum.* Ex græco patet utrumque esse in Præterito.

℣. 28. *Continens factus ne derelinquas eam.* Græcè: *Compos factus*, Illam adeptus.

CAPUT VII. VIII. IX.

Cap. VII. 28. *Odibili non credas te.* Nempè mulieri; est enim in græco femininum.

℣. 37. *Gratia dati*, sive *Datûs*, ùt non malè passim antiquiores codices; *Dati* enim dicitur pro *Doni*, ùt patet ex græco δόματος.

VIII. 5. *Ne malè de progenie tuâ loquatur. Progeniem* hîc posuit loco *Progenitorum*. In græco enim habetur: *Ut non inhonorentur Progenitores tui.*

IX. 1. *Ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.* Hîc *Nequam* est Epitheton *Doctrinæ*, non *Mulieris*, quod patet ex græco παιδείαν πονηράν. *Disciplinam malam.*

℣. 6. *Ne des fornicariis animam tuam.* Hoc est scortis, seu meretricibus, in græco enim est Femininum πόρναις.

CAPUT XI.

℣. 2. *Non laudes virum in specie sua.* Iterum *Species* sumitur pro *Pulchritudine*, ùt est in græco ἐν κάλλει αὐτοῦ. Id est: Propter pulchritudinem corporis sui.

℣. 5. *Multi Tyranni sederunt in Throno, & insuspicabilis portavit diadema.* Non dicitur *Insuspicabilis* ille, qui non laborat malâ suspicione, seu is, qui integræ famæ est; sed ille, de quo nemo suspicaretur, quòd ad regnum perveniret. Patet ex græco: *Multi Tyranni sederunt super pavimento*, seu humi, de Thronis justè depositi, *At insuspicatus tulit diadema.* Ille, de quo nemini tale quid *in mentem venerat.*

℣. 13. *Erexit eum ab humilitate ipsius.* Hîc & alibi frequenter intelligitur non *Humilitatis* Virtus; sed status, sive conditio tenuis, seu exilitas, quod hîc clarè patet ex græco ἀπὸ συντριβῆς.

℣. 14. *Paupertas & honestas* πλοῦτος *Divitiæ.* ℣. 23. *Honestare* πλουτίσαι *Ditare.*

℣. 15. *Via bonorum.* Cùm græca addant ἔργων *Operum*, non videntur intelligi *Boni*, seu Justi homines, neque etiam *Bona* substantivè, q. d. Omnia bona hominibus proveniunt à Deo.

℣. 20. *Et nescit quod tempus præteriet.* In græco non est ὅτι *Quòd*, *quia*; sed τίς *Quod*, *quale*. Unde rectè monet Lucas Brugensis: *Vocula* quod, *non pro conjunctione, sed prò nomine adjectivo, est accipienda.* Hinc non genuinè Lovan. Flandr. *Hy en weet niet dat den tydt voor by gaet.*

℣. 22.

℣. 22. *Ne manseris in operibus peccatorum.* Ambiguum an à *Peccatis*, an à *Peccatoribus* dicantur, sed græca evolvunt: *Ne admireris*, atque adeò, ne animo allectus manseris ἐν ἔργοις ἁμαρτωλῦ, *In operibus peccatoris.*

CAPUT XII. XIII. XVI.

Cap. XII. 9. *In malitia illius, amicus agnitus est.* Malitia sumitur pro Afflictione, seu *Malis*: ἐν τοῖς κακοῖς.

XIII. 25. *Humilis cùm ceciderit*: Id est Miser, *pauper* ad mendicitatem usque, talem enim significat græcum πτωχός, & vertitur in Vulgata ℣. 29.

XVI. 5. *Ab uno sensato inhabitabitur patria*, (Gr. Συνοικισθήσεται πόλις. *Cohabitabitur civitas*, id est replebitur habitatoribus) *tribus impiorum deseretur.* Non est sensus: Tres impii soli sufficiunt, & causa quandoque sunt, quòd desoletur patria, vel civitas, prout intellexerunt passim Antiquiores, qui legebant: *Et à tribus impiis deseretur.* Sed *Tribus* hîc est nomen Substantivum, quod patet ex græco φυλή. *Tribus, Familia, Natio.*

℣. 31. *Anima omnis vitalis.* Græcè: *Animam omnis animalis*, seu *Viventis*, *Denunciavit ante faciem ipsius.* Non *Dei* ùt vult Rhabanus, sed *Terra*, de qua præcesserat; cui soli potest convenire femininum ἀυτῆς. *Ejus.*

CAPUT XVII. XVIII.

Cap. XVII. 14. *In unamquamque gentem præposuit rectorem*: 15. *& pars Dei Israël facta est manifesta.* Ne ita intelligas: *Pars Dei Israëlis*, sed q. d. *Gens Israëlitica facta est pars Dei.* Siquidem in græco est: *In divisione gentium terræ totius unicuique genti* Deus *constituit ducem. Et accepit Israëlem sibi* in *partem.*

Cap. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Non indicatur identitas temporis, quasi uno eodemque momento sint initio mundi cunctæ rerum species productæ; non enim est in græco ἅμα, sed κοινῆ *Communiter, Pariter*, hoc est: Creavit tam hæc, quàm illa, & nihil omninò non, prout inquit Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil.*

℣. 24. *In conversatione faciei.* Conversatio hîc non est Convictus, sed *Inversio*, seu *Aversio faciei*, ùt constat ex græco.

℣. 26. *Hæc omnia citata in oculis Dei.* Non videtur hic esse sensus: Cùm Deo placuerit, fieri debet temporum vicissitudo, ut *Citatum*, sit adesse jussum: nam in Græco est ταχινὰ *Festina*; unde hîc est sensus: Cùm Deus voluerit citissimè fit ista temporis mutatio.

CAPUT XIX. XX.

Cap. XIX. 3. *Qui se jungit fornicariis.* πόρναις *Meretricibus.*

XX. 9. *Est processio in malis viro indisciplinato.* In Græco est: *Est viro peccatori in malis beneplacitum*, seu Benevolentia, atque adeò etiam prosperitas, & *profectus.* Hinc videtur sensus genuinus: Subinde contingit homini nequam, res ex voto succedere, eumque magìs, ac magìs prosperum fieri. Non verò iste, quem dat Lyranus: Est processio de malo in pejus.

℣. 32.

℣. 32. *Thesaurus invisus*. Græcè ἀφανὴς *Non-apparens*, Inconspectus, Latens.

CAPUT XXI. XXII. XXIII.

XXI. 30. *Dum maledicit impius diabolum.* Ut notat Menochius, non videtur hîc vox *Diabolus* sumi pro Dæmone infernali, sed in sua primaria significatione, nempè pro *Delatore*, Criminatore, calumniatore, atque adeò *Adversario*, prout appellativè sumpta significat Hebræa vox שטן *Satan*, quæ hîc in græco habetur Σαταναν.

XXII. 27. *Mysterii revelatione.* Non est particulare Mysterium in voce *Mysterii*, sed attendenda ejus significatio græca, quâ μυστήριον idem est, quod *Secretum*, *Arcanum*.

XXIII. 11. *Sicut servus interrogatus assiduè* (tortus flagris ob crimen admissum, vel ita examinatus de crimine; aut ut aliud secretum revelet) *à livore non minuitur.* Non sumitur hîc *Livor* pro Invidiâ, aut Rancore, quo servus fertur in herum, ita eum plectentem; sed pro *Vibicibus*, seu signis lividis in corpore post flagra remanentibus; hos enim significat græcum μώλωψ.

CAPUT XXIV. XXV.

XXIV. 21. *Quasi... gutta.* Græcè Στακτὴ. Basilius in Psal. 44. *Stacte est Myrrhæ species, quod enim fluidum est, Stacte dicitur* (Græcè, Latinè: *Gutta*) *quod autem spissiùs Myrrha.*

℣. 26. *A generationibus meis implemini.* Græcè: ἀπὸ τῶν γεννημάτων. A fructibus ex me generatis.

℣. 39. *A mari abundavit cogitatio ejus.* Est Hebraïsmus, quo *A.* מן *Min* ponitur pro *Præ mari*, vel *Plusquam mare.* Unde textus Syriacus habet: *Mari maximo abundantior est sapientia, & cogitatio abysso vastissimâ.*

℣. 41. *Ego quasi fluvii dioryx.* Immeritò *Dioryx* scribitur in omnibus penè recentioribus Editionibus (sed non in Vaticana anni 1593) per litteram Majusculam, quæ remansit in Vulgata correcta anni 1592 ex antiquo mendo, quo legebatur: *Ego quasi fluvius Doryx.* In Græco autem est: *Ego sapientia* sum *quasi* διώρυξ *fossa* (sive *Aquaductus*) *à flumine*, facta nimirum ut aqua per eam deducta vicinos hortos irriget atque fœcundet. Dicitur à Διορύττω *Perfodio.*

XXV. 6. *Quàm speciosum... presbyteris cognoscere consilium.* Quod præcedit de *Canitie*, & sequitur de *Veteranis*, suadet hîc *Presbyteros* non sumi pro Sacerdotibus, sed pro *Senioribus* ætate; hos enim propriè, atque originaliter significat græca vox πρεσβύτερος.

CAP. XXVI. XXVII. XXVIII.

XXVI. 2. *Mulier fortis oblectat virum suum.* Non intelligitur Robusta, corporeisque viribus pollens; sed strenua, prudens, animoque *virilis*, ùt est in græco Γυνὴ ἀνδρεία, non ἰσχυρά.

XXVII. 33. *Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum.* Ut notat Estius: Non significatur, quòd vir peccator *continebit se*, hoc est abstinebit ab ira & furore,

rore, sed contrarium potiùs, nempè quòd continebit illa intra se; in græco enim est ἐγκρατὴς. *Compos*, *Particeps*, *Possidens*.

XXVIII. 19. *Lingua tertia*. Græcè hîc, & ℣. 16. διϭσὴ *Duplex*, seu hominis bilinguis, quæ *tertia* est inter duos concordes, quos dissociat. *Mulieres viratas ejecit*. Lyranus: Id est habentes viros; sed cùm in græco sit ἀνδρείας, rectiùs intelliges *Viriles*, Viragines, Insignes matronas.

CAPUT XXIX. XXX.

XXIX. 8. *Fraudabit illum pecunia sua*. An pecunia dantis ipsum fraudabit, seu ex amico inimicum faciet illum, cui mutuum dedit, ùt non rarò evenit? An verò Mutuatarius nolens solvere fraudabit mutuantem pecuniâ suâ? Posteriorem sensum indicant græca, in quibus est: *Privavit illum pecuniis suis.*

℣. 11. *Super humilem animo fortior esto*. Tirinus vocem *Animo* refert ad *Humilem*, ita: *Super animo humilem*, seu pauperem; sed non reflexit ad græca, quæ docent jungendam cum voce *Fortior*, habent enim: ἐπὶ ταπεινώσει μακροθύμησον. *Super humiliatione esto longanimis*, seu forti mansuetoque animo.

℣. 27. *Recupera proximum secundùm virtutem tuam*. Græcè δύναμιν. Juxta vires, opes, potentiam, facultatem tuam.

XXX. 9. *Filius remissus*. Non intelligitur piger, flaccidus, otiosus: sed dimissus sine cura parentum, seu *sibi relictus*. In græco enim est ἀνειμένος. *Laxatus*, *dissolutus*, carens fræno disciplinæ.

℣. 14. *Dives...flagellatus malitiâ*. Sumitur *Malitia* non pro nequitia, aut animæ vitio, sed pro afflictione corporali, vel ægritudine, quod patet tum ex contextu, tum ex græco: *Flagellatus in corpore suo*.

℣. 26. *Senectam adducet cogitatus*, non quicumque, sed anxia cura, & inquieta sollicitudo, quam significat græcum μέριμνα.

CAPUT XXXI.

℣. 1. *Vigilia honestatis tabefaciet carnes*. Lyranus: Scilicet in oratione, & S. Scripturæ lectione, reprimet carnes à carnalibus vitiis. Sed non reflexit ad græcum, in quo pro *Honestatis* iterum est πλούτου *Divitiarum*; unde genuinus sensus est quem dat Estius: Nimia, & immoderata cura colligendi opes, hominem emacerat, & tabem corpori ejus adducit, somnumque, & quietem nocturnam impedit.

Similiter *Cogitatus* hoc, & ℣. 2. *Cogitatus præscientiæ*, non est Cogitatio de præscientia Divina, quâ Deus omnia videt apertè, ùt exponit Lyranus; sed anxia cura, & sollicitudo, quâ divites avari assiduè timidi, cogitant de futuris rerum suarum eventibus. Ita rectè Menochius, nam hoc significat græcum μέριμνα, ùt dixi Cap. xxx. 26.

℣. 5. *Qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea*. Aliqui intelligunt, consumptionem opum per prodigalitatem, afferre indigentiam; sed cùm in græco sit διαφθορὰν. *Corruptionem*, genuinus sensus est: Qui insectatur corruptibilia, & caduca hujus mundi, corrumpe-

rumpetur cum illis, seu exitium incurret.

℣. 23. *Cholera viro insrunito.* Non intelligitur subitaneus iræ motus, unde quis dicitur *Cholericus*; sed mala corporis affectio, quam affert nimius cibus & potus, præsertim dulcium, ac pinguium; hæc enim vocatur græcè χολέρα.

℣. 30. *Diligentes in vino noli provocare.* Ambiguum est an *Diligentes* dicantur à Verbo *Diligo*, seu Amo, præsertim, cùm alia lectio, quam sequitur Editio Sixti V. & Rhabanus, habeat: *Delectantes in vino*, ut phrasi hebræâ dicantur: *Diligentes in vino*, pro *Diligentes vinum*, sicuti dicitur I. Reg. XXIX. 5. *Percussit Saul in millibus*, hoc est *Mille*. Vide ibidem dicta.

Alius sensus est, ut *Diligentes* intelligantur Exacti, seduli, assidui. Hunc esse genuinum, constat ex græco, in quo *Diligentes* est finis versûs præcedentis & singulare; sed si huic gnomæ jungas, ita habet: ἀκριβὴς ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζȣ. *Diligens, Exactus, sedulus in vino ne masculè te geras*, seu: Ne instar fortis viri te ostentes, & ostendas, te ipsum ingurgitando, & ad æquales multosque, ac magnos calices epotandum, alios provocando.

CAPUT XXXII.

℣ 5. *Primum verbum diligenti scientia.* Ambiguitatem auget, quòd omnes penè antiqui codices habeant: *Diligenti scientiam*, ideòque videatur exponendum: Primus loquatur is, qui amat scientiam. Sed ex græco colligitur alius sensus: ἐν ἀκριβείᾳ ἐπιςήμης, *In exactitudine*, seu *In diligentia scientia* sit, & fiat primum verbum.

℣. 7. *Comparatio musicorum.* Græcè: *Coagmentatio*, Concentus, Chorus.

℣. 8. *Numerus.* Græc. Μέλος. *Melodia*, Harmonia *Musicorum*.

℣. 11. *Habeat caput responsum tuum.* Ne sic interpreteris: Tuum caput, seu os responsum habeat; sed ita: Incipe respondere. *Caput* enim hîc pro exordio sumi, patet ex græco κεφαλαίωσον λόγον.

CAP. XXXIV. XXXVI. XXXVII.

℣. 1. *Somnia extollunt* ipsos *imprudentes.* In græco quippè est Accusativo ἄφρονας. *Stultos, Amentes.*

XXXVI. 10. *Festina tempus, & memento finis.* Non est Prosopopeja, quâ Sapiens alloquatur *tempus*, & *finem*; sed orat Deum, ut citò adducat *tempus*, & recordetur *ira*, seu *finis*. Esse enim *tempus* in Accusativo casu, & *finis* in Genitivo, patet ex græco Σπεῦσον καιρὸν, καὶ μνήσθητι ὀργῆς.

℣. 17. *Da testimonium his, qui ab initio creatura tua sunt.* Sensum non esse: His qui fuerunt cùm inciperes creare, ùt illud *Creatura* sit Genitivus singularis, patet ex græco: *Da testimonium in principio* κτίμασί σȣ *creaturis tuis.* Hoc est his, quos ab antiquo tuos speciales amicos, clientes, & (ùt loquimur) *creaturas* effecisti. Quædam græca exemplaria habent κτήμασί σȣ, *Possessionibus tuis*; hoc est Populo, quem possedisti ab initio; seu ab antiquis temporibus.

XXXVII. 33. *Aviditas appropinquabit*

bit usque ad Choleram, Bilem. Vide Cap. XXXI. 23.

CAP. XXXVIII. XXXIX. XL.

XXXVIII. 22. *Neque est conversio.* Græcè ἐπάνοδος. *Reditus*, *Reversio* à morte ad vitam.

℣. 29. *In calore fornacis concertatur.* Faber *concertat*, seu *perpugnabit*, ùt significat græcum διαμαχήσεται.

XXXIX. 23. *In præcepto ipsius* Dei, *placor fit.* gr. εὐδοκία *Complacentia*, *Beneplacitum.*

XL. 10. *Propter illos factus est cataclysmus.* Κατακλυσμός, Id est *Diluvium*, nempè universale temporibus Noë.

℣. 12. *Omne munus, & iniquitas delebitur.* Per *Munus* non intelliguntur Officia, vel Dignitates, quibus in hac vita sæpè fulgent & abutuntur mali; sed munera, seu dona, quæ dantur aut recipiuntur ad pervertendam justitiam; siquidem in græco est δῶρον. *Donum.*

℣. 26. *Facultates & virtutes exaltant cor.* gr. *Opes & fortitudo.*

CAP. XLI. XLII. XLIII.

XLI. 17. *Thesaurus invisus.* ἀφανής. *Non-apparens.* Vide dicta Cap. XX. 32.

℣. 25. *A respectu mulieris fornicariæ.* Hìc *Respectus* est *Aspectus*, ùt patet ex græco ὁράσεως. q. d. Pudeat vos curiosè, ac libidinosè respicere ad meretricem.

XLII. 5. *Servo pessimo latus sanguinare.* Vox *Sanguinare* non est Adjectivum *Lateris*, sed Verbum Infinitivi modi, quod constat ex græco πλευρὰν αἱμάξαι. *Latus sanguinolentum facere.*

℣. 6. *Super mulierem nequam bonum est signum.* Non qualecumque, sed ùt est in græco Σφραγὶς. *Sigillum*, *signaculum*, sera, clausura; hoc est: debet exactè custodiri, & quasi signaculo impresso communiri, imò arctari, concludi, ac seris obserari, si opus sit, prout dicitur ℣. 11. *Super filiam luxuriosam firma custodiam.*

XLIII. 13. *Gyravit cælum.* An cœli ipsi gyrant? An Deus cœlos? Postremus est hujus loci sensus; nam græcè est in Accusativo οὐρανὸν *Cælos.*

℣. 22. *Gelavit crystallus.* Videtur non pro lapide pretioso sumi, sed pro *Gelu*, seu *Glacie*, quam significat græcum Κρύσαλλος.

℣. 34. *Exaltantes eum replemini virtute.* ἰσχύϊ. *Fortitudine*, *Viribus.*

CAP. XLIV. XLV. XLVI.

XLIV. 3. *Homines magni virtute.* Minùs appositè hìc, & ℣. 6. Lyranus intelligit Virtutem vitio oppositam, quandoquidem in græco sit hic δυνάμει *Potentia.* ℣. 6. ἐν ἰσχύϊ *In fortitudine.*

℣. 18. *Dimissum est reliquum terræ.* Istud *Terræ* Dativi casûs esse, non Genitivi, patet ex græco τῇ γῇ. Sensus autem est: Dimissæ, seu conservatæ sunt aliquæ reliquiæ mundo, seu ipsi terræ diluvii tempore, nempè octo homines.

XLV. 2. Moyses *in verbis suis monstra placavit.* Ne quis fortè suspicetur monstrosas dirasque feras per Moysen verbo cicuratas, aut edomitas dici, notandum in græco esse Σημεῖα κατέπαυσε. *Signa*, seu *Portenta cessare fecit*, nem-

nempè monstrosas illas, & horribiles Ægypti plagas ad verba precesque Moysis Deum inflixisse & abstulisse. Idem observandum ℣. 24. *Fecit illis monstra*, ubi in græco est τέρατα. *Portenta*, *Terribilia*.

XLVI. 17. *Vidit Deus Jacob*. Græca: *Superinspexit Dominus Jacobum*.

CAPUT XLVII. XLVIII.

℣. 25. *Dedit autem reliquum Jacob, & David de ipsa stirpe*. Hoc est *Dedit reliquias*, seu posteros regnantes Jacobo & Davidi, in græco enim est τῷ Ἰακώβ, καὶ τῷ Δαυίδ.

℣. 31. *Usque dum perveniret ad illos defensio*. Id est licentia Cyri Regis Persarum, ut liberè possent in Judæam redire, ait Lyranus. Sed cùm in græco sit ἐκδίκησις. *Vindicta*, *Ultio*, patet sensum esse: Donec Deus tanta peccata ultus est. Vide dicta Judith I. 12.

Similiter Cap. XLVIII. 7. *Judicia defensionis*, sunt *Vindictæ*, & *Ultionis* ἐκδικήσεως.

℣. 8. *Qui ungis Reges ad pœnitentiam*. Pœnitentia hìc Pœnam & punitionem significat, ad quam Idololatris infligendam Jehu & Hazaël Reges, ab Elia sunt uncti, est enim in græco εἰς ἀνταπόδομα. *In retributionem*.

CAPUT XLIX. L. LI.

XLIX. 3. Josias dicitur *Directus divinitùs in pœnitentiam gentis*. Pœnitentia hìc sumitur pro *Conversione*, ùt est in græco Ἐπιστροφῇ.

℣. 4. *In diebus peccatorum corroboravit pietatem*. Græcè ἀνόμων *Exlegum*, *iniquorum*, non ἀνομιῶν *Iniquitatum*.

℣. 19. *Seth & Sem apud homines gloriam adepti sunt*: *& super omnem animam in origine Adam*. Non est sensus: *Seth* & *Sem* præcelluerunt ceteros priscos ex Adamo ortos, seu de progenie illa prisca Adami, quia in græco est: Καὶ ὑπὲρ πᾶν ἐν τῇ κτίσει Ἀδάμ. *Et super omne in creatione Adam*, supple *Fuit*, nempè ipse tam mirabili modo à Deo productus.

L. 20. *Amplificaverunt psallentes*. Non est iste sensus: Multiplicaverunt illos, qui psallerent; sed: Magnificaverunt Deum hi, qui psallebant; est enim in græco: *Laudaverunt psalta*.

LI. 3. *In conspectu astantium*. Hìc *Astantes* sunt Adversarii, seu *Contrastantes*, ùt est in græco Ἀνθεστηκότων.

℣. 26. *Insipientiam ejus luxi*. Attentis circumstantiis textûs est ambiguum, an *Luxi* dicatur à *Lugeo*, an à *Luceo*. Est passim in græcis ἐνενόησα. *Intellexi*. *Cogitavi*, *Animadverti*. In uno tamen Codice Bibliothecæ Vaticanæ, teste Francisco Lucâ, habetur ἐπένθησα. *Luxi* à *Lugeo*.

℣. 27. *Ejus*, & *Ipsius* referuntur ad Deum, ùt demonstrat græcum masculinum αὐτοῦ.

ISAIAS.

CAPUT I. III.

Filii *Amos*. Non fuisse hunc *Amos* Isaïæ patrem, illum *Amos*, qui est ordine tertius inter Prophetas minores, patet ex Hebræo, in quo pater Isaïæ

Isaïæ scribitur אמוץ *Robustus*. At minor ille Propheta עמוס *Oneratus*.

℣. 4. *Semini nequam.* *Nequam* non est Adjectivum *Seminis*, sed ponitur in vim Genitivi pluralis, *Semini Malignantium*, ùt est in Hebræo.

Blasphemaverunt sanctum Israël. Non *Sanctum Israëlem*, sed *Dominum Deum*, Antonomasticè *Sanctum Israëlis*. LXX. τὸν ἅγιον τοῦ Ἰσραήλ. Hoc etiam importat Hebræa, ùt modò sunt punctuata קדוש *Kedos Israël*, non קדוש *Kados*. Idem notandum Cap. v. 19. *Sancti Israël*, & frequenter alibi in hoc libro.

Eodem modo vocatur Deus ℣. 24. *Fortis Israël*. Hoc est Israëlis fortitudo, atque unicum robur, & præsidium.

III. 1. *Dominus exercituum auferet à Jerusalem, & à Juda validum, & fortem.* Ut notat Hieronymus in Commentario: *Juxta LXX. legimus: Validum & validam.* Nempè ἰσχύοντα, καὶ ἰσχύουσαν. Miror proinde ipsum etiam non eodem modo transtulisse; sic enim & ambiguitatem cavisset, & exactiùs reddidisset; siquidem in Hebræo pariter est eadem vox repetita, priùs in masculino, deinde in feminino genere: *Maschen, u-maschena*, quod præcisè ad litteram vertit Forerius: *Sustentatorem, & sustentatricem*; nam hoc hebræum Nomen, derivatum à Verbo שען *Schaan*, significat illum, cui aliquis potest *inniti*, item quo *fulciri*, sive *sustentari* valet.

℣. 4. *Effeminati dominabuntur eis.* Non sumuntur hîc *effeminati* pro scortis masculis, prout sæpè sumi in anterioribus notavimus, non enim hîc habetur in Hebræo *Kedischim*, aut *Kedeschoth*, sed *Thaalulim*. *Pueriles, imbelles, despecti, ignavi.* LXX. ἐμπαῖκται, quod sumas passivè: *Illusi, irrisi, seu derisibiles.*

CAPUT V. VIII. IX.

℣. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Aquila vertit: *Væ qui dicunt malo: Bonus es, & bono: Malus es.* Econtra LXX. in Neutro: οὐαὶ λέγοντες τὸ πονηρὸν καλὸν, καὶ τὸ καλὸν πονηρόν. Versionem Aquilæ meritò præfert S. Hieronymus, quia magìs congruit Hebræo textui: *Hoj! haomerim lara tob, velatob ra.* Hoc genuinè sonat: *Væ! qui dicunt ipsi malo bonus, & ipsi bono malus*, subaudi *Es.* Atque adeò magìs verosimile est Personæ dici, quàm rei; unde & Chaldæus: *Væ qui dicunt impiis: Vos estis boni, & mansuetis dicunt: Vos estis impii.*

VIII. Tertiò habetur ℣. 9. *Vincimini*, quod est ambiguum an derivetur à *Vincor*, an à *Vincior*. Sed primum magìs correspondet Hebræo *Chottu*, à radice חתת *Chathath. Terreri, Animo frangi, Conteri.* Hieronymus autem secutus est LXX. qui verterunt ἡττᾶσθε. *Vincimini, superamini.*

IX. 10. *Lateres ceciderunt.* Non derivatur à Verbo *Cedo*, seu *Scindo*, quod posset videri, eo quòd statim sequatur *Sycomoros succiderunt*; sed à *Cado*; est enim in Hebræo *Naphalu*.

CAP. XIII. XV. XXI. XXVIII.

XIII. 12. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Ante *Mundo* sub-

 intel-

intelligendum *Auro*, quod non repetiit Hieronymus, quia præcesserat: *Vir auro*, ubi in Hebræo est פז *Paz*. Auri species quædam: At pro *Mundo obrizo* est in Hebræo: *Mic-cethem Ophir*. *Præ auro mundissimo de Ophir*.

XV. 5. *Vitulam consternantem*. Ne cum multis Latinis legas, aut intelligas *Consternantem*, quasi pessumdantem, aut conculcantem, quia in Hebræo est: *Eglath schilischija*. *Vitulam tertii*, nempe *anni*, hoc est *Triennem*, seu *Trimam*.

XXI. 4. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum*. Sumitur *Miraculum* pro stupendo pavore, quem significat Hebræum *Charada*, & Græcum φόβον.

XXVIII. 28. *Nec ungulis suis comminuet eum*, Triturando. Ne hîc *Suis* intelligas *Porci*, ùt Proverb. XI. 22. Nam nihil hîc de porco est in Græco, aut Hebræo, sed *Pharaschau*. *Ungulis ejus*, seu *suis*.

CAP. XXXI. XXXIII. XXXVII. XXXVIII.

XXXI. 4. *Quia hæc dicit Dominus ad me*. Cùm primò hæc legerem, attentis præcedentibus & sequentibus, putabam istud *Ad me*, esse verbum Domini Dei, & hunc habere sensum: *Hæc* (℣. 1. & 2. Commemorata humana potentia, *ad me*, seu in comparatione omnipotentiæ meæ) est, *quomodò si leo* &c. Sed inspecto Hebræo textu, vidi esse verbum Isaiæ; est enim in hebræo, & græco: *Sic dixit Dominus*.

XXXIII. 23. *Sic erit malus tuus*. Intelligit non quemvis malum hominem, aut nequam, sed *Malum navis*, ùt patet ex Hebræo תרן *Taran*.

XXXVII. 22. *Despexit te, & subsannavit te Virgo filia Sion* &c. Hæc verba diriguntur ad Sennacherib, non ad Sion, ùt manifestè constat ex Hebræo, in quo hoc loco eadem verba habentur, quæ IV. Regum XIX. 21. Vide ibidem dicta.

XXXVIII. 8. *Linea*, & *Gradus* sunt eadem res, ùt ex Hebræo probavi IV. Reg. XX. 9.

CAPUT XXXIX. XL. XLI.

XXXIX. 1. *Misit... Rex Babylonis libros & munera*. Hebræi quodcumque scriptum vocant *Librum* ספר *Sepher*; unde hîc per *Libros* ספרים *Sepharim* intellige *Litteras*, seu, ùt verterunt LXX. ἐπιςολάς. Similiter דבר *Dabar*. *Verbum* pro *Re* per verbum significata, sumit frequenter Scriptura, signanter hîc ℣. 2. *Non fuit verbum, quod non ostenderet eis*; unde ℣. 4. Eadem vox *Dabar*, in Vulgata vertitur: *Non fuit res* &c.

XL. 9. *Tu, qui evangelizas Sion.... qui evangelizas Jerusalem*. Pronum est ita sumi, quasi ista: *Sion* & *Jerusalem* sint in Dativo, & locutio dirigatur ad quemvis in Sion & Jerusalem prædicantem: quo sensu translatum est in Bibliis Lovaniensium tam Gallicis, quàm Flandricis.

Sed genuinus sensus est, ut alloquatur populum Sionis, & Jerosolymæ, nam & ita possunt intelligi verba Vulgatæ, prout & LXX. Et ita debere intelligi monstrant Hebræa: *Mebasséreth Sion, mebasséreth Jerusalem*. *Evangelizatrix Sion... evangelizatrix Jerusalem*:

lem: Unde ad modernam Vulgatam debet subintelligi: *Tu populus Sionis, qui evangelizas* &c. Aliàs Germana lectio videtur esse: *Tu quæ evangelizas*, ùt probabo Libro II.

XLI. 8. *Semen Abrahæ amici mei.* Istud *Amici mei* non esse Nominativum pluralem, sed Genitivum singularem, patet ex Hebræo אֹהֲבִי *Ohabi. Dilecti mei*, singulari numero, quod tamen etiam posset transferri: *Dilecte mi*, item alio sono Vocalium, seu uno puncto variato eisdem litteris אֹהֲבַי *Ohabaj. Dilecti mei*, Nominativo plurali; Attamen etiam LXX. legerunt, ùt modò est punctuatum in Hebræo, cùm verterint: *Semen Abrahæ, quem dilexi.* Vide & nota II. Par. xx. 7.

℣. 27. *Jerusalem Evangelistam dabo.* Non promittit ipsum Jerosolymitanum populum evangelizaturum, seu læta annuntiaturum, quomodò dixerat Cap. XL. 9. Sed sensus est, quòd ipsi Jerosolymæ læta faciet nuntiari: nam in Hebræo est in Dativo: *Ipsi Jerosolymæ Evangelistam dabo.* LXX. *Jerosolymam consolabor.*

CAP. XLII. XLIV. XLV. LIX.

XLII. 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum* &c. Non est in Hebræo pro *Dominus* Nomen אָדוֹן *Adon*, aut quodvis aliud creaturæ ulli communicabile, ùt *El*, *Elohim*, aut simile; sed ipsum essentiale nomen Dei יהוה Non mirum proinde quòd dicat: *Hoc est nomen meum.* Vide dicta Exod. vi.

XLIV. 16. *Dixit: Vah, calefactus sum.* Non est interjectio abominantis, sed exultantis; nam pro *Vah* est in Hebræo הֶאָח *Heach. Euge.* LXX. ἡδύ μοι. *Suaviter mihi!*

XLV. 9. *Testa de Samiis terræ*, supple *Testis*. In Hebræo: *Testa de testis terræ.* Vulgata habet *Samiis* Adjectivum, quia argilla de Samo Insula erat aptissima ad figulina vasa conficienda.

LIX. 5. *Telas araneæ texuerunt.* An *ipsa araneæ?* An Hebræi *aranearum telas.* Postremum sensum exhibent Hebræa קוּרֵי עַכָּבִישׁ *Kure accabis. Telas unius araneæ.*

CAPUT LXII. LXV.

LXII. 7. *Ne detis silentium ei, donec stabiliat, & ponat Jerusalem laudem in terra.* Istud *Ei* est in Hebræo Masculinum לוֹ *Lo*; atque ita refertur ad Deum, q. d. Precibus vestris jugiter aures Dei pulsate, *Donec ponat* אֶת־יְרוּשָׁלַם *Eth Jerusalem. Ipsam Jerusalem Laudem*, Laudabilem & gloriosam. Non est igitur *Jerusalem* in Nominativo, neque sensus est: Donec ipsa Jerusalem Deo det laudem conversa ad Christum, non sileatis ei, seu: Semper & jugiter eam admonete.

℣. 8. *Filii alieni.* Est Genitivus singularis: *Bene nechar*, non *Banim.*

℣. 11. *Dicite filiæ Sion.* Cùm in Hebræo non sit בְּנוֹת *Banoth. Vos filiæ*; sed לְבַת *Lebath.* Huic *filiæ*, & in LXX. τῇ θυγατρὶ, perspicuum est illud *filiæ* esse Dativum singularem, non Vocativum pluralem, qualis est juxta genuinam lectionem Jerem. XLIX. 3. *Clamate filiæ Rabbath.*

LXV. 16. *Benedicetur in Deo amen:*

&

& qui jurat in terra, jurabit in Deo amen. Utrumque *Amen* non sumitur ùt Conclusio, & Adverbium, aut Interjectio, vel Exoptatio, ut *Amen* sit *Verè*, *Fideliter*, *Fiat*, &c. Sed accipitur substantivè, q. d. *In Deo Veritatis*, *Fidelitatis*, *Fidei*; hoc est Vero, Veraci, Fideli; nam utrumque *Amen* istud esse in Genitivo, manifestum sit ex Hebræo, in quo non est באלהים *Be-Elohim*, sed באלהי אמן *Be-Elohe Amen.* *In Deo Veritatis*, hoc est Verissimo ac fidelissimo. Unde LXX. *Benedicent Deum verum.*

JEREMIAS

CAPUT I. III. IV. V.

CAp. I. 6. *Et dixi A a a Domine Deus ecce nescio loqui.* Ambiguitas hujus loci augetur tum per hoc, quòd illa tria *A* separata ab invicem impressa sint in omnibus libris Vulgatæ, tum per interpunctiones in plerisque libris positas inter ista tria *A*. Multi putarunt esse vocem balbutientis, & quasi inarticulatè loquentis. Viegas censet *A* tertiò repetitum ad indicandum Mysterium SS. Trinitatis; sed nihil horum subsistere, patet ex Hebræo, in quo est una vox אהה *Ahah*, quæ est Interjectio Stupentis, Exclamantis, Dolentis, aut etiam Deprecantis, & frequenter in Vulgata vertitur *Heu!* Vide meum Dictionarium hoc Verbo. Tum in Textu, tum in Commentario Hieronymi scribitur: *Ah ah ah!*

Cap. III. 22. *Ecce nos venimus ad te.* Rectè Jac. Magdal. *Hic venimus est præteriti temporis*, cùm sit in Hebræo אתנו *Athanu.*

Cap. IV. 1. *Si reverteris Israël.* Esse Futuri temporis, non præsentis, docet Hebræum *Im taschub. Si reversus fueris.* Hinc de industria est accentus positus super penultimam vocalem, in exemplari Romano Clem. VIII. eodem modo sicut hic expressi.

℣. 10. *Ecce pervenit gladius.* Est Præteriti temporis נגעה *Nogea. Pertigit*, *Pervenit.*

℣. 30. *Frustra componeris:* Est Futurum תתיפי *Tithjappi. Decorabis te. Pulchram facies te ipsam.* Patet hoc ex prima vocis littera ת Erravit proinde Magdalius notans: *Est præsentis temporis, non futuri.*

Cap. V. 3. *Induraverunt facies suas supra petram.* Non est hic sensus: Existentes in editis petris obstinatam suam Idololatriam ostenderunt, ibidem publicè Idolis sacrificantes. Sed istud *Supra*, idem valet, quod *Præ*, sive *Plusquam*. Hoc est: Ita obdurati sunt, ut facies eorum impudentes sint duriores petris; ita enim habetur in Hebræo מסלע *Mis-sela. Plusquam*, seu *magis quàm rupes.*

CAPUT XI. XV. XXIII.

XI. 6. *Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, & foris Jerusalem.* LXX. ἔξωθεν. *Extra. Deforis.* Sed magìs genuinum videtur, ut istud *Foris* sumatur tamquam plurale à Nominativo *Forum*; nam ita habetur in Hebræo בחוצות *Bechutsoth. In foris*, seu:

seu: *In plateis Jerusalem*, prout eadem vox transfertur supra Cap. VII. 17. & infra XLIV. 6. 17. 21. Idem occurrit infra XXXIII. 10.

XV. 19. *Si converteris convertam te.* Hebraïcè. *Si conversus fueris.* Ibidem: *Quasi os meum eris.* Intelligit Os oris; nam in Hebræo est כפי *Cephi.*

Cap. XXIII. 5. *Suscitabo David germen justum.* Apertè quidem hîc promittitur Christus Dominus, non tamen ipse vocatur hîc *David*, quod putari posset, præsertim cùm sæpiùs alibi sic nominetur, v. g. Jerem. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. & 24. Nam hoc loco non est in Hebræo Accusativus את דוד *Eth David. Davidem*; sed לדוד *Le-David. Ipsi Davidi*, ùt clarius transtulerunt LXX. *Suscitabo τῷ ipsi David germen justum.* Hebræa etiam possent verti: *Suscitabo Davidis germen justum.*

℣. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster.* Valdè notandum est, quòd hoc loco non qualicumque nomine *Dominus* vocandus dicatur Messias; sed ipso ineffabili, ac puris creaturis incommunicabili nomine essentiali יהוה Ex quo demonstratur Divinitas Messiæ, seu Christi יהוה צדקנו *Jehova Tsidkenu. Dominus Justitia nostra.*

CAP. XXXI. XXXII. XXXIII.

XXXI. 16. *Revertentur de terra inimici.* Ambiguum est an prædicat inimicos Hebræorum de terra Israël, quam affligebant, abituros, seu reversuros ad propriam regionem, ex quâ venerant; an potiùs quòd filii Rachelis priùs captivi abducti, de terra illa inimici seu hostili, revertentur liberi, ad terram propriam. Hunc ultimum esse verum sensum patet ex Hebræo, in quo vox *Inimici* non est Nominativus pluralis *Ojebim. Hostes*, sed Genitivus singularis *Ojeb. Hostis.* LXX. clariùs habent: *Ex terra inimicorum.*

XXXII. 9. *Septem stateres, & decem argenteos.* Idem sunt *Stateres*, & *Argentei*, nempè *Sicli*, ùt pro *Stateribus* expresè habetur in Hebræo *Schekalim*, ad *Argenteos* autem subintelligitur.

XXXIII. 10. *In civitatibus Juda, & foris Jerusalem. In foris*, seu plateis publicis. Vide dicta Cap. XI. 6.

℣. 15. *Germinare faciam David germen justitiæ. Ipsi Davidi*, vel *Ipsius Davidis* לדוד *Le-David.* Vide dicta Cap. XXIII. 5.

℣. 16. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus* יהוה *Justus noster.* Vide notata Cap. XXIII. 6.

XLVIII. 34. *Vitula conternante.* Id est triennali. Vide dicta Isai. XV. 5.

THRENI.

CAPUT III.

Versu 22. *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti.* Pronum est ut exponatur per Genitivum singularem: *Solius est Divinæ miserationis, quòd non simus consumpti.* Sed ex Hebræo patet esse Nominativum pluralem, & hunc sensum: *Miserationes Domini solæ sunt causa, quòd consumpti non simus*, ùt merebamur.

℣. 23. *Novi diluculo, multa est fides tua.* Non est hîc *Novi* præteritum verbi *Nosco*, ùt passim intelligunt legentes hunc versum, & translatum est in Bibliis Lovan. tam Flandr. *Ick weet vroeg inden daegeraet*: quam Gallic. *J'ay cogneu dez le matin.* Qualiter etiam explicarunt S. Thomas, Hugo Victorinus, Lyranus. Sed est Nominativus pluralis Adjectivi *Novus*, quod notavit S. Bonaventura ad illa *Novi diluculo*, ita scribens: *Hæc littera in antiquis habetur, & exponunt:* Novi, *id est Cognovi; cùm non sit hîc Verbum, sed Nomen; unde in Hebræo est* Novelli, *quia juxta ordinem Alphabeti stare non potest, ut sit Novi, pro Cognovi.* Patet hoc ex Hebræo, in quo non est ידעתי *Jadahthi. Ego cognovi.* Sed חדשים לבקרים *Chadaschim labekarim. Recentes singulis matutinis.* Est enim *Chadaschim* Adjectivum masculinum vocis רחמים *Rechamim, Miserationes.* Retinuit autem Interpres Latinus Genus masculinum vocis Hebrææ, indèque orta est obscuritas, & æquivocatio; nisi potiùs irrepserit in Vulgata *Novi*, pro *Nova*, qualiter se reperisse in 5. Manuscriptis notavit Hentenius.

Sensus proinde est: Recentes, seu *Novelli* (ùt legunt Rhabanus, & S. Bonaventura) *pro singulo mane*, atque adeò sempiterni, & continui, sunt effectus misericordiæ tuæ ô Deus! quibus *diluculò*, seu summo mane, hoc est sollicitè, celeriter, & opportunè nos prævenis; *multa* enim, imò immensa est *Fides*, id est Fidelitas, & veracitas *tua*, in adimplendis promissis. Sunt quippè verba populi ad Deum, non Dei, aut Jeremiæ ad Jerusalem, quasi laudaretur fides ejus.

BARUCH.

CAPUT I. III.

JUdæi in Babylone existentes scribunt ad eos qui erant Jerosolymis ℣. 10. *Facite manna.* Per quod non intelligunt cibum illum, quo nutriti fuerunt Israëlitæ in deserto 40. annis, aut aliquem isti similem; sed *Manna* denotat hîc quoddam Sacrificii genus, nempè illud, cujus materia erat frumentum vel integrum, vel commolitum, vel coctum; vocabatur autem hebraïcè מנחה *Mincha*, vel *Manhha*, quod materiale nomen parùm inflexum in textu Græco pluries est retentum, ùt Jerem. XVII. 26. Dan. II. 46. prout & hoc loco Μάννα. Colligitur etiam ex contextu: *Facite manna, & offerte* &c. Vide dicta Exod. XXX. 5.

Cap. III. 14. *Disce... ubi sit virtus.* Lyranus intelligit *virtutem* vitio oppositam, & quidem *infusam.* Sed cùm in Græco sit Ἰσχὺς, patet intelligi *Fortitudinem*, *Robur* ad resistendum hostibus &c.

CAPUT VI.

℣. 19. *Corda eorum dicunt elingere serpentes.* Dicunt quòd ipsi serpentes corda lingant Idolorum, non quòd corda Idolorum malos serpentes elingant, atque ita auferant. Patet ex Græco. *Serpentibus comedentibus* &c.

℣. 21.

℣. 21. *Supra caput eorum volant... catta.* Hæ non aliæ, quam *Feles*, seu *Catti*, nam in græco est οἱ αἴλουροι, qui saltantes hîc dicuntur *volare*.

℣. 28. *Fœta & menstruata contingunt.* Per mulieres *Fœtas* hîc non intelliguntur *Prægnantes*, ùt translatum est in Flandricis Lovan. *De bevruchte vrouwen*; hæ siquidem apud Hebræos immundæ non erant, ut tamquam abominabile referret Jeremias, tales apud Idololatras gentiles *contingere Sacrificia.* Sed *fœtas* vocat *Puerperas* (ùt est in græcis Sixtinis) hoc est eas, quæ recenter pepererunt, qualiter benè translatum est in Lovaniensium Gallicis: *Les femmes gisants.*

℣. 31. *Sicut in cœna mortui.* Istud *Mortui* non est Nominativus pluralis, sed Genitivus singularis, ùt colligitur ex circumstantiis, & patet ex græco νεκρȣ͂.

℣. 69. *Sicut in cucumerario formido.* Ponitur *formido* pro eo, quod avibus formidinem ingerit, ne accedere audeant in horto, ut semina furentur; est enim in græco: *Terriculamentum*, v. g. stramineum hominis simulacrum.

EZECHIEL.

CAPUT III. XXI.

CAp. III. 5. *Tu mitteris.* Esse præsentis temporis, patet ex Hebræo: *Atta schaluach. Tu missus*, supple *es.*

XXI. 28. *Mucro mucro evaginate ad occidendum, limate* &c. Ita conjunctis vocibus optimè impressum est in Bibliis Vaticanis Clem. VIII. 1593. Siquidem (ùt ostendam Libro II.) ita omninò scribendum est, non verò duabus separatis vocibus: *Evagina te.... lima te*, qualiter habent omnia passim alia Biblia tam impressa moderna & antiqua, quàm manuscripta. Ex hac porrò mendosa lectione oritur prima ambiguitas sensusque alius, quàm importet legitima lectio, per quam ambiguitas illa tollenda est, & sensus alienus deserendus.

In vera autem ista lectione: *Evaginate... limate*, adhuc manet ambiguum, an hæc sint duo verba, idque Imperativo plurali, q. d. *Mucro mucro!* Vos hostes eum *evaginate ad occidendum, limate* &c. An potiùs sint duo Participia passiva Vocativi casûs, à Nominativis *Evaginatus. Limatus.* Ita reverà est, & hunc postremum esse genuinum Scripturæ sensum, patet ex Hebræo, ùt Libro II. demonstrabo.

CAPUT XXII. XXIII.

XXII. 26. *Inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt.* Non agitur hîc præcisè de *Sancto* homine, & *prophano* &c. Sed generaliter de *sancta re*, & *prophana*; nam in Hebræo non est קדוש *Kados. Sanctus*, sed קדש *Kodes.* *Sanctitas. Sancta res.* Idem notandum Cap. XLIV. 23.

XXIII. 25. *Nasum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanserint gladio concident.* Ambiguum est an *Concident* sit *Corruent*, seu *Simul cadent*, ut media sit correpta; an quòd hostes *cadent*, seu *Conscindent* mediâ productâ, quod ulti-

ultimum attentis circumstantiis dici videretur, & translatum est in Bibliis Lovan. Flandricis & Gallicis. Attamen primùm sensum esse genuinum, manifestant Hebræa, in quibus est תפול *Tippol. Cadet. Et postremum tuum in gladio cadet.*

CAP. XXVII. XXX. XXXVIII.

XXVII. 5. *Ut facerent tibi malum.* Intelligi *Malum* navis, patet ex Hebræo תרן *Toren.*

XXX. 25. *Confortabo brachia Regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident.* Non intelligas q. d. Brachia Regis Babylonis amputabunt brachia Pharaonis; sed ita: Brachia Pharaonis *corruent*, seu *Cadent*, ùt est in Hebræo תפלנה *Tippolena.*

XXXVIII. 16. *Quasi nubes.* Esse singularis numeri constat ex Hebræo כענן *Ce-enan*, & Græco ὡς νεφέλη.

CAPUT XL. XLIII.

XL. 39. *Ut immoletur super eas* mensas *holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.* Non ita intelligas: Ut super illas mensas tam pro peccato, quàm pro delicto immoletur holocaustum. Sed ita: Ut super illas immoletur holocaustum, atque etiam Sacrificium pro peccato, prout & Sacrificium pro delicto. Hoc enim importat hebræum *Haola, vehachattath, vehaascham.*

XLIII. 13. *In cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum... Et in circuitu, palmus unus.* Non sumitur *Palmus* primo loco nominatus pro eadem mensura, quâ *Palmus* secundo loco: nam primo loco intelligitur *Palmus minor*, quæ est longitudo 4. digitorum secundùm latitudinem sumptorum, seu manûs transversæ, vocaturque in Hebræo טפח *Tophach*, prout etiam hoc loco habetur. Secundo autem loco intelligitur *Palmus major*, nempè *Spithamus*, quæ est longitudo 12. digitorum, atque adeò triplo major priori; nimirum spatium illud, quod comprehendit pollex deductus, seu divaricatus, & extremitas digiti auricularis, quam mensuram Hebræi vocant זרת *Zereth*, qualiter hîc est in Hebræo. Similiter in Græco habetur primo loco *Palmus minor* παλαιςῆ, secundo loco *Major.* Σπιθαμὴ.

CAP. XLIV. XLVI. XLVIII.

XLIV. 23. *Quid sit inter sanctum & pollutum* &c. Sunt Neutrius generis. Vide dicta Cap. XXII. 26.

℣. 29. *Victimam &* Sacrificium *pro peccato &* Sacrificium *pro delicto ipsi comedent.* Vide dicta Cap XL. 39.

XLVI. 14. *Faciet sacrificium super eo cata mane mane.* 15. *Cata mane mane.* Hoc est *Singulis diebus manè*; illud enim significant Hebræa verba, quæ hîc habentur בבקר בבקר *Babboker, babboker. In mane, in mane.* Porrò *Cata* κατὰ Græca vox est, quæ inter alia significat *Secundùm*, & *Per*, q. d. *Per singula mane.*

XLVIII. Quartò habetur ℣. 16. *Quingenta & quatuor millia.* Porrò ambiguum hoc est, an sensus sit 504000. an verò 4500. Primum magìs est juxta modum loquendi Latinum, sed secundum

dum juxta morem exprimendi numeros in Hebræa lingua, in qua solitum est, ut minor numerus præponatur, major postponatur, ùt signanter patet ℣. seq. ubi Vulgata *Ducenta quinquaginta.* Hebræa חמשים ומאתים *Chamisschim umathaim. Quinquaginta, & ducenta.*

Itaque ad *Quingenta* non sunt subintelligenda *Millia*; sed sine ambiguitate clariùs transferri potuisset: *Quatuor millia, & quingenta.* Siquidem in Hebræo habetur חמש מאות וארבעת אלפים *Chames maoth, ve-arbaath alaphim.* Quibus præcisè verbis etiam habetur ℣. 30. 32. 33. 34. Quæ ibidem translata sunt: *Quingentos, & quatuor millia.* His autem locis intelligi 4500. patet ex ℣. 35. ubi tota summa quater repetendo *Quingentos & quatuor millia*, dicitur tam in Hebræo, quàm in Latino *Decem & octo millia.* 18000. Si verò intelligerentur 504000. Tota summa excresceret ad 2016000. Hoc est ad vigesies centena millia, & sedecim millia.

DANIËL.

CAPUT II. III. VIII.

CAp. II. 34. *Abscissus est lapis de monte sine manibus.* Materia & circumstantiæ satis indicant illud: *Sine manibus*, non referri ad *Lapidem*; ne quis tamen insulsè erret, putans significari, lapidem omninò rotundum sine manibus, seu lateribus, aut extantiis, à Scriptura sæpè *manus* vocatis, præsertim in Hebræo, notandum est in Originali esse: *Eben di-la bidaïn. Lapis, qui non in*, seu *per manus* erat abscissus, hoc est nullo cooperante homine, quo designabatur Christus de Virgine, absque virili cooperatione nasciturus.

III. 46. *Succendere fornacem, naphta & malleolis.* In re incendiaria, qualis hîc tractatur *Malleolus* est fascis ex sarmentis tenuibus effectus, qui facillimè concipit ignem, & vehementer auget flammam. Hi *Malleoli* in Græco textu, in quo (non in Hebræo aut Chaldæo) hæc reperiuntur, vocantur κληματίδα. *Palmites, Virga vitea. Sarmenta.*

VIII. 2. & 16. *Vlai.* Prima littera non est *V.* consonans, ut sit monosyllabum *Vlaj*, prout quandoque aliquos insulsè hoc nomen audivi pronunciare; neque est trisyllabum *U-la-i*, sed dissyllabum *U-laj*, seu *Ula.* Patet ex Hebræo אולי

CAPUT IX. XI. XIV.

IX. 25. *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem.* Aliqui hæc ita sumunt q. d. A fine reædificationis, seu à completa reædificatione; accipiendo scilicet *Sermonem* pro *re*, & *Exitum* pro *fine*, quomodò dicimus: Ista res talem habuit exitum, hoc est finem, & terminum.

Sed vix, si vel vix, Hebræus textus patitur hanc explicationem, habet enim: *Ab egressu verbi ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalem.* Nam Hebræum מוצא *Motsa*, prout & Græcum

cum ἔξοδος, quod habent LXX. nullatenus significant *finem*, aut *terminum*; sed *Egressum*, & *Exitum*; unde sensus genuinus est: A datâ licentiâ, seu ab emanato verbo, sive edicto Regis Persarum de reædificandâ Jerosolymâ.

ỳ. 26. *Post finem belli statuta desolatio.* Non est hoc loco *Statuta desolatio* eadem, quæ *Stabilis, permanens, perdurans*; sed *Constituta, Decreta, Determinata* judicio Divino; istud enim, non verò primum significat Hebræa vox נחרצת *Necheretseth.*

XI. 24. *Contra firmissimas cogitationes inibit. Firmissimas* non refertur ad *Cogitationes*, sed ad aliud suppositum, quod subauditur. Colligitur ex Hebræo: מבצרים *Mibtsarim. Contra Munitiones cogitabit cogitationes suas.* LXX. *Contra Ægyptum cogitabit cogitationes.* Hi videntur sine ב *B* legisse in Hebræo מצרים *Mitsraim Ægyptum.*

XIV. 6. *Neque comedit aliquando.* Non esse præsentis temporis, sed præteriti patet ex Græco βέβρωκεν. *Manducavit.*

OSEE.

CAPUT II. IV.

CAp. II. 8. *Argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Pagninus videtur intelligere, quasi Deus exprobret Hebræis, quòd de argento & auro, munere Divino ipsis dato, fecerint Idolum Baal, nam ita transfert: *Et ex auro fecerunt Baal.* Sed Lyranus verosimilius explicat Israëlitas Argentum & aurum, vel certè victimas ex illis comparatas, *fecisse*, hoc est impendisse, & sacrificasse Idolo Baal. Favet Lyrano, quòd in Hebræo sit Dativè לבעל *Lab-Baal. Ipsi Baal.* Similiter LXX. τῇ Βάαλ.

IV. 14. *Cum meretricibus conversabantur, & cum effeminatis sacrificabant.* Vocè *Effeminatis* hîc quidem non designantur *Ignavi*, & *pusillanimes*, ùt Isaiæ III. 4. quod patet ex Hebræo *Kedeschoth.* Cùm tamen hoc sit nomen femininum, non est certum hoc loco significari scorta mascula; quibus nihilominus tum ob femininum animum, tum ob femininum officium in nefanda libidine, meritò potuit tribui nomen femininum. Porrò Hebræa hæc vox propriè significat scorta Veneri aut Priápo consecrata; ùt observavimus ad III. Reg. XIV. 24. Unde LXX. transtulerunt: *Cùm initiatis.*

CAPUT V. VI. VII.

Cap. V. 7. *Nunc devorabit eos mensis cum partibus suis.* Non sic intelligas: Eos devorabit mensis, & singulæ mensis partes, putà unaquæque dies; sed ita: Mensis eos, & singulas eorum partes devorabit. Patet ex Hebræo in quo est חלקיהם *Chelkehem. Partibus eorum*, non חלקיו *Chalakau. Partibus ejus.*

VI. 2. *Quia ipse cepit, & sanabit nos.* Non sumitur *Cepit*, pro *Inchoavit*, sive *Incepit*, adeòque codices aliqui mendosè legunt per Diphthongum *Cæpit.* Sed idem est, quod *Rapuit*; unde dicitur *Cepit* à *Capere*; hoc enim, non verò *Incipere*, significat Hebræum טרף *Ta-*

Taraph, & Græcum ἥρπακε.

VII. 5. *Dies Regis nostri.* Posset videri hic sensus: Dies, qui Regis sunt, hi etiam nostri sunt. Sed in Hebræo est יום מלכנו *Jom malcenu. Hæc est dies Regis nostri.* Ita in terminis exponit Hieronymus in Commentario suo hujus loci. Vel: *In die Regis nostri.*

℣. 6. *Quasi ignis flamma.* An *Ignis* in Genitivo, & *Flamma* in Nominativo plurali? An potiùs *Flamma* sit Genitivus singularis, & *Ignis* Nominativus? Postremum docet textus Hebræus כאש להבה *Ceës lehaba. Quasi* quidam *ignis* alicujus *flammæ.*

℣. 9. *Sed & cani effusi sunt in eo.* Non intelliguntur *Cani* homines, q. d. Ipsi senes, & jam cani, effusi sunt in Israël, seu magno mentis impetu ruunt in Idololatriam. Sed *Cani* est substantivum idem significans quod *Canities.* q. d. Jam senuit, & morti proximus est, utpote *Canis* conspersus. Est enim in Hebræo: *Canities sparsa est in eo.* LXX. *Canities efflorait ei.*

CAPUT IX. XIII. XIV.

IX. 4. *Panis eorum animæ ipsorum.* Non videtur *Animæ* esse Nominativus pluralis, sed Dativus singularis, positus tamen pro plurali, cùm in Hebræo sit לנפשם *Lenapscham.* τῷ *animæ eorum.* Ita etiam LXX. ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν. Hi vertentes in Dativo plurali *animabus*, sensum clariùs expresserunt.

XIII. 2. *Immolate homines vitulos adorantes.* Ut benè reflexit noster La Haye, Dubium est in Vulgata, an istud *Homines* sit in Vocativo, vel Accusativo. Lyranus sumit in Vocativo, nam exponit: *Immolate homines, id est ô vos homines immolate, & offerte vitulos.* Sed meliùs Hieronymus, Cyrillus, Hugo, & plures alii, exponunt per Accusativum, cùm in Hebræo sit זבחי אדם עגלים ישקון *Zobeche A'dam agalim isschakun.* Hæc ad verbum sonant: *Immolatores hominis* (*hominum*) *vitulos osculentur*, seu *adorent.* Ita etiam in Accusativo verterunt LXX. ἀνθρώπους. Hos *homines.*

XIV. 6. *Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium.* Est Dativus לישראל *Israëli.* Similiter LXX. τῷ Ἰσραήλ. Hinc interpunctio, seu comma videtur minùs rectè positum ante vocem *Israël*, quam congruentiùs sequeretur.

JOEL.

CAPUT I. II.

CAp. I. 15. *A a a, diei.* Hebræa אהה ליום *Ahah lajjom! Va*, sive *Heu diei isti!* Est enim Interjectio dolentis. Vide dicta Jerem. 1.

II. 13. *Præstabilis super malitia.* Id est, inquit Tirinus, Excellens, eminens super malitia, hoc est super vindicta, & punitione. Sed meliùs sic expones: Deus paratus est *præstare* veniam malitiæ, seu peccatorum: nam Hebræum verbum נחם *Nicham*, propriè significat *Placabilem*, *Consolabilem*, *Ignoscentem*, *Pœnitentem.* Hinc idem verbum versu sequenti transfertur: *Ignoscat.* Imò eadem præcisè materialia verba, quæ hîc sunt in Hebræo, transferuntur,

tur, Jonæ IV. 2. *Ignoscens super malitia:* LXX. loco quem tractamus: *Pœnitens super malitiis.*

AMOS. MICHÆAS.

AMos I. 1. *Verba Amos.* עמוס Alterius à patre Isaiæ אמוץ

Mich. I. 13. *Principium peccati est filia Sion, quia in te inventa sunt scelera Israël.* Istud *Filia* est in Dativo *Lebath.* At vox *Israël* in Genitivo *Pische Israël. Prævaricationes Israëlis.* Neutrum in Vocativo, quod aliàs videri posset.

SOPHONIAS.

CAp. II. 5. *Gens perditorum.* Est Participium activum *Perdentium*, non Passivum; ùt transtulerunt Lovan. tam Fland. *Volck der verdorvene*, quàm Gall. *Gentz perdues.* Etenim in Hebræo est כרתים *Cerethim*, seu rectiùs *Crethim*, quod quidem videtur esse nomen Gentis inter Palestinos, unde Legiones *Cerethi* in libris Regum; quapropter etiam hîc LXX. transtulerunt Κρητῶν, sed appellativè sumptum significat *Perditores*, seu *Interfectores*, ùt interpretatur Hieronymus.

ZACHARIAS.

CAPUT I. III. IV.

CAp. I. 8. *Post eum equi rufi, varii, & albi.* Similiter Cap. VI. 3. *In quadriga quarta equi varii, & fortes.* Ibid. ℣. 6. *Varii.* Non sumuntur his locis *Varii* pro *Diversis*, q. d. *Multi* numero; sed quòd essent *Variegati* coloris. Priori loco vocantur in Hebræo שרקים *Serukkim*, hoc est *Multi-colores*, seu grandioribus maculis varii coloris in cute respersi, quales Belgicè vocamus *Bonte*, quod etiam significant LXX. vertentes ποικίλοι. *Maculosi.*

Binis aliis locis etiam LXX. ποικίλοι, sed in Hebr. ברדים *Beruddim. Punctati*, punctis nimirum tum albi, tum nigri coloris respersi, quasi globulis grandinis, quæ Hebraicè vocatur ברד. *Barad*, unde derivatur *Beruddim.* Flandricè: *Gespickelt.*

III. 2. *Increpet Dominus in te Satan: & increpet Dominus in te.* Istud *In te* non est quoad sensum in Ablativo casu, sed Accusativo, secutusque est Interpres Syntaxin Hebræorum, quâ verba contactûs corporalis, aut spiritualis, vel moralis sæpissimè construuntur per ב *B. In.* Vide dicta I. Reg. XXIX. Sic etiam hîc יגער יהוה בך השטן *Ighar Adonaj becha has-Satan*, propriè significat: *Increpet Dominus te ô Satan!* Ita ubi ℣. 6. Vulgata: *Contestabatur Angelus Domini Jesum.* In Hebræo est ביהושע *Bi-Jhosua. In Josua*, aut potiùs. *In Josuam*, seu *Jesum.* Hinc optima est, & ambiguitatem tollit lectio Editionis Sixti V. *Increpet Dominus te Satan, & increpet Dominus te.*

℣. 9. *Ego calabo.* Biblia Sixti V. Lovan. & plura antiqua, habent sine diphthongo: *Ego celabo.* Ambiguitatem tollunt græca: *Ego fodiam scrobem.* Et Hebræa: *Ego aperiens apertionem*, seu fossam; non verò habent: *Occultabo*, quod significat *Celabo* scriptum sine Diphthongo.

I. MA-

I. MACHABÆORUM.

CAPUT VII. X.

CAp. VII. 21. *Satis agebat Alcimus pro principatu Sacerdotii sui.* Non sic intelligas: Satis benè fungebatur officio Sacerdotali, quod consecutus fuerat; quia ex sequentibus & antecedentibus constat Alcimum impium fuisse, & sceleratè omnia peregisse. Igitur *Satis agebat*, idem est quod *Satagebat*, sive, ùt est in Græco, ἠγωνίσατο, *Agonizabat*, seu *Contendebat*, ùt Syrus textus habet; hoc est: omni vi & astu conabatur occupare summum Sacerdotium, & in illud sese intrudere, ac stabilire.

X. 36. *Ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni.* Istud *Magni* non est Adjectivum *Regis*, ùt transfertur in Bibliis Lovan. Flandricis & Gallicis, sed Nominativus pluralis: *Qui sint magni*, seu *Præfecti in munitionibus regiis*, hoc est, qui præcipua & majora munia obeant, est enim in græco: *In munitionibus regis magnis.* μεγάλοις.

℣. 75. *Custodia Apollonii Joppe erat.* Non dicitur ipsam *Joppe* fuisse custodiam, seu arcem urbemque munitam pro securo recessu Apollonii; sed *Custodiam*, seu *Præsidium* militum Apollonii fuisse ἐν Ἰόππῃ. *In Joppe.*

II. MACHABÆORUM.

CAPUT III. V. VII.

CAp. III. 12. *Decipi verò eos, qui credidissent loco, & Templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui veneratione, & sanctitate omninò impossibile esse.* Ut notat Estius: Obscuritas & ambiguitas hujus loci nata est ex incommoda translatione, nam in Græco nihil est obscuritatis, sic enim sonat: *Per injuriam autem fraudari eos, qui sanctitate loci, & majestate Templi: per universum mundum honorati, ejusque immunitate confisi essent* (deponentes ibi pecuniam suam) *id perabsurdum esse, ac prorsus indignum:* Onias enim inculcat indignum esse, ac prorsus fieri non debere (quod Interpres noster vertit *Impossibile*) ut fallerentur illi spe suâ; qui sanctitati, & securitati loci confidentes, inibi thesauros suos tamquam tutissimo deposuissent.

Cap. V. 11. Antiochus *Jussit militibus interficere, nec parcere occursantibus, & per domos ascendentes trucidare.* Istud *Ascendentes* non refertur ad *Milites*, sed ad cives Jerosolymitanos, quos non solùm obvios in plateis jussit occidi, verùm etiam illos, qui ad solaria & domata fugiebant. Patet ex Græco: Καὶ τοὺς εἰς οἰκίας ἀναβαίνοντας, quod significat: *Et eos qui in domos ascendebant.* Hinc illud non rectè ad *Milites* retulerunt Biblia Lovaniensium tam Gallica, quàm Flandrica: *Qu'ilz entrassent és maisons. Ende dat sy op de huysen klimmende de lieden doodtslaen souden.*

VII. 37. *Invocans Deum maturiùs genti nostræ propitium fieri.* Hîc *Maturiùs* non est *Tardiùs*; sed *Celeriùs*, seu *Citò, festinanter*, ùt significat græcum ταχὺ.

CAPUT X. XIV.

X. 13. Ptolomeus Macer *Veneno vitam*

tam finivit. Non liquet ex Vulgata an jussu Antiochi regis venenum hauserit, an ipse ultrò mortem sibi adsciverit venenum potando; sed Græcus textus rem clarè exponit φαρμακεύσας ἑαυτὸν ἐξέλιπε τὸν βίον. *Venenans se ipsum reliquit vitam.*

La Haye dicit: *Sept. habent: Præ tristitia veneno sumpto vitam finivit.* Fortè in aliis exemplaribus Græcis est istud: *Præ tristitia.* Sed in La Haye est magna inadvertentia in allegatione variarum Lectionum tum in Ecclesiastico, tum in utroque hoc Machabæorum libro. Nam quoad hos libros continuò Græcum textum citat sub nomine *Septuaginta Interpretum*, cùm satis constet libros istos non esse translatos ab illis 72. Senioribus; imò certum est post illorum tempora historiam Machabæorum contigisse, atque adeò, etiam hos libros post factam translationem esse conscriptos; & consequenter non ab ipsis.

XIV. 4. Demetrio Regi obtulit impius Alcimus, *Thallos, qui Templi esse videbantur.* Thallos explicat Lyranus: Vasa offertoria in modum turrium facta. Biblia Flandrica Lovan. *Koppen*, hoc est *Scyphos.* Gallica: *Des vaisseaux d'offertoire.* Sed ex græco θαλλῶν patet fuisse *Ramos*, nempè aureos, similes virentibus palmarum, aut olearum Ramis, à θάλλω *Vireo.* Istud autem *Videbantur*, non est dubitativum, sed assertivum, q. d. Quos manifestè constabat, & apparebat esse Templi, seu ad Templum pertinere; nam in græco est: *Ex legitimis ramis templi.*

MATTHÆUS.

CAPUT I. II. III.

CAp. I. 19. *Joseph vir ejus cùm esset justus, & propterea nollet eam traducere.* Non est hic sensus, quasi dicat, Josephum utpote justum, noluisse Mariam, ab ipso putatam fornicariam, in domum propriam, ut eidem cohabitaret, ducere, atque ita *Traducere*, seu transferre. Sed sensus est: Quòd eam noluerit publicè accusare, neque in publicam adulterii suspicionem adducere, & ita *exemplum facere*, ùt importat græcum παραδειγματίσαι. Vide infra Hebr. VI. 6. Quin etiam Hieronymus, Bernardus, & plures alii docent S. Josephum nullam sinistram de B. Virginis pudicitia habuisse suspicionem.

℣. 23. *Ecce virgo in utero habebit.* Tam hìc in græco, quàm Isaiæ VII. 14. in Hebræo est articulus præpositivus, unde non genuinè à plerisque vertitur Flandricè: *Eene maghet*, Gallicè: *Une vierge.* Sed vertendum: *De maghet. La vierge.* Atque adeò specialem quamdam designat.

Cap. II. 16. *Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus. Ejus* non indicat fines regni Herodis, sed urbis Bethlehem, quod clarè patet ex Græco, in quo non est Masculinum αὐτοῦ, ut ad Herodem posset referri; sed femininum αὐτῆς, ut ad Bethlehem referatur.

Cap. III. 8. *Facite ergo fructum dignum pœni-*

pœnitentiæ. Vox *Pœnitentiæ* non est Dativi casûs, sed Genitivi, ùt patet ex græco: τῆς μετανοίας.

℣. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Torquet aliquos quomodò lapides fieri possint filii Abrahæ; sed difficultas omnis cessat inspecto textu Græco, ex quo patet istud *Abrahæ* esse Dativum τῷ Ἀβραάμ. *Ipsi Abrahæ*, & ita clariùs apparet de filiis adoptivis, seu deputatis agi.

℣. 13. *Tunc venit Jesus.* Non est Præteriti temporis, sed Præsentis τότε παραγίνεται. *Tunc accedit.*

CAPUT V. VI.

Cap. V. 13. *Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* Vultne Christus dicere: Si destructum, seu annihilatum fuerit sal? An potiùs: Si evanidum, & sine acrimonia redditum? Ultimum intendisse docemur ex græco ἐὰν μωρανθῆ. *Si infatuatum fuerit*, seu: *Si insipidum factum.*

VI. 7. *Orantes nolite multum loqui.* An igitur Christus improbat prolixas preces? Minimè, sed futilem, atque inanem verborum profusionem; hanc enim importat græcum: μὴ βαττολογήσητε, quod Arias vertit: *Ne inania loquamini.* Hinc vitium *Battologia*, quæ (ùt ipse Calvinus hoc loco notat) *Supervacua est, & putida repetitio* verborum.

℣. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus.* Non est *Ejus* referendum ad *Regnum*, sed ad *Deum*, non enim in græco est αὐτῆς femininum, ut ad βασιλείαν posset referri, sed masculinum αὐτοῦ.

CAPUT VII. VIII. X.

Cap. VII. 22. *Nonne... in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Non intelliguntur opera virtuosa; seu meritoria, sed insignia miracula, & Divinæ potentiæ opera; neque enim in græco est ἀρετὰς, sed δυνάμεις *Potentias. Opera fortia.*

VIII. 3. *Volo. Mundare.* S. Hieronymus in hunc locum: *Non, ùt plerique Latinorum putant, jungendum est, & legendum: Volo mundare, sed separatim, ut primùm dicat: Volo, deinde imperet: Mundare.* Istud enim *Mundare* non esse Infinitivum activum, sed Imperativum passivum, patet ex græco, καθαρίσθητι. *Fias mundus.*

X. 16. Monet Christus ut Apostoli sint *Simplices sicut columbæ.* Græcè ἀκέραιοι *Incornuti*, per à privativum ab κεραὸς *Cornutus*, q. d. *Sine cornibus*, inermes ad ulciscendam, imò & ad repellendam injuriam.

℣. 19. *Nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini.* Non dissuadet Christus quodcumque prudens consilium, seu circumspectam considerationem; sed anxiam sollicitudinem, nam in græco est μὴ μεριμνήσητε. *Ne anxiemini.*

℣. 27. *Prædicate super tecta.* Græcè Δώματα. Plana illa solaria, qualia habebant domus in Judæa.

CAPUT XII.

℣. 6. *Templo major est hic.* Ut benè reflexit Hieronymus: Hic *non Pronomen, sed Adverbium loci est.* Nam in græco habetur ὧδε. *Hoc loco.*

℣. 26. *Et si satanas satanam ejicit.* Scriben-

bendum est duabus voculis *Et si*, ut idem importet, quod *Si autem*, vel *Itaque si*. Sic enim est in Græco, nempè καὶ εἰ. Dum verò *Etsi* unâ voce sumitur, idem valet, quod *Licet*, aut *Quamvis*, & huic correspondet græcum εἰ καὶ, item καίτοι. Idem observandum ℣. 27.

℣. 31. *Spiritus blasphemia*. Quidam legunt *Spiritus blasphemia*, signanter Biblia Sixti V. anni 1590. sed mendosè, ex non ritè intellectis his verbis, in quibus illud *Spiritus* est in Genitivo, ùt constat ex græco τοῦ πνεύματος βλασφημία. Itaque sensus est: *Blasphemia in Spiritum S.*

℣. 41. *Plusquàm Jonas hic*. ℣. 42. *Plusquàm Salomon hic*. Aberravit hoc loco Cornelius à Lapide, dum non attendens ad textum græcum, scripsit. Hic *id est ego, loquitur enim Christus de se in tertia persona*. Meliùs Hieronymus: *Hic Adverbium loci, non Pronomen intelligas*. Est enim in græco ὧδε. *In hoc loco*.

CAPUT XIII. XIX.

XIII. 33. *Abscondit in farina satis tribus*. Ne quis idiota fortè intelligat q. d. Sufficienter pro tribus alendis; notet illud *Satis* esse Dativum pluralem, à Nominativo *Satum*, quod erat species mensuræ apud Hebræos in usu, in græco quippè habetur Σάτα τρία, quæ faciunt unum *Ephi*.

℣. 38. *Zizania filii sunt nequam*. Cùm in græco sit οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ. *Hi filii hujus nequam*, seu *maligni*, aut *Nequitiæ*; patet istud *Nequam* non esse in vim Nominativi pluralis.

℣. 44. *Qui invenit homo abscondit*. Utrumque esse temporis Præteriti, colligitur ex εὑρών, & ἔκρυψε. *Occultavit*.

Eodem versu 44. *Emit* est Præsentis temporis ἀγοράζει. At ℣. 46. *Emit eam* Præteriti ἠγόρασεν αὐτόν.

XIX. 24. *Faciliùs est Camelum per foramen acûs transire*. Ut notavit Jacobus Magdalius, *Camelos Græcè dicitur Camelus Latinè, & est dictio tam apud Latinos, quàm apud Græcos æquivoca ad animal gibbosum, & funem nauticum, quo anchoræ navibus colligantur*. Talem grossum funem, seu *Rudentem* (quem Belgæ vocant *Cabel*, forsitan ab Hebræo כבל *Chabel*, seu *Chebel*) à Christo intelligi, ut concinnior esset comparatio, putavit Theophylactus, & alii aliqui antiqui, quos secuti sunt Schrieckius, Mariana, Bochius, &c.

Sed Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus multò meliùs Camelum animal, seu gibbosum istud jumentum intellexerunt. Nam etsi Græca, atque Latina vox *Camelus* aliqualiter sit ambigua, tamen admodum rarò pro *fune* nautico accipitur, deinde ambiguitas illa non est in Arabico, atque Syriaco textu, uterque autem Camelum Animal exprimit.

CAPUT XX. XXI.

XX. 6. *Invenit alios stantes, & dicit illis*. Ex præsenti *Dicit*, videretur *Invenit* esse Præsentis temporis, sed græcum εὗρεν hâc ambiguitate caret, cùm sit unicè Præteritum.

℣. 12. *Portavimus pondus diei, & æstus.*

æstus. *Æstus* non est in Genitivo singulari, q. d. *Pondus diei, & pondus æstûs*; sed Accusativo plurali, siquidem in græco est τὸν καύσωνα. *Æstum.*

℣. 27. *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Non est Prophetia, quasi Christus prædicat minimos futuros in regno cœlorum illos, qui in hac vita magni esse contenderint; nam pro *Erit*, non (nisi in paucissimis codicibus) est in græco futurum ἔσαι, sed Imperativum ἔσω. *Sit*, qualiter ℣. præc. transtulit Interpres Vulgatæ: *Sit vester minister.*

Sed ℣. 26. *Non ita erit inter vos.* Item Cap. XXIII. 11. *Qui major est vestrûm, erit minister vester*, est in græco futurum ἔσαι, quamvis in vim Imperativi; nam futuro solemus uti pro Imperativo, v. g. *Tu hoc facies*, pro: *Fac hoc.*

XXI. 5. *Dicite filiæ Sion.* Patet tum ex græco τῇ θυγατρὶ, tum ex Isa. LXII. 11. tam in græco, quàm hebræo, istud *Filia* esse Dativum singularem, non Nominativum pluralem.

CAPUT XXVI. XXVII.

℣. 13. *Dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Non est sensus q. d. Dicetur Mariam Magdalenam hoc in, & ad memoriam Christi fecisse, ut istud *Ejus* ad Christum referatur, & *Quod* sumatur Adverbialiter. Sed est hic sensus: Narrabitur etiam hoc factum in memoriam Magdalenæ, nam pro *Quod* est in græco Pronomen ὃ, & pro *Ejus* femininum αὐτῆς.

℣. 50. *Amice, ad quid venisti?* Putant aliqui esse verbum Christi Judæ exprobrantis, aut ei condolentis, q. d. Quo tandem impietatis devenisti! Ad quantum scelus te tua traxit avaritia! Sed esse meram, blandamque interrogationem patet ex græco ἐφ' ᾧ πάρει. *Propter quid ades? Pro qua re advenisti?*

XXVII. 66. Judæi *Munierunt sepulchrum* Christi, *signantes lapidem, cum custodibus.* Istud *Signantes* non significat *Circumdantes*, sed sigillo impresso obsignantes; hoc enim importat græcum: Σφραγίσαντες.

MARCUS.

CAPUT I. III. IV.

Cap. I. 6. *Erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus.* Non est subaudiendum *Erat*; nam ùt benè notat Magdalius: *Græcè zona non est Nominativi casûs*, sed Accusativi ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην. *Indutus pilos cameli, & zonam coriaceam.*

℣. 7. *Venit fortior me post me.* Est præsentis temporis, prout & ℣. 40. ἔρχεται. At ℣. 9. & 14. *Venit Jesus*, est Præteriti ἦλθεν.

℣. 41. *Volo mundare.* Munderis. Vide dicta Matth. VIII. 3.

III. 20. *Convenit.* Συνέρχεται. Præsenti.

℣. 24. 25. 26. *Et si.* Duabus vocibus scribendum esse constat ex græco καὶ ἐὰν, & καὶ εἰ. Vide dicta Matth. XII. 26.

IV. 10. *Cum esset singularis.* Hoc est *seorsum* à turbis, ùt significat græcum Adverbium καταμόνας.

℣. 19. *Circa reliqua concupiscentiæ intro-*

troeuntes suffocant verbum. Non est hic sensus: Pravi illi incedentes circa reliqua opera concupiscentiæ, suffocant verbum. Sed: Ipsæ concupiscentiæ, seu *Cupiditates irrepentes suffocant verbum.* Etenim illud *Concupiscentiæ* esse Nominativum pluralem, ejusque Adjectivum esse *Introeuntes*, constat ex græco ἐπιθυμίαι εἰσπορευόμεναι.

℣. 21. *Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur?* Non ponitur hîc *Venit* pro *Venditur*, sicut I. Cor. x. 25. *Quidquid in macello venit*; sed pro *Accedere*, est enim in græco ἔρχεται.

℣. 29. *Cum produxerit fructus.* Non malè Quidam legunt: *Cùm se produxerit fructus*, nam *Fructus* non est in Accusativo plurali, sed in Nominativo singulari; quandoquidem in græco sit ὁ καρπός.

CAPUT VII. VIII. IX.

VII. 32. *Adducunt ei surdum, & mutum.* Intellige, non omninò mutum, sed vix loqui valentem, & ægrè admodum; nam in græco non est ἄλαλον, quod significat totaliter mutum, habeturque ℣. 37. & Cap. IX. 18. Sed hoc loco est μογιλάλον *Ægrè loquentem.* Hinc illo sanato subditur ℣. 35. *Loquebatur rectè.*

℣. 34. *Ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.* Non est *Adaperire* Infinitivum, sed Imperativum passivum, q. d. *Fias aperta* auris, quod patet tum ex græco διανοίχθητι, tum ex Syro אתפתח *Ethphetach*, seu leniori & usitato more אפתח *Ephpheta.*

VIII. 24. *Video homines velut arbores ambulantes.* Vox *Ambulantes* refertur ad *Homines*, ùt patet ex græco περιπατοῦντας, nam *arbores* in græco sunt Neutrius generis δένδρα.

IX. 29. *Prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam scire.* In primis est ambiguum illud *Prætergrediebantur*; nempè an per Galilæam transibant, an illâ relictâ, circuierint per confinia Galilææ, illam non intrantes. Primum patet ex græco διὰ τῆς Γαλιλαίας. *Festinanter transibant per Galilæam.*

Deinde non satis liquet, an Jesus neminem vellet agnoscere, & alloqui, an vellet ne ullus sciret ipsum ibidem transire. Postremum asserunt græca Καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τὶς γνῷ. *Et non volebat ut quis sciret.*

℣. 46. *Bonum est tibi luscum introïre in regnum Dei, quàm duos oculos habentem* &c. Hîc prout alibi in Scriptura *Luscus* significat illum, qui altero caret oculo; nam in græco est μονόφθαλμον. *Unoculum.*

CAPUT XIV. XVI.

XIV. 9. *Quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.* Græcè αὐτῆς. In Magdalenæ memoriam, ùt dixi ad Matth. XXVI. 13.

℣. 37. *Venit, & invenit eos dormientes.* Utrumque esse in Præsenti patet ex græco; ex quo pariter constat ℣. 40. *Invenit* esse Præteriti; at

℣. 41. *Venit* primo loco esse præsentis, secundo præteriti temporis, prout ℣. 42. & 66. esse præsentis.

XVI. 14. *Iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* S. Bernardus Serm.

Serm. 1. de Ascens. docet *De Angelis accipiendum*, & quidem de solis, utpote qui soli eum *viderant resurgentem*. Sed multò verosimiliùs est designari Mariam Magdalenam, mulieres, aliosque, de quibus Marcus præmiserat, quòd viderant Christum *Resuscitatum*, neque illis hoc narrantibus alii crediderant. In græco enim non est *Resurgentem*; sed ἐγηγερμένον. *Surrectum*, si ita Latinè loqui possimus, sive (ut vim græcæ vocis efferam) *Cùm resurrexisset*.

LUCAS.

CAPUT I.

VErs. 29. *Quæ cum audisset*. Ambiguum est, an istud *Quæ* referatur ad B. Virginem, an potiùs ad dicta Gabrielis, ut sit idem, quod: *Qualia cùm audisset*. Sed ad B. Virginem referri, manifestant græca, quæ non habent Accusativum neutrum ἃ, sed Pronomen Nominativum femininũ ἡ.

℣. 48. *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. B. Virgo non intendit dicere: *Ex hoc*, id est *Propter hoc beatam* &c. Sed *Ex hoc* idem est, quod: Ab hoc tempore, & deinceps; etenim in græco est: ἀπὸ τοῦ νῦν. *Ex nunc*.

℣. 50. *Misericordia ejus à progenie in progenies*. Lyranus: Hoc est à natione Judæorum transibit ad progenies, seu nationes omnium Gentilium. Sed cùm in græcis plerisque sit εἰς γενεὰς γενεῶν, *In generationes generationum*. Hoc est: In omnes generationes Hebræâ Phrasi; patet verum sensum esse: Misericordia Dei se protendit ad omnia tempora, cunctasque nationes. Aliqua græca habent: *In generationem & generationem*. Aliqua: *In generationes, & generationes*, sed omnes eodem sensu.

℣. 51. *Dispersit superbos mente cordis sui*. Ne sic intelligas: Deus superbos dispersit à mente, vel per mentem cordis Divini, seu justissimo suo decreto; nam *cor*, & *mentem superborum* intelligi, patet ex gr. ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν. *Superbos cogitatione cordis eorum*.

℣. 54. *Suscepit Israël puerum suum*. Non dicit B. Virgo: Populus Israëliticus incarnato nunc Divino Verbo, recepit Puerum illum toties promissum, de quo Isa. IX. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. Nam græcus textus planè alium sensum indicat. Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ. Quod clarè textus Persicus explicat: *Israëli servo suo opem tulit*. Etenim *Puer* hîc more Scripturæ *Servum* significat, Juxta illud Psal. LXXXV. 16. *Da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ*.

Hîc autem *Suscipere* est succurrentis, & auxiliatricem manum porrigentis, juxta Eccli. III. 14. *Fili suscipe senectam patris tui*. Isa. XLI. 10. *Suscepit te dextera justi mei*. Psal. LXII. 9. *Me suscepit dextera tua*. Act. XX. 35. *Sic laborantes oportet suscipere infirmos*. Quo loco habetur idem verbum græcum. Est igitur vox *Israël* in Accusativo, & sensus est: Deus populum suum omni auxilio destitutum, jamque labascentem, quasi porrectâ, & suppositâ manu suscepit, sustinuit, erexit.

CA-

CAPUT II.

℣. 2. *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.* An tunc *Præside* cùm facta est descriptio? An verò ab eo, qui aliquando vel antea, vel postea Præses fuit? Postremum multi putant, sed Græcus textus planè innuit Cyrinum illo ipso descriptionis tempore fuisse Præsidem, non enim habet *à Præside*, sed ἡγεμονεύοντος, *Præsidente* actu, seu *Cùm præsideret*, ùt importat græcum Participium istud. Hinc notavit antiquum Correctorium Parisiense: *Græca littera non habet à, & planior hîc & verior est.* Maldonatus quoque scribit legendum esse: *Facta est præside Syriæ Cyrino* absque *à* interposito. Aliqui Recentiores explicant Lucam q. d. *Hæc descriptio prior fuit, quàm illa præsidentis Syriæ Cyrini,* utpote decennio post exacta; sed hunc sensum ut ut patiatur græcus textus, nequaquam tamen Latina Vulgata.

℣. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus.* Ne quis imperitus hæc de Christo intelligat, eo quòd præcedentia & sequentia, de ipso; non de B. Virgine faciant mentionem, sciat in græcis penè omnibus & melioribus esse femininum ἀυτῆς. Quamvis juxta Patres ipsa Virgo Deipara purificatione Legali non indiguerit, nec Legi puerperarum fuerit adstricta.

℣. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Non intelligit Christi animam, quæ sit quasi tua ô B. Virgo, ùt Quidam nimium speculativi explicant; sed dicit Deiparæ animam gladio compassionis trajiciendam; est enim istud *Ipsius* femininum σου δὲ ἀυτῆς.

℣. 37. *Hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor.* An annis 84. Vidua fuerat, an totidem vixerat? Postremum indicat lectio communior græca, χήρα ὡς ἐτῶν. *Vidua circiter annorum* &c. Unde Greg. Nyssenus: *Annos nata* 84. Aliqui græci codices habent ùt Vulgata ἕως ἐτῶν. *Usque ad annos*, seu *Usque annorum.*

CAPUT III.

℣. 7. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis.* Est Præteriti temporis τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν. *Quis demonstravit vobis?* ùt vertitur Matth. III. 7.

℣. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Vox *Pœnitentiæ* esse in Genitivo; at in Dativo istud: *Filios Abrahæ*, patet ex græco.

℣. 35. *Qui fuit Sale, qui fuit Caïnan, qui fuit Arphaxad.* Est famosa controversia Scripturistica, num inter Sale & Arphaxad, verè mediet Caïnan, ita ut is fuerit filius ipsius Arphaxad, pater verò Sale; sic ut Sale fuerit Arphaxadis nepos. Aliqui hoc negantes, explicant præsentem locum Lucæ hoc modo: *Qui fuit Sale, qui* Sale *fuit* ipse, ast alio nomine dictus *Caïnan.* Sed ista explicatio corruit ex textu græco, in quo non est hoc loco aliter, quàm in præcedentibus, & sequentibus omnibus, ubi Vulgata habet: *Qui fuit*; nempè merus Articulus Genitivus τοῦ *Ipsius Sale*, supple.: filius, *ipsius Caïnan, ipsius Arphaxad.* τοῦ Σαλὰ, τοῦ Καϊνὰν, τοῦ Ἀρφαξὰδ.

CAPUT V. VII. IX. X.

Cap. V. 13. *Volo mundare. Munderis.* Vide Matth. VIII. 3.

VII. 12. *Filius unicus matris suæ.* An unicus superstes? An *unigenitus*? Ultimum habet græcus textus μονογενής. Idem est Cap. VIII. 42. & IX. 38. quapropter etiam ibi de *unigenitis* est sermo.

℣. 22. *Pauperes evangelizantur.* Ne, ùt multi teste Jansenio Gandensi, sic intelligas: Pauperes Apostoli prædicant Euangelium; Nota verbum *Evangelizor* nec in Græco, nec in Latino esse Deponens, sed Passivum, cujus Activum *Evangelizo* in Scriptura frequenter occurrit. Itaque sensus est: *Pauperibus evangelizatur*, seu annuntiatur Euangelium.

IX. 31. Moyses & Elias *Dicebant excessum ejus* Christi; nempè exitum de hoc mundo per passionem suam, in græco siquidem est ἔξοδον. *Egressum. Exitum.*

X. 34. *Duxit* illum *in stabulum.* Non intelligitur id, quod hodie *stabulum* vocamus, nempè receptaculum pecorum, aut jumentorum; sed Diversorium hominum. Hoc significat græcum πανδοχεῖον, quod verbotenus sonat: *Omnium receptaculum*, nempè Hospitum.

CAP. XI. XII. XIII. XIV. XVI.

XI. 13. *Dabit Spiritum bonum petentibus se.* Illud *Se*, sive *Ipsum* non refertur ad *Spiritum*, sed ad *Patrem*, nam in græco est αὐτὸν Accusativo masculino, non αὐτὸ, prout in Neutro esse deberet, ut ad *Spiritum* πνεῦμα posset referri.

℣. 31. *Plus quàm Salomon hic.* ℣. 32. *Plus quàm Jonas hic.* Id est: Hoc loco. Vide dicta Matth. XII. 41.

XII. 11. *Nolite solliciti esse.* gr. *Ne anxiemini.* Idem est ℣. 22. Vide Matth. X. 19.

℣. 42. *Ut det illis in tempore tritici mensuram.* Cùm sit in græco unum verbùm Σιτομέτριον, patet istud *Tritici* ad *Mensuram* referri, q. d. Ut cùm oportuerit, ipsis *Demensum*, seu certam tritici mensuram distribuat, non verò ad *Tempus*, q. d. Ut tritici tempore.

XIII. 6. *Venit... & non invenit.* Utrumque esse præteriti temporis patet ex græco, quamvis ex ℣. 7. posset putari esse præsentis.

XIV. 34. *Si sal evanuerit.* gr. μωρανθῇ. Si *Insipidum redditum* perdiderit acrimoniam. Vide Matth. V.

XVI. 1. *Habebat villicum.* Hieron. Epist. 151. q. 6. *Sive dispensatorem, hoc enim* οἰκονόμος (quod hîc est in græco) *significat; Villicus autem propriè Villæ gubernator est; unde & à Villa Villicus nomen accepit.* Οἰκόνομος *autem tam pecuniæ, quàm frugum, & omnium quæ Dominus possidet dispensator est; unde &* οἰκονομικὸς *Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem villæ, sed dispensationem universæ domûs Tullio interpretante significat.* Conformiter intellige ℣. 2. 3. 4. *Villicare*, & *Villicationem.*

CAPUT XVIII. XIX. XXI.

XVIII. 11. *Velut etiam hic publicanus.* Genuina lectio, & consequenter sen-

sensus videtur, ut duabus vocibus separatim legatur *Vel ut*; nam in græco est ἢ καὶ ὡς. *Vel etiam sicut.*

XIX. 42. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Istud *Quæ* non refertur ad *Diem*, q. d. Quæ dies præsens, seu tempus tibi datum est ad tuam felicitatem, & salutem; nam tunc deberet esse in græco femininum ἥ, nunc autem est Neutrum τά. Unde sensus est: *Si nunc cognosceres illa, quæ* concernunt salutem tuam.

XXI. 38. *Omnis populus manicabat ad eum.* Ambiguum hoc verbum substituit Interpres pro *Summo mane surgebat*, aut *veniebat*, idque ut imitaretur græcum textum, qui eundem matutinum populi ad Christum confluxum expressit uno verbo ὤρθριζε, cui correspondet Hebræum שׁכם *Scacham*, idem significans. Hæc verba etiam habentur in Textibus Hebræo, & Græco Psal. cxxvi. 2. ubi Vulgata: *Ante lucem surgere.*

CAPUT XXII.

XXII. 20. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Nullum est dubium, quin Christus asseruerit sanguinem suum pro Apostolis fundendum: attamen quoad verba ista, est hoc loco in Vulgata ambiguum, an illud *Qui* referatur ad *sanguinem*, an potiùs ad *calicem*; siquidem etiam *calix* ratione contenti *sanguinis*, satis usitatè dici potest *fusus*, seu *effusus*, ùt est in græco, sicuti Rebecca Gen. xxiv. 20. *Effudit hydriam*, & septem Angeli singuli *Effuderunt phialas suas* Apoc. xvi. 1. 2. 3. 4. &c.

Calvinus & Beza ad *sanguinem* retulerunt, habent enim: *Hoc poculum, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Sed nec sincerè, nec benè, cùm non sit in græco τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. *Pro vobis effuso*; qualiter esse deberet, ut ad Dativum αἵματι, seu Ablativum *sanguine*, posset referri.

Scripsit verò Lucas: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Ista si ad litteram transferantur, sonant: *Hoc poculum novum testamentum in sanguine meo, pro vobis effusum*; seu *quod pro vobis effunditur.* Est enim ἐκχυνόμενον Participium passivum præsentis temporis, nominativi casûs, & neutrius generis, quomodò etiam Articulus Præpositivus τὸ est generis neutrius, ac nominativi casûs; ex quo evidenter sequitur, hunc Articulum, & istud Participium non posse referri ad aliud, quàm ad Nominativum Neutrum ποτήριον *Poculum*, quod clarè patet vel ipsis Grammaticis, cunctisque scientibus linguam græcam; quapropter si cum Vulgata velis transferre *Calicem*, ista verba græca grammaticaliter vertenda sunt hoc modo: *Hic calix novum testamentum in sanguine meo, pro vobis effusus.*

Porrò valdè interest Ecclesiæ Catholicæ illud: *Qui pro vobis fundetur*, seu *effunditur*, ad *calicem* referri; inde siquidem contra Calvinistas habetur efficacissimum argumentum pro Mysterio S. Eucharistiæ, quod ita formo.

Faten-

Fatentur omnes Chriſtiani tam Sacramentarii, quàm Catholici, liquorem illum, qui pro Apoſtolis à Chriſto *fuſus* eſt, non alium fuiſſe, quàm ejus verum, realem, ac ſubſtantialem ſanguinem. Atqui teſte Lucâ Chriſtus æterna Veritas dixit in ultima cœna *Poculum*, ſive *Calicem* illum ipſum, quem in manibus habebat pro Apoſtolis *effundi*; utique non aliter, quàm ratione liquoris in eo contenti. Igitur in *poculo*, ſive *calice* iſto tunc continebatur verus, realis, ac ſubſtantialis Sanguis Chriſti Domini Salvatoris noſtri.

Quia Bezam ac Calvinum hoc argumentum ineluctabiliter ſtringebat, ideò tam aſtutè, quàm infideliter Latinum textum, ita exhibuerunt, ùt iſtud *qui*, ad *ſanguinem* ſolùm poſſit referri, non ad neutrius generis *poculum*.

Idem factum eſt in Bibliis Flandricis editis per Calviniſtas, tum Gallinacium 1582. tum Dordracenos: *Deſe drincbeker is het nieuw teſtament in mynen bloede, 't welck voor u vergoten wort.*

Illis omnibus incautè præluſit Eraſmus, habeturque in variis antiquis Bibliis Flandricis, v. g. anni 1529. Imò in ipſa Lovanienſium tum prima, nempè anni 1548. tum 1556. tum 1598. *Dit is den kelck in myn bloedt, d'welck voor u.* In impreſſis anno 1653. judiciosè correctum eſt: *Den kelck.... die voor u ſal geſtort worden.* In poſterioribus equidem editis per *P. Jacobz Paets* 1657. iterum irrepſit *'t welck.*

CAPUT XXIV.

℣. 13. *Nomine Emmaus.* Hanc vocem noto propter errorem vulgarem illam pronunciandi tamquam diſſyllabam, cùm ſit proferenda tribus ſyllabis: *Em-ma-us.* Hoc patet tum ex græco textu, in quo eam Lucas expreſſit Ἐμμαοῦς, tum ex Syriaco עמאוס qualiter etiam exprimitur in Charta geographica hebraïca terræ ſanctæ, quâ utor.

Ex his ulterius patet, non rectè illam vocem ab Antiquioribus paſſim interpretari: *Mater feſtinans*, cùm obſtet in Hebræo littera tum finalis, tum initialis, nam *Mater feſtinans* deberet ſcribi אמאוץ Vera proinde interpretatio eſt, *Populus reprobatus*, aut *contemptus*, ab עם *Am. Populus*, & מאס *Maas. Reprobare, contemnere.*

JOANNES.

CAPUT I. III. IV.

CAp. I. 5. *Tenebræ eam non comprehenderunt.* Non intelligas ſic: Tenebræ non involverunt, ſeu extinxerunt hanc lucem; ſed ita: Tenebræ eam recipere, ſeu admittere noluerunt, ùt explicant Cyrill. Chryſoſt. Theophylact. ſive: *Non apprehenderunt*, ùt ſonat græcum οὐ κατέλαβεν, quod idem planè verbum eſt Rom. IX. 30. ubi Vulgata: *Gentes juſtitiam apprehenderunt.*

℣. 29. & 35. *Alterâ die.* Non ſumitur indefinitè, q. d. Aliqua die ſequenti, ſed *Poſtridie*, ùt eſt in græco τῇ ἐπαύριον, ſive: *In craſtinum*, ùt vertitur ℣. 43.

III. 2. *Scimus quia à Deo veniſti magiſter.*

gister. Non est *Magister* casu Vocativo, sed Nominativo, ùt benè notarunt Lovanienses; nam in græco est διδάσκαλος.

ỳ. 13. *Nemo ascendit in cœlum*. Hìc etiam rectè meritoque notarunt Lovanienses *Ascendit* esse Præteriti temporis; siquidem in græco est ἀναβέβηκεν. Unde non rectè in Bibliis eorum tum Flandricis, tum Gallicis translatum est præsenti tempore: *Niemant en klimpt. Persone ne monte.*

ỳ. 31. *Qui de sursum venit*. Græcum ἐρχόμενος *Veniens* est temporis præsentis; unde non rectè Flandr. Lovan. *Die van boven gekomen is.*

Cap. IV. 24. *Spiritus est Deus*. Subjectum hujus propositionis non est vox *Spiritus*, etsi priori loco posita, sed vox *Deus*, ùt patet ex græco πνεῦμα ὁ Θεός.

ỳ. 5. 7. 21. 23. & 25. *Scio quia Messias venit*. Est præsentis temporis ἔρχεται. Sed ỳ. 46. *Venit* est præteritum ἦλθε.

CAPUT V. VI.

Cap. V. 2. *Est autem Jerosolymis probatica piscina*. Non dicitur à *Probando Probatica*; sed à græco πρόβατον. *Ovis. Pecus*. Etenim in græco est προβατικὴ. *Quod* inquit Hieronymus de Locis hebraïcis, *à nobis interpretari potest Pecualis; nam hostias in ea lavari à Sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen accepit.*

ỳ. 7. *Descendit*. Præsens καταβαίνει. prout & ỳ. 14. *Invenit eum*, εὑρίσκει, quod aliàs ex contextu videretur esse Præteritum, qualiter translatum est à Flandr. Lovan. *Heeft hem gevonden*. A Dordracenis per Imperfectum: *Vont hem.*

ỳ. 24. 25. 28. *Venit* est præsentis temporis.

ỳ. 36. *Ego habeo testimonium majus Joanne*. Intellige formaliter: *Joanne testante*, non materialiter: In græco enim est μείζω τοῦ Ἰωάννου. *Majus Joannis*, scilicet *Testimonio*.

VI. 14. *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum*. Non qualemcumque Prophetam, sed singularem ac determinatum, nempè Messiam Hebræis promissum, intellexisse hos homines, patet ex græco ὁ προφήτης, ὁ ἐρχόμενος. *Ille Propheta, ille venturus.*

ỳ. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus*. Istud *Hunc* ad *Filium* refertur, non ad *Cibum*; quia in græco est masculinum τοῦτον, *Cibus* autem est in græco feminini generis ἡ βρῶσις. Pro *Signavit* est græcè ἐσφράγισε. *Sigillavit*, quasi sigillis appensis, quæ sunt oracula Prophetarum, Miracula, &c.

CAPUT VII. VIII. XI.

VII. 8. *Vos ascendite Jerosolymam ad diem festum hunc, ego autem non ascendo*. Cùm statim subdat Euangelista, Christum postea ivisse, posset videri hic sensus: Ego hactenus decrevi non ascendere; postea tamen propositum hoc Christus mutaverit. Sed clariùs est, & aliqualiter alius sensus eruitur ex græco, in quo non est οὐ *Non*, sed οὔπω. *Nondum*. Vide tamen circa hanc græcam lectionem libro sequenti.

VIII. 52. *Abraham mortuus est*. Malè Lovan. Flandr. *Abraham is doodt*; non enim est in græco νεκρὸς *Mortuus* Nominaliter; sed ἀπέθανε. *Obiit*; sicut eodem

dem verbo græco, & sensu dicit Paulus Rom. v. 8. *Christus pro nobis mortuus est*, qui utique actu vivit. Proinde transferendum erat: *Abraham is gestorven.* Vide infra Rom. vi. 10.

XI. 1. *Sororis ejus.* Istud *Ejus* Mariam respicit, non Lazarum; nam in græco est femininum ἀυτῆς. Hinc benè Lovan. Gall. *Sœur d'icelle*, non verò Fland. *Synder suster.* Deberet esse: *Haerder suster.*

CAPUT XII. XIII.

XII. Judæis, qui istud Christi *Oportet exaltari filium hominis*, rectè intelligebant de ejus cruce ac passione, & ex Scriptura sciebant *Quia Christus manet in æternum*; Respondit Jesus ℣. 35. *Adhuc modicum, lumen in vobis est.* Hoc est, inquiunt multi: Adhuc aliquale de me, seu de pertinentibus ad Christum, habetis lumen, seu notitiam, ergo satagite ut istud perficiatur. Sed, ùt notat S. Bonav. genuinus sensus est, quem dat Chrysost. Hom. 67. in Joan. *Adhuc parvo tempore lux vobiscum est*; nempè ego, qui sum *lux mundi, illuminans omnem hominem.* Patet ex græco ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι. *Adhuc modico tempore lumen vobiscum est.* Proinde *Modicum* in Vulgata est Adverbium temporis, non Adjectivum *Luminis.*

XIII. 16. *Neque Apostolus major est eo, qui misit illum.* Hic non sumitur *Apostolus* præcisè pro uno ex 12. Christi Apostolis; quia illi Antonomasticè *Apostoli* vocantur, Christus autem nomen istud hîc sumit generaliter, pro omni nuntio, qui cum mandatis annuntiandis mittitur, talem enim significat græcum Α'πόστολος.

CAPUT XVI. XIX.

XVI. 2. *Absque Synagogis facient vos.* Non intendit Christus prædicere: Destruent vestras Synagogas, seu loca congregationis, aut illa vobis eripient. Sed: Ejicient è cœtibus, & Congregationibus suis extorres, & exterminatos; sive: Excommunicabunt vos. Patet hoc evidenter ex græco Α'ποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς. *Aposynagogos facient vos.* Est autem *Aposynagogus*, Ejectus è synagoga, cœtu, & congregatione. Hinc pro illis Cap. ix. 22. *Jam conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret.* In græco est: *Aposynagogus fieret.* Cap. xii. 42. *Ut è synagoga non ejicerentur.* Græca: *Ut non Aposynagogi fierent.*

℣. 23. *In illo die me non rogabitis quidquam.* Intelligitne *Precari*, seu orare pro re aliqua obtinenda? sequitur enim: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* &c. An potiùs intelligit *Interrogare*, seu inquirere de aliquo, quod ignoratur? Postremum manifestant græca οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν. *Non interrogabitis aliquid.* Hinc genuinè Biblia Lovan. Gallica: *Vous ne m'interrogerez.* Sed malè Flandrica: *Op dien dagh en suldy my niet bidden.*

XIX. 10. *Mihi non loqueris?* Hoc Præsentis temporis est, non Futuri, siquidem in græco est λαλεῖς.

ACTUS APOSTOLORUM.

CAPUT I.

PRimum quidem sermonem feci &c. Interpretes penè omnes notant cum V. Beda in Retract. *Quod ait: Primum, non est Adverbium ordinis, juxta illud Apostoli: Primùm quidem gratias ago Deo meo; sed sicut ex Græco facillimè patet; Primùm, nomen est, adjungendum ad hoc quod sequitur: Sermonem, ut sensus sit, quòd primum sermonem fecerit de Jesu Euangelium scribendo; secundum sit modo facturus Apostolorum Actus addendo.* Hoc enim simpliciter indicat constructio græca: τὸν μὲν πρῶτον λόγον. *Illum quidem primum sermonem.* Quamvis in rigore illud πρῶτον sit indifferens ad Adjectivum *Sermonis*, & Adverbium temporis, q. d. *Illum quidem primò sermonem feci.*

ỿ. 6. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* In græco est τῷ Ἰσραὴλ. *Regnum Israëli* (non *Israëlis*) hoc est Populo Israëlitico, per varias Regiones disperso, qui, Judæâ in Provinciam redactâ, Regiam dignitatem perdidit, nullum habens Regem nisi Cæsarem.

ỿ. 13. *Et cùm introissent in cænaculum ascenderunt ubi manebant* &c. Si absque interpunctione scribantur hæc verba, sunt ambigua, nempè an postquam intrassent Cœnaculum, ulterius ascenderint &c. An verò: Cùm intrassent Jerosolymam, ascenderint in cœnaculum. Quomodò benè translatum est in Bibliis Lovaniensium tam Gallicis, quàm Flandricis. Priorem sensum passim exhibent codices Vulgatæ moderni, habentes comma post *Cænaculum*; verùm istam interpunctionem non ibi, sed post *Introissent* collocandam esse, patet ex græco textu, qui sensum secundum sine ambiguitate exhibet. Καὶ ὅτε εἰσῆλθον ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον οὗ ἦσαν καταμένοντες ὅ τε Πέτρος, καὶ &c. *Et cùm introissent ascenderunt in cænaculum* (seu Superius domûs ùt sonat græcum ὑπερῷον) *ubi erant permanentes Petrus*, &c.

ỿ. 14. *Cum... Maria matre Jesu, & fratribus ejus.* Istud *Ejus* ad *Jesum* referri, non ad *Mariam matrem*, ostendit masculinum αὐτοῦ.

CAPUT II.

Cùm complerentur dies Pentecostes. Lyranus: *Pentecostes, id est Quinquaginta, à Pente quod est Quinque, & Coste, quod est Decem.* Sed non genuinè; nam κόστη non significat aliud græcè, quàm *Hordeum.* κόστος *Costum* speciem aromaticam; *Decem* verò dicitur græcè δέκα. Deinde πεντηκοστὴ, significat præcisè idem, quod Latinum *Quinquagesima*; estque numerus Ordinalis, non Cardinalis. Unde sensus Vulgatæ est: *Cùm complerentur dies Quinquagesimæ.* Vel, ùt in græco est: *Cùm compleretur dies Quinquagesima.*

ỿ. 2 *Tamquam advenientis spiritus vehementis.* Non intelligitur *Spiritus S.* sed ventus procellosus, cui assimilatur adventus Spiritûs S. Patet ex græco, in quo non est πνεῦμα *Spiritus*; sed πνοὴ *Flatus*: ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας. *Tamquam ruentis flatûs violenti.*

ỿ. 3.

℣. 3. *Tamquam ignis.* Beda in Retract. *Hujus ignis, non Hic ignis, in Græco enim πυρὸς habet, non πῦρ.*

℣. 31. *Providens locutus est.* Hoc est: *Præscius*, seu *Prævidens* spiritu Prophetico, ùt est in græco προϊδὼν.

℣. 46. *Frangentes circa domos panem.* Non juxta domos, sed κατ' οἶκον. *Per domum*, nunc in hac, nunc in altera convenientes, & synaxim celebrantes.

CAPUT IV. V.

IV. 1. *Supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi.* Beda in Retract. *Magistratus numero singulari legendum est, quod ex græco facillime claret, ubi στρατηγὸς singulariter scriptum est, pro quo Latinè in quibusdam codicibus Præpositum Templi, in aliis rectius Prætorem Templi scriptum invenimus, nam Græcè Prætor στρατηγὸς. Magistratus autem, sive Princeps ἄρχων dicitur.* Idem notandum Cap. V. 26.

℣. 13. *Homines essent sine litteris.* Beda in Retr. *In Græco apertius pro hoc verbo habetur ἀγράμματοι. Illiterati.*

Cap. V. 9. *Quid utique convenit vobis.* Non intelligas q. d. Hoc non est vobis conveniens, utile, consultum: ut sit Præsentis temporis. Sed sic: Cur ita communi consensu conventum, seu conclusum est inter vos duos; hoc enim significat græcum Συνεφωνήθη à συμφωνέω *Consono.*

CAPUT VI.

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos. Sæpiùs in Scriptura vocantur *Græci*, homines Religione Gentiles, seu illi omnes, qui non profitebantur Judaïsmum, ùt Rom. I. & II. Gal. III. &c. Hi passim in ipsa Scriptura distinguuntur contra *Judæos*, & in Græco vocantur Ἕλληνες. *Græci.* Tales hîc non intelliguntur, quia in græco est Ἑλληνιστῶν *Græcizantes*, quo nomine indigitabantur tunc temporis illi sanguine ac Religione Judæi, qui extra Judæam nati erant, & sermone græco pro vulgari idiomatè utebantur; distinguebantur autem contra *Hebræos*, hoc est eos Israëlitas, qui in ipsa Judæa nati fuerant, & Hebræo, seu Syriaco sermone utebantur. Patet ex Græco tales Græcos etiam intelligi infra Cap. IX. 29. XI. 20. Vide XIV. 1.

℣. 5. *Nicolaum Advenam Antiochenum. Advena* sumitur non omninò generaliter pro homine extraneo à stirpe Israëlitica; sed pro eo, qui Genere extraneus, Judaïcam Religionem circumcisus susceperat, quales vocabantur *Proselyti*, ùt hîc est in græco προσήλυτον. De quibus Christus ad Pharisæos Matth. XXIII. 15. *Circuitis mare & aridum, ut faciatis unum Proselytum.* Talis erat hic Nicolaus, quamvis ex *Proselyto* dein factus Christianus.

CAPUT VII. VIII.

VII. 58. *Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis* &c. B. Petrus Damiani, & S. Bernardus Serm. de S. Stephano videntur intellexisse vestimenta Stephani, quasi *sua* translatum sit pro *Ejus.* Sed intelligi vestimenta lapidantium Stephanum patet ex græco, in quo est αὐτῶν *Eorum*, non αὐτοῦ *Ejus.*

℣. 59.

℣. 59. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Sensus non est: Ne hanc illorum actionem ipsis in peccatum reputes, prout translatum est in Bibliis Lovan. tam Flandricis: *En rekent* &c. quàm Gallicis: *Ne leur impute.* Sed iste: Ne hoc peccatum eorum facias esse perpetuum & stabile, seu irremissum, sed remitte quantociùs; Hoc enim, non primum, importat græcum στήσῃς.

VIII. *Facta est persecutio magna in Ecclesia.* Benè animadvertit Erasmus: Græcè ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, *id est*: *In Ecclesiam*, *sive*: *Adversus Ecclesiam.*

℣. 34. *De quo Propheta dicit hoc?* Hîc non attendens ad græcum textum, ambiguitate Latini insigniter hallucinatus est Translator nuperus Belgicus, vulgò Embricensis vertens: *Van welcken Propheet seght hy dat? De quo Prophetante dicit hoc?* Quasi nomen *Propheta* sit in Ablativo (quod ut exhibeam *Prophetantem* pro *Propheta* pono) Cùm si ita esset, in græco haberetur περὶ τίνος προφήτου. Qualiter non est ibidem; sed περὶ τίνος ὁ προφήτης λέγει τοῦτο. *De quo ille Prophetans dicit hoc?* Igitur transferre debuisset: *Van wien seght den Propheet dat?*

CAPUT IX. X. XII.

IX. 13. *Audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem, & hic habet potestatem.* Corbinus in sua translatione Gallica anni 1641. *Cetui cy a la puissance. Ille ipse habet potestatem.* Præcesserant Lovanienses Galli: *Aussy cestuy a puissance*, & Flandri: *Ende dese heeft macht.* Errarunt putantes *Hic* esse Pronomen Pauli, cùm sit Adverbium loci, ùt patet ex græco καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν. *Et in hoc loco*, seu civitate *habet authoritatem*, *facultatem*, *potestatem.*

X. 38. *Quomodò unxit eum* Christum *Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Gr. δυνάμει. *Potentiâ*, *Potestate* faciendi miracula, &c.

XII. 8. *Calcea te caligas tuas.* Non intelliguntur per *Caligas* braccæ aut tibialia, sed *sandalia*, ùt habetur in græco ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. *Subliga sandalia tua.* Ista etiam propriè significat Latinum *Caliga.*

℣. 20. *Persuaso Blasto... eo quòd alerentur Regiones eorum* temporis istius generalis famis, vendito frumento, *ab illo.* Hoc non ad *Blastum* referri, sed ad Herodem Regem, patet ex græco, in quo pro *Ab illo*, est: ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. *A Regia.*

℣. 22. *Populus autem acclamabat Dei voces & non hominis.* Istud *Voces* non esse Accusativum, sed Nominativum, patet ex græco: φωνὴ θεοῦ. *Vox Dei*, supple: Est ista tua ô Herodes, *& non hominis* alicujus.

CAPUT XIII. XIV. XVI.

XIII. 23. Deus *Hujus* Davidis *ex semine.... eduxit Israël salvatorem Jesum.* Christus hîc non vocatur *Israël*, prout alibi in Scriptura vocatur *David* &c. Nam in græco non est in Accusativo, sed in Dativo τῷ Ἰσραήλ. *Israëli.*

XIV. 1. *Ita ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo.* Cùm hîc in græco sit ἑλλήνων, non ἑλληνιστῶν, patet per

per *Græcos* hîc intelligi *Gentiles*; unde XVI. 1. πατρὸς δὲ ἕλληνος, transfertur *Patre Gentili*. Vide quæ dixi VI. 1.

℣. 12. *Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem*. Istud *Qui erat*, ad *Jovem* esse referendum, non ad *Sacerdotem*, est evidens ex græco: *Sacerdos autem Jovis existentis ante civitatem*.

XVI. 14. *Quædam mulier nomine Lydia purpuraria*. An *Purpuraria* quòd Purpuram tingeret? An quod venderet? Forsitan faciebat utrumque, à venditione tamen Purpuræ ita dici, patet ex græco πορφυρόπωλις. *Purpuræ-venditrix*.

℣. 22. *Magistratus*. Est Plurale στρατηγοὶ. *Prætores. Præfecti*.

CAPUT XVII. XVIII.

XVII. 18. *Quid vult seminiverbius hic ὁυτὸς iste dicere?* Cùm in græco sit σπερμολόγος, patet quòd *Seminiverbius* sit *Seminator verborum*, (ùt legunt Lovanienses, & alii plures Codices, post Bedam, Ambros. Aug. Hieron.) hoc est *Garrulus, Rabula*.

℣. 30. *Tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus*. Hic *Despicere* non est *Contemnere*, sed: Ex alto conspicere; hoc enim significat græcum ὑπεριδὼν. *Superspiciens*. Idem græcum verbum habetur Ps. XIII. 2. Ps. LII. 3. ubi clarè sumitur pro ex alto videns, & Vulgata habet: *Dominus prospexit de cœlo.... ut videat*. Est proinde contrarius Scripturæ sensus, quem exhibent Biblia Lovan. Gallica: *Mesprisant*. Flandrica: *Ongemerckt laetende*.

XVIII. 7. *Nomine Titi Justi, colentis Deum*. *Justus* est nomen proprium, saltem partiale istius hominis pii; nam in græco est ipsum nomen materiale Ἰούστου, si autem foret appellativum, haberetur in græco δικαίου. Hinc V. Beda in Retract. *Justi nomen etiam in Græco scriptum est, quia aut proprium hoc nomen viro fuit, aut merito justitiæ, à Romanis, qui eum noverant, ita cognominabatur*.

℣. 28. *Ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum*. Ita intellige: Ostendens Jesum esse Messiam, seu Christum in lege promissum, quod indicant græca τὸν χριστὸν Ἰησοῦν. *Jesum esse illum Christum*.

CAPUT XIX. XX. XXI.

XIX 24. *Faciens ædes* (ναοὺς *Templa*) *argenteas Dianæ*. Est in Genitivo Ἀρτέμιδος.

℣. 27. *Destrui incipiet majestas ejus*. Non *Templi*, sed *Artemidos* seu *Dianæ*, nam in græco est ἀυτῆς.

XX. 4. *Sopater Pyrrhi Beræensis*. V. Beda. *Hic Beræensis, non hujus Beræensis*, in græco enim est Βεροιαῖος.

℣. 35. *Sic laborantes oportet suscipere infirmos*. Non ita intelligas: Debetis adjuvare infirmos miseriâ, atque inopiâ laborantes; sed ita: Vos lucro laboribus vestris comparato, debetis infirmis subvenire. Siquidem in græco est οὕτω κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων.

XXI. 21. *Quia* ὅτι quòd *discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum*. Non ita construe: *Ab eorum Moyse* &c. Sed ita: *Eorum Judæorum, qui per*, id est, inter *Gentes sunt, discessionem*

nem à lege Moysis excitas doctrinâ tuâ. Patet ex græco διδάσκεις τοὺς Ἰουδαίους. *Doceas illos Judaos.*

Dicens non debere eos circumcidere filios suos. Hoc est: *Eos* debere non circumcidere, seu Non posse; quod patet tum ex veritate Fidei, quia non malè docuisset, non esse obligationem circumcidendi, tum ex græco μὴ περιτέμνειν ἀυτοὺς. *Ne circumcidant.*

℣. 25. *Ab idolis, immolato, & sanguine*: Non vetantur tria, nempè ne colant Idola, ne comedant cibos immolatos, ne sanguinem; nam in græco est unico verbo εἰδωλόθυτον. *Idolothytum*, hoc est, à cibo Idolis immolato; neque opus erat ut Apostoli præciperent abstinere ab Idolis, cùm hoc nemo Christianus cavendum ignoraret essetque primarium Christianitatis fundamentum Idola despicere; sicut etiam propterea Apostoli non prohibuerunt speciali lege homicidia, furta, blasphemias. Deinde nec generaliter abstinendum erat ab *Immolato*, quia cùm tunc adhuc licerent Legalia, poterant licitè comedi cibi vero Deo immolati, v. g. in Templo Jerosolymitano; unde mendosa est interpunctio illa, quæ in multis codicibus ponitur inter hæc duo verba, hoc modo *Idolis, immolato.* Optimè transtulerunt Lovanienses: *De ce qui est sacrifié aux ydoles. Van het ghene dat den Afgoden geoffert is.*

CAP. XXIII. XXV. XXVII.

XXIII. 12. *Quidam devoverunt se.* Beda: *Devoverunt, maledixerunt* (sub conditione nisi Paulum occiderent antequam cibum gustarent) *siquidem pro hoc verbo in Græco scriptum est ἀναθεμάτισαν, & in sequentibus, ubi dicebant: Devotione devovimus nos, in Græco scriptum est ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν, quod quantæ austeritatis sit verbum, norunt, qui Anathemate sacerdotali à societate Christi, & Ecclesia alienantur.* Unde ℣. 14. *Devotio* significat Juramentum execratorium promissorium.

XXV. 4. *Se maturiùs profecturum.* Beda: *Maturiùs utique dicit celerius, quamvis aliquando maturiùs fieri dicatur, quod tardiùs, & cum maturitate consilii agitur, in Græco enim scriptum est, ἐν τάχει, id est in festinatione.* Cum celeritate.

℣. 13. & 23. *Bernice.* Hoc viri nomen esse autumant varii, signanter Zegerus noster. Sed præter hoc, quod patenter in Græco sit nomen feminæ Βερνίκη (qualia tamen aliquando viris tribuuntur) clarum est ex ℣. 23. Feminam designare, nimirum sororem Agrippæ Regis, nam ibi præponitur in græco articulus femininus τῆς Βερνίκης.

XXVII. 1. *Tradi Paulum cum reliquis custodiis.* Hîc *Custodiæ* sumuntur pro hominibus militum custodiæ commissis, nempè pro captivis, seu *Vinctis*, ùt est in græco: *Tradiderunt Paulumque, & quosdam alios vinctos.*

Idem advertendum infra ℣. 42. Milites voluerunt *Custodias occidere*, ubi iterum est in græco: δεσμώτας. *Vinctos.*

℣. 8. *Qui vocatur Boniportus.* Beda: *Hi Boniportus, non Hujus Boni-portus.* Patet ex græco καλοὺς λιμένας.

AD

AD ROMANOS.

CAPUT I. III.

PAulus de se dicit ℣. 1. *Vocatus Apostolus.* Hoc porrò non est idem, quod *Nominatus*, q. d. Qui appellor Apostolus; si enim hic esset sensus, in græco haberetur ὀνομαζόμενος, aut certè aliud aliquod distinctum ab eo, quod modo est κλητὸς, quæ vox per Participium *Vocatus* nequaquam ex æquo explicatur, ùt notant Interpretes passim, nam participium *Vocatus* magìs respondet voci κεκλήμενος. Est igitur κλητὸς *Vocatus* hîc Nomen, q. d. Vocatione Divina Apostolus. Unde Fromondus, aliique pro *Vocatus* substituunt *Vocatitius.* Idem notandum ℣. 6. & 7. ac pluribus aliis locis, nam continuò Paulus in Epistolis suis Christianos hoc sensu appellat *Vocatos.*

℣. 31. *Absque fœdere.* Hoc est, tales, qui nullum fœdus, aut promissionem initam, aut fidem datam servant; hoc enim importat græcum ἀσπόνδους.

Ib. *Sine misericordia.* gr. *Immisericordes.*

III. 19. *Ut... subditus fiat omnis mundus Deo.* Non est hîc *Subditus* idem quod obediens, cùm græcè sit ὑπόδικος. *Obnoxius. Obstrictus ad pœnam*; unde S. Aug. lib. de Grat. Christ. cap. 8. legit *Reus.* Hinc sensus est, ait Estius: ut appareat omnes omninò homines, etiam Judæos, esse Deo Judici ad æternam mortem obnoxios.

℣. 25. *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Cùm in græco sit διὰ τὴν πάρεσιν. Probabilior est hic sensus, ut remissio delictorum dicatur non quâ delicta condonantur, sed quam delicta fecerant, nempè animæ languorem viriumque defectum, & quasi Paralysim, unde idem verbum habetur in Græco, ubi Vulgata Hebr. XII. 12. *Remissas manus, & soluta genua erigite.* Atque ita explicant Chrysostomus, & Theophylact.

CAPUT IV. VI.

IV. 1. *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* Lyranus, imò etiam græci quidam ita exponunt: Quid invenit Abraham, qui est pater noster carnalis, seu secundum carnem? Alii hoc modo: Quid Abraham pater noster invenit secundum carnem, seu per carnalem circumcisionem? Hunc sensum deposcit constructio græci textûs: *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundum carnem?* Unde Syriacus textus: *Quid invenit in carne?* seu *Per carnem?* Arabicus: *Quod attinet ad carnem, quid invenit?*

℣. 25. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Summè variant omnes Interpretes & laborant, ut exponant, quomodò Christus resurrexerit propter justificationem nostram. Nulla mihi simplicior videtur expositio, nulla magìs genuina, & adeò litteralis quàm hæc: Sicut propter delicta nostra traditus est à Patre suo ad mortem & passionem, juxta illud Isa. LIII. 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.* ℣. 8. *Propter scelus populi mei per-*

cussi eum. Sic *propter justificationem nostram* ab ipso perfectam, hoc est, quia per mortem & passionem suam nos justificavit, *resurrexit*, seu ab eodem Deo Patre *Suscitatus est*, ùt habetur in græco ἠγέρθη, juxta illud Philipp. II. 8. 9. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; PROPTER QUOD & *Deus exaltavit illum* &c.

VI. 10. & 11. alio sensu *Mortuus peccato* dicitur Christus, alio nos; nempè Christus corpore mortuus ad tollenda peccata; nos mortui peccato seu iniquitati, quia non ampliùs in peccato vivimus. Patet hæc differentia ex græco textu, in quo dicitur de Christo verbaliter, & in præterito ἀπέθανε *Obiit* peccato; nos autem dicimur nominaliter νεκροὶ *Mortui*, nempè morte præsente, & in nobis permanente, ùt semper *mortui* maneamus, & numquam deinceps ipsi peccato vivamus.

℣. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Cùm in græco sit Neutrum ἀυτοῦ *Ejus*, non femininum ἀυτῆς. Patet hoc ad *Corpus* σῶμα referri, non ad *Peccatum*, quod est in græco feminini Generis ἁμαρτία.

CAPUT VIII. IX. XI.

VIII. 2. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu* &c. Istud *Spiritus* non est in Nominativo, q. d. Lex Euangelica, quæ est spiritus vitæ, nam in græco est Genitivus τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς. q. d. Lex Spiritûs Sancti vivificantis, seu Lex gratiæ vitam spiritualem tribuentis.

IX. 12. *Dictum est ei.* Ad Rebeccam, non ad Isaac referendum esse patet ex feminino ἀυτῇ.

℣. 28. *Verbum consummans & abbrevians.* Ista *Consummans*, & *Abbrevians*, non sunt Adjectiva *Verbi*, quod constat ex græco Λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων, ubi clarum est *Verbum* λόγον esse in Accusativo casu; at Participia Συντελῶν *Consummans*, Συντέμνων *Abbrevians*, seu *Concidens*, in Nominativo; si enim essent in Accusativo, haberetur Συντελῶντα, καὶ συντέμνοντα. Clariùs proinde potuisset transferri: *Sermonem consummans, & abbrevians*, subaudi: *Est Deus.*

XI. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Vocem *Gratia* esse in Ablativo constat ex græco χάριτι. Sensusque: Si per gratiam salvæ factæ sunt, ergo *non ex operibus* Legis veteris.

℣. 33. *Quam... investigabiles viæ ejus!* Privativè hoc accipiendum esse, colligitur quidem ex circumstantiis, sed evidenter manifestat textus græcus ἀνεξιχνίαστοι. *Non-pervestigabiles.*

CAP. XII. XIII. XIV.

XII. 1. *Rationabile obsequium vestrum.* Ponitur hîc *Rationabile* pro Rationali, seu Spirituali, prout opponitur corporali, seu merè externo, quale olim erat Judæorum obsequium, seu cultus Dei, sive Latria; in græco siquidem est τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. *Rationalem Latriam vestram.* Ex quibus etiam patet, Vulgatæ verba esse in Accusativo.

℣. 19. *Non vosmetipsos defendentes.* Tali defensione, quæ adjunctam habeat

beat vindictam, saltem in animo, hoc enim significat græcum ἐκδικοῦντες, quod est Participium ejusdem verbi, à quo deductum Nomen ἐκδίκησις, quod statim post vertitur *Vindicta*. Vide dicta Judith I. 12.

℣. 21. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Cùm in græco sit τὸ κακόν, Patet *Malum* in Neutro dici *Maleficium*, *Malitiam*. Non *Malitiosum* hominem.

XIII. 9. *In hoc verbo instauratur.* Græcè ἀνακεφαλαιοῦται *Recapitulatur*, ùt legit S. Aug. Epist. 29. seu: *Summatim comprehenditur.*

XIV. 1. *Infirmum in fide assumite.* Non est hic sensus: Eum, qui infirmus est, vos *in fide* vestra *assumite* instruentes indoctum; *Non in disceptationibus cogitationum.* Gr. *Non in altercationibus disputationum.* Sed est ita intelligendum: Eum qui adhuc in fide infirmus est, seu Infirmum fide, ùt est in græco.

CAPUT XV. XVI.

XV. 13. *Ut abundetis in spe, & virtute Spiritûs Sancti.* Gr. δυνάμει. Fortitudine, Robore, Gratia, Donisque Spiritûs S.

XVI. 22. *Saluto vos ego Tertius.* Rectè contra Aliquos exponit Ambrosiaster: *Tertius nomine, non numero*; nam in Græco non est τρίτος, sed Latino nomine τέρτιος.

℣. 23. *Salutat vos Cajus hospes meus, & universa ecclesia.* Videtur omninò genuina lectio istorum Codicum, qui habent *Universa ecclesia*, ùt libro sequenti ostendemus, nec est Nominativus pluralis, sed Genitivus singularis, ùt constat ex græco καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης, *Et ecclesiæ totius* hospes, omnes fideles extraneos adventantes benignissimè suscipiens.

Ibidem: *Salutat vos Erastus Arcarius civitatis.* Ut refert Lyranus, juxta Aliquos sic dictus est ab *Archos* quod est *Princeps*, sed hos errare patet ex græco οἰκόνομος. *OEconomus*, *Dispensator*, *Thesaurarius*.

I. AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

Vocatus *Apostolus.* Græcè κλητὸς, quod Nomen esse, non Participium diximus Rom. I. 1.

℣. 5. *In omni verbo, & in omni scientia.* Estius ait, Falli eos, qui hoc loco Hebraïsmum notant in *Verbo*, quasi idem sit quod *Re*, seu *Opere*; nam ùt ipse prætendit *Verbum* pro *Re* Græcis non dicitur λόγος, quod hîc legitur, sed ῥῆμα, ùt Matth. IV. 4. *In omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Luc. II. 15. *Videamus hoc verbum, quod factum est.* Act. X. 37. *Scitis quod factum est verbum.* Adde Exod. II. 14. Luc. I. 37. Igitur Ita ipsum hîc per *Verbum* non significat *Rem*, sed Eloquium & Sermonem fidei. Hoc tamen non est adeò certum, nam etiam λόγος pro *Re*, aut *opere* invenio apud LXX. II. Par. XII. 12. ἐν Ἰούδα ἦσαν λόγοι ἀγαθοί. *In Juda erant verba bona.* Quod in Vulgata vertitur: *In Juda inventa sunt* OPERA *bona.*

℣. 11. *Significatum est mihi ab iis, qui sunt*

sunt Chloës. Varii putant loci nomen esse, sed cum aliquo benè observat Estius, quòd tunc in græco esse deberet ὑπὸ τῶν ἐν χλόῃ. Cùm verò sit ὑπὸ τῶν χλόης, colligitur cujusdam hominis esse nomen, & quidem femininum.

℣. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum.* In græco est τὸν Στεφανᾶ οἶκον, non Στεφανᾶς, aut Στεφανῆς, ex quo manifestum est, non esse feminæ nomen; sed Viri à Nominativo *Stephanas.*

℣. 20. *Ubi conquisitor hujus sæculi?* Ne intelligas conquirentem undique, & corradentem divitias, seu bona hujus sæculi, sive prosperitates hujus mundi, ùt Lyranus intelligit. Nam in græco est Συζητητὴς. *Disputator*, *Scrutator*, Philosophus, qui suis disputationibus, & argumentis omnia nititur assequi.

CAPUT IV. V.

IV. 6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos.* Illa: *In me*, *& Apollo* non Ablativi, sed Accusativi casûs sunt, clariusque translata fuissent, atque conformiùs græco: *In me ipsum.* εἰς ἐμαυτόν. Sensus est: Ista, quæ jam dixi de dispensatoribus mysteriorum Dei, verti ad me ipsum, & ad Apollo, quasi nobis convenire & in nos quadrarent, idque *propter vos* instruendos.

℣. 19. & 20. *Virtus.* Potentiam, & robur intelligit; est enim gr. δύναμις.

Cap. V. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis. Augustinus* quidem (ait Estius) lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. accipit ùt Neutrum *Hoc malum*, tamquam velit Apostolus, ut ex se ipso quisque auferat malum, id est peccatum. Sic & *Pacianus* intellexit Epist. 3. & ante ipsum *Tertullianus* libro adv. Hermogenem cap. 11. Verùm *Augustinus* id corrigit, & retractat tum quæst. 39. super Deuter. *Credibilius est de homine dictum, quàm de vitio, nam Græcus habet* τὸν πονηρὸν, *nec ait* τὸ πονηρόν, *id est Hoc malignum, sed* τὸν πονηρὸν, *quod est, Hunc malignum.* Tum etiam lib. 2. Retract. cap. 17. Docens, ex Græco textu, *Sic potiùs intelligendum ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per Ecclesiasticam disciplinam.*

CAPUT X. XI.

X. 18. *Videte Israël secundum carnem.* Aliqui exponunt Vocativo casu q. d. Videte ô vos Israëlitæ; sed Accusativi casûs esse patet ex græco τὸν Ἰσραήλ. Videte carnales Israëlitas, sive Judæos incredulos; non moribus, non mente, sed carnali tantùm prosapiâ Israëlitas.

℣. 25. *Omne, quod in macello venit, manducate.* Multi antiqui Codices Vulgatæ habent *Venit* sine Diphthongo, atque adeò in illis manet ambiguum, an sensus sit: Omnem carnem in macello venientem, quo sensu dicitur Marc. IV. 21. *Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur?* Sed hoc loco *Venit* derivatur à *Veneo*, idemque significat quod *Venditur*, nam in Græco non est ἔρχεται, sed πωλούμενον *Venditum*, seu quidquid venale pro

XI. 21. *Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum.* Non ita intelligas:

gas: Arrogans est, & præsumptuosus, audacter, quæ comportavit ipse solus comedens, nec in commune conferens. Sed ita: *Pravè sumit*, non expectatis aliis. Istud enim significat græcum προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν. *Anticipat. Antevertit, Priùs capit in manducando.*

CAPUT XV. XVI.

XV. 34. *Ad reverentiam vobis loquor.* Tum hîc, tum alibi sæpè *Reverentia* non sumitur pro honorificatione, sed pro pudore & verecundia, quod patet ex græco ἐντροπὴ. q. d. Pudeat vos.

℣. 56. *Virtus verò peccati lex.* Non est iste sensus: Virtus peccato legem imponit, sive subjectum tenet, & constringit vitium, & concupiscentiam, ne in actum prorumpat, v. g. Humilitas superbiam, Castitas luxuriam &c. Nam in græco non est ἀρετὴ, sed δύναμις τῆς ἁμαρτίας, ὁ νόμος. *Potentia, Robur peccati*, est *ipsa lex.* q. d. Vires suas exerit peccatum per Legem, *sine lege enim peccatum mortuum erat.* Rom. VII. 8.

XVI. 15. 17. Nomen *Stephanæ* Viri esse ex gr. Στεφανᾶ diximus Cap. I. 16.

℣. 21. *Salutatio mea manu Pauli.* Ablativus est *Meâ*; ad *Manum* enim referri, non ad salutationem fit evidens ex græco, in quo *Salutatio* est masculini generis, Pronomen verò, & *Manus* feminini.

II. AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

VErs. 18. *Sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo* EST, *&* NON, & Iterum ℣. 19. *Non fuit* EST *&* NON, *sed* EST *in illo fuit.* Hæc valdè ambigua sunt in Latino, sed ex græco facilè patet Apostolum scribere: In prædicatione sua facta Corinthiis, nihil fuisse contradictionis, sed omnia cohærentia, atque verissima. Sic enim habetur in græco ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. *Sermo noster qui ad vos, non fuit Etiam, & Non.* Ubi illud ναὶ *Etiam*, est particula asserentis. Similiter ℣. 19. οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν. *Non fuit Etiam & Non, sed Etiam in illo fuit.* Hoc est: Non prædicavi nunc hoc, nunc ejus contradictorium, sed constanter in omnibus eamdē fidei veritatem docui.

℣. 20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo* EST. Græcè ἐν αὐτῷ τὸ ναί. *In ipso* Christo sunt *illud Est*; seu *Etiam.* sensus proinde est: Omnes de Christo Promissiones, Prædictiones, Prædicationes, sunt in ipso Christo ναὶ *Etiam. Est*, id est Ratæ, Validæ, Immutabiles, & completæ, aut complendæ.

Scribit hîc Estius: Meritò Quidam hoc loco reprehenditur ab alio, quòd particulam *In illo*, vel *In ipso* referat ad Adverbium *Etiam*, sive *Est*, dicatque ab aliis immeritò ad Christum referri: Quâ in re certè suam prodit imperitiam, ait Estius; nam ne ad *Est Etiam* ναὶ referatur, palam repugnat, priori quidem loco, nempè ℣. 19. *Etiam* sive *Est* antepositum *Ipsi* ναὶ ἐν αὐτῷ. *Etiam in illo*, supple *Sunt.* Posteriori autem præpositus ei articulus τὸ casu Nominandi, qui cum Dativo αὐτῷ, *Ipsi* non potest cohærere.

Sequi-

Sequitur: *Ideò & per ipsum*, nempè per Christum, non per *Est*, seu *Etiam*, ut statim dixi. *Amen.* τὸ ἀμὴν. *Ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* Hoc est: Dicimus verissima esse, ad gloriam Dei, quæ etiam est gloria nostra, aliam non volentes.

CAPUT III. V. VI. IX.

III. 7. *Litteris deformata in lapidibus.* Noli deformem, aut tetricam litterarum impressionem intelligere; sed ùt legit S. August. lib. de Spir. & Litt. cap. 14. *Figurata*, seu *Formata*, sive, ùt est in græco: ἐντετυπωμένη *Informata*, sive Impressa.

Cap. V. 13. *Sive mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis.* Græca indicant hunc esse sensum: *Sive desipimus, Deo desipimus; sive sapimus vobis sapimus.*

VI. 1. *Adjuvantes autem exhortamur.* Est Nominativi casûs, non Accusativi, nam in græco est Συνεργῦντες, non Συνεργῦντας. *Cooperantes*, seu *Nos Cooperarii*, non *Cooperarios.*

IX. 3. *Misi autem fratres.* Titum, Lucam, Silam; etenim non esse in Vocativo casu, sed Accusativo, constat ex græco τοὺς ἀδελφοὺς. Ita etiam ℣. 5.

CAPUT X. XI. XII. XIII.

X. 4. *Potentia Deo.* Non est Substantivum, sed Adjectivum δυνατὰ τῷ Θεῷ. Valida, Fortia, efficacia sunt per Deum arma nostra.

XI. 32. *Damasci præpositus gentis Aretæ Regis.* Græca tollunt ambiguitatem, atque ita sonant: *In Damasco* ibi *Ethnarcha Aretæ Regis* ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τῦ βασιλέως. Est autem *Ethnarcha* ad verbum *Gentis princeps.*

XII. 9. *Virtus in infirmitate perficitur.* Non significatur hoc loco virtus moralis, ùt humilitas, patientia, temperantia, quamvis ita varii exponant, post S. August. lib. 3. adv. 2. Epist. Pelag. cap. 7. In Græco namque habetur δύναμίς μῦ. *Potentia mea* &c. Estque verbum Christi, q. d. Paule, quantò major tua erit infirmitas, & ad malum pronitas, tantò majus robur à me tibi donabitur, & victoria illustrior obtinget, atque *perfecta* ostendetur *Potentia mea.*

XIII. 2. *Prædixi, & prædico.* Non derivatur hîc *Prædico* à *Prædicare*, sed à *Prædicere*; nam hoc, non illud significat græcum προλέγω.

AD GALATAS.

CAPUT I. II.

CAp. I. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam* &c. Intelligit Paulus contrarium, aut repugnans antea à se prædicatis, eam enim vim habet græcum παρὰ, ùt hîc eruditè per exempla ostendit Estius; imò eamdem significationem habet sæpè Latinum *Præter*, ùt cùm dicimus: Præter morem, Præter opinionem, Præter spem.

II. 2. 6. *Qui videbantur esse aliquid.* ℣. 9. *Qui videbantur columnæ esse.* Verbum græcum δοκέω, quod hîc vertitur *Videbantur*, etiam significat: *In pretio haberi. Æstimari*, quæ significatio

tio huic loco magìs congruit, ut sit sensus: Illi qui in pretio erant, seu qui æstimabantur; quapropter Arias vertit ℣. 2. & 6. *In pretio habitis.* Paulus enim non voluit in dubium revocare, multò minùs negare, illos reverà magnos fuisse, præsertim Petrum, Joannem, Jacobum. Ergo *Qui videbantur*, idem est q. d. *Quos constabat.*

℣. 11. *Cum venisset Cephas Antiochiam.* Ne quis alium hunc *Cepham* à Principe Apostolorum comminiscatur, sciat pro *Cepha*, in Græco passim esse huic Syriaco nomini Synonymum Πέτρος, quomodò etiam hîc legunt & S. Hieronymus, & Ambrosiaster, & varii Codices Latini, signanter Regii. Aliqua tamen græca etiam habent Κηφᾶς.

℣. 19. *Per legem, legi mortuus sum.* Est Præteritum ἀπέθανον. *Mortuus fui, Obii.* Per Legem Euangelii desii esse obnoxius Legi Mosaïcæ.

CAPUT III. IV. V.

III. 1. *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Varii codices habent *Proscriptus.* Aliqui hoc explicant cum Lyrano: *Condemnatus per falsos Apostolos asserentes, quòd fides ejus non sufficit ad salutem sine legalibus.* Eo proinde sensu, quo aliqui propter scelera sua dicuntur *Proscripti.*

Sed in græco est προεγράφη, quod verbum vix reperitur in illa Lyrani aliorumque significatione, ùt reflectit Estius, habetur autem in græco bis Rom. XV. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Porrò significat verbotenus *Ante-scriptus*, item *Ante-pictus*, sensus verò est: Meâ prædicatione ante oculos mentis vestræ Christus tamquam crucifixus, est descriptus, depictus, repræsentatus.

℣. 8. *Providens autem Scriptura.* Græcè προϊδοῦσα. *Prævidens. Cùm prævidisset.*

IV. 2. Parvulus *Sub tutoribus, & actoribus est.* Quales *Actores* intelligat, manifestat Græcus textus οἰκονόμους *œconomos*, Curatores, Rei domesticæ administratores.

℣. 7. *Jam non est servus, sed filius.* Apostolus hoc non dicit de Christo, sed de quovis fideli, ùt patet ex græco, in quo passim est ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, ἀλλ᾽ υἱός. *Itaque non amplius es servus, sed filius.*

Cap. V. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt* &c. Ambrosiaster illud *Christi* accepit, ùt Nominativum pluralem, dicitque hîc Christianos illos *Christos* vocari, qui sese Christo penitùs devoverunt; Sed illud ex græco facillimè refellitur, ibi enim est Genitivus singularis οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ. *Qui autem ipsius Christi.* Qui ad Christum pertinent, qui ejus spiritu ducuntur.

AD EPHESIOS.

CAPUT II. III. V.

CAp. II. 2. *Spiritus.* Est Genitivi casûs, ùt notant Estius, & Menochius, patetque ex græco τοῦ πνεύματος.

III. 8. *Investigabiles divitias Christi.* Non quæ investigari possunt, sed quæ nequeunt comprehendi; unde S. Hieronymus legit *Ininvestigabiles.* Commentator Pauli inter opera Ambrosii:

Incomprehensibiles, idque meritò, cùm sit in græco ἀνεξιχνίαστον. *Inpervestigabilem* privativè.

℣. 15. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* Non significatur hoc verbo Relatio illa, quam inusitato Latinis nomine Philosophi *Paternitatem* vocant; sed *Familia*, *Parentela*, sive *Cognatio* eorum, qui ab uno Patre, ceu principio generis orti sunt; istud enim significat græcum πατριὰ, non verò Relationem illam. Sensus proinde est: Ex quo Patre omnis familia sive Angelorum in cœlis, sive hominum in terris, existit, & originē habet.

Cap. V. 6. *Propter hæc*, enumerata vitia; nam in græco est ταῦτα Neutro genere; unde non refertur ad *Inania verba*, quæ in græco sunt Masculini generis λόγοι.

Venit ira Dei in filios diffidentiæ. Græcè ἔρχεται, Quod est præsentis temporis, significatque sæpiùs (ùt probat Estius) præsentem veniendi actum, cum quadam significatione futuri, q. d. *Imminet*.

In filios diffidentiæ. Lyranus intelligit Diffidentes de Divina remuneratione tempore diluvii; sed jam ostendimus *Venit* hoc loco de præsenti, atque imminenti dici, non de præterito; insuper in græco est ἀπειθείας, quâ voce, inquit Estius, significatur vitium contumacis, ac perfracti animi, non admittentis suasionem rationabilem, *Contumaces*, *Inobedientes*, propriissimè *Impersuasibiles*, seu *Filios incredulitatis*, ùt eadem verba translata sunt Coloss. III. 6.

AD PHILIPPENSES.

CAPUT I. III. IV.

CAp. I. 22. *Quòd si vivere in carne, hic mihi fructus operis est.* In quibusdam Codicibus reperi vocem *Hic* notatam accentu circumflexo, acsi foret Adverbium loci, quomodò sumpserunt Translat. Lovan. Flandr. *Hier.* Qui ita sumunt debent jungere prioribus, q. d. *Si vivere hîc in carne* diutiùs mihi concedatur. Sed ex græco constat esse Pronomen, habet enim τοῦτο *Istud*, nempè *Vivere* mihi lucrum est; & ita benè versum est in Lovaniens. Gallicis: *Ce m'est le fruict.*

III. 12. *Sequor autem* &c. Non simplicem sequelam indicat græcum διώκω, sed insequi cum magno conatu; atque adeò *Sequor* hîc, idem est quod *Valdè sequor*, & hoc sensu *Persequor*, ùt idem verbum reddit Interpres ℣. 14.

IV. 8. *Si qua virtus* opposita vitio, hîc enim est in græco ἀρετὴ.

AD COLOSSENSES.

CAPUT I. II. III.

CAp. I. 11. *In omni virtute confortati.* Lyranus: *Scilicet morali, & intellectuali*; sed talis hîc propriè non intelligitur, cùm in græco non sit ἀρετὴ, sed ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι, quod verbotenus sonat: *In omni potentia facti potentes*, seu, ùt Vatablus vertit: *In omni robore roborati.* Cùm tamen sine dubio Apostolus magis animæ vires ac corroborationem, quàm corporis exoptet

optet Colossensibus, eos etiam in *virtutibus* animæ crescere, & stabiliri peroptat.

II. 2. *Ut consolentur corda ipsorum.* Non sumitur hîc *Consolari* activè, q. d. Ut consolationem adferant; sed præter morem loquendi hodiernum, passivè: *Ut consolationem accipiant. Ut tristitiâ eximantur.* Patet ex græco ἵνα παρακληθῶσιν, quod est Passivum, ab Activo παρακαλέω. Hinc παρακαλέομαι. *Consolatione erigor*, seu *fruor*.

III. 6. *Venit* (imminet) *ira Dei super filios incredulitatis*, qui ex pervicacia sunt impersuasibiles. Vide Ephes. v. 6.

CAPUT IV.

℣. 15. *Salutate... Nympham, & quæ in domo ejus est, Ecclesiam.* Ambrosiaster, Anselmus, Lyranus, aliique Latini penè omnes (prout & Translator Flandr. Lovan. vertens *Haer*) putant *Nympham* mulierem fuisse. Sed sermonem esse de viro vocato *Nymphas* (ùt ℣. 10. *Barnabas.* ℣. 12. *Epaphras*) clarum est ex græco, in quo pro *Ejus*, non est ἀυτῆς femininum, sed masculinum ἀυτȣ̃. Quædam græca habent ἀυτῶν, quod posset verti *Eorum*, & *Earum*, sed patet hoc esse mendosum, quia non præcessit plurale, ad quod referretur.

℣. 16. *Eam* epistolam, *quæ Laodicensium est, vos legatis.* Ex hoc ambiguo loco, malè intellecto, quidam putarunt aliquam à Paulo ad Laodicenses fuisse scriptam Epistolam; imò jam à temporibus Hieronymi apocrypham quamdam aliqui fabricarunt, qualis & hodiedum circumfertur. Sed ex græco patet Apostolum non loqui de epistola ad Laodicenses scripta, sed de aliqua ab ipsis Laodicensibus, aut saltem ex eâ urbe missâ; in græco enim est καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας. *Et eam, quæ ex Laodicia est.* Unde Syrus: *Et eam quæ scripta est ex Laodicia.* Mirum quòd Arias in suis Bibliis Græco-Hebraïcis omiserit ἐκ *Ex*, nisi (quod crediderim) desit incuriâ Typographorum: Non enim in græcis aliis editionibus, aut manuscriptis aliqua est lectionis varietas. Ex dictis patet hallucinatum esse Patrem Amelote, dum in sua versione gallica ita translulit: *Vous lirez aussi celle, que j'escris aux Laodiceens. Legetis etiam eam, quam scripsi ad Laodicenses.*

I. AD THESSALONICENSES.

CAPUT I. II.

CAp. I. 8. *A vobis diffamatus est sermo Domini.* Usu moderno *Diffamare* sumitur in deteriòrem partem, sed more Vulgatæ frequenter accipitur in bonum, pro divulgare famam, etiam cum laude; sic itaque hîc sumitur, ùt patet tum ex circumstantiis, tum ex græco ἐξήχηται. *Personuit.*

II. 16. *Pervenit ira Dei super illos usque in finem* duratura. Præteriti temporis esse, non præsentis, colligitur ex græco ἔφθασε *Pravênit*, à φθάνω *Prævenio. Anteverto.* q. d. Jam nunc ex justâ Dei vindictâ excœcati sunt, & flagellis variis attriti.

℣. 17. *Nos fratres desolati à vobis.* Hoc est *Orbati*, ùt filius patre, aut filiis pater orbatur; istud enim significat ἀπορφανισθέντες.

III. 7. *Ideò consolati sumus fratres in vobis.* Non est ita exponendum, q. d. Ego vestro exemplo proposito, fratres, seu alios fideles sum consolatus, sive consolatione replevi; Nam istud *Fratres* est in Vocativo, & Verbum *Consolati* sumitur passive, ùt constat ex græco διὰ τῦτο παρεκλήθημεν ἀδελφοὶ ἐφ' ὑμῖν. *Propter* (seu *Per*) *hoc consolationem accepimus ô fratres super vos*, hoc est: *Ex vobis.* Unde ad hunc locum S. Aug. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 4. *Dubium est utrum: O fratres, an Hos fratres; sed Græca lingua hos casus pares non habet, & ideò illâ inspectâ renuntiatur Vocativus, id est: O fratres.*

IV. 16. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Non vult Paulus docere electos priùs resurrecturos, quàm reprobos, sed quòd *Primi*, seu *Priùs* resurgent, antequam *rapiantur* obviam Christo, quod clarè patet ex græco, in quo non est πρῶτοι *Primi*, sed Adverbium πρῶτον *Primùm. Deinde*, &c.

Cap. V. 3. *Sicut dolor in utero habenti.* Non alium dolorem intelligi, quàm mulieris parturientis, constat ex græco ὠδὶν, quod specificè hunc significat, ab ὠδίνω. *Parturio.*

II. AD THESSALONICENSES.

CAPUT I. II. III.

CAp. I. 8. *In flamma ignis dantis vindictam.* Estius: Participium *Dantis* non ad Genitivum *Ignis*, aut *Flammæ*, quod primâ facie apparet, sed ad *Domini Jesu* referendum est, ùt ex græco patet ἐν πυρὶ φλογὸς διδόντος. *In igne flammæ dantis* Masculinè; est autem φλὸξ *Flamma* Femininum.

II. 3. *Nisi venerit discessio primùm.* Non quævis Digressio, sed *Apostasia.* Græcè Ἀποστασία *Defectio.*

III. 17. *Salutatio, mea manu Pauli.* Estius: *Meâ* casus est Ablativus, construendus cum *Manu.* Vide I. Cor. XVI. 21.

I. AD TIMOTHEUM.

CAPUT I.

VErs. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis.* Atqui juxta Theologos in *non subditum* lex ferri nequit, hoc est, illa non ligat eum, qui non est subditus, seu sub jurisdictione Legislatoris. Ex græco patet hîc *Non subditos* vocari *Inobedientes* (ùt idem verbum græcum vertitur ad Tit. I. 10.) Rebelles, Pervicaces, Immorigeros, & (ùt ad verbum vertam) *Inordinatos*, qui nullum ferunt imperium, nec ulli subjici, aut subordinari volunt. Hos Græci appellant uno verbo, quod hîc habetur ἀνυποτάκτους, est autem hoc privativum derivatum à verbo ὑποτάττω. *Subordino. Certo ordine subjicio.* Tales Flandricè ritè describes: *Die sigh niet en willen voegen.*

℣. 10. *Plagiariis.* Id est (ait Lyranus) *assuetis plagas, & verbera aliis inferre.* Sed non respexit ad græcum ἀνδραποδισταῖς, ab ἀνδραποδίζω *Mancipo. In servitutem redigo*, idque ab ἄνδρα *Virum*, & ποδίζω *Compedes injicio.* Hîc ergo *Plagiarii* dicuntur à crimine, quod vocatur *Plagium.* Istud committit,

tit, qui alterius servum furatur, aut sibi vendicat, item & maximè, qui liberum hominem in servitutem rapit, vel pro mancipio vendit, aut emit. Crimen hoc vocatum est *Plagium*, eo quòd hujus sceleris rei convicti, lege Flaviâ plagis damnarentur.

CAPUT II. V. VI.

Cap. II. 9. *Mulieres in habitu ornato.* Ex immediatè sequentibus patet Apostolum non suadere vanum, ac illecebrosum mulierum ornatum; deinde pro *Ornato* est græcè κοσμίῳ. *Bene-composito*, *Decenti*, *Honesto*.

Cap. V. 11. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt.* Aliqui hæc ita conjungunt q. d. *Nubere volunt in Christo*, sicut dicitur I. Cor. VII. *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Verùm id minus rectè, inquit Estius, nam in Græco non est Præpositio *In*, sed nudus Genitivus τοῦ Χριστοῦ, qui non aliunde regitur, quàm à præcedente verbo καταστρηνιάσωσι. Unde ex græco patet hîc sensus: Cùm ùt benè pasti vituli *lascivierint contra Christum* sponsum suum. Quapropter suspicatur Estius Interpretem nostrum vertisse: *In Christum*, hoc est: Adversùs Christum, non: *In Christo*.

VI. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Non quamcumque concupiscentiam hîc intelligit Apostolus, sed Divitiarum; in græco siquidem habetur φιλαργυρία *Amor argenti*, seu *Pecuniæ*.

II. AD TIMOTHEUM.

CAPUT I. II.

Cap. I. 9. *Ante tempora sæcularia.* Non sumas eo sensu, quo dicuntur *Negotia*, *Judicia*, *Desideria sæcularia* I. Cor. VI. 3. II. Timoth. II. 4. Tit. II. 12. Illa enim in græco vocantur βιωτικὰ, & κοσμικὰ *Mundana*, tali sensu, quo *Mundus*, & *Sæculum* sumuntur in malam partem; sed hoc loco *tempora sæcularia* αἰωνίων, sunt tempora omnium sæculorum præcedentium.

II. 24. *Servum autem Domini oportet esse docibilem.* Non intelligitur promptus ut discat; sed idoneus, & expeditus ut doceat, ac instruat; talem enim significat græcum Διδακτικὸς.

CAPUT III. IV.

III. 2. *Cupidi* Pecuniarum, seu avari, est enim gr. φιλάργυροι. *Amatores-argenti.*

℣. 7. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Lyranus, aliique hoc ad falsos prædicatores referunt. Sed ex græco manifestè constat hæc de *Mulierculis* dici; nam genus neutrum ubique retinetur in plurali conforme ad γυναικάρια. *Mulierculæ.*

℣. 16. *Omnis Scriptura Divinitus inspirata utilis est ad docendum* &c. Non est hic sensus: Illa quidem Scriptura, quæ Divinitus est inspirata, est utilis, datur enim inutilis, non inspirata à Deo, nempè impii libri Gentilium &c. Asserit enim Verbum Dei scriptum (hoc est *Scripturam* Antonomasticè sic vocatam) omne esse à Deo inspi-

 ratum,

ratum, atque utile &c. Patet hoc manifestè ex græco Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος &c. *Omnis Scriptura* est *Divinitus inspirata, & utilis* &c. Verbum enim *Est* evidenter subintelligitur.

IV. 3. *Coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Ambiguum est an Magistri, an Discipuli dicantur *Prurientes auribus.* Sed græca docent, quòd tales dicantur, qui sibi coacervant Magistros, est enim in Nominativo Κνηθόμενοι.

℣. 14. *Alexander ærarius.* Ne Quæstorem ærarium, aut urbis Thesaurarium hunc quispiam suspicetur, notandum, esse in græco Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεύς. *Alexander faber ærarius.*

AD TITUM.

CAPUT I. II. III.

CAp. I. 2. *Ante tempora sæcularia.* gr. *Sæculorum.* Vide II. Tim. I. 9.

℣. 6. *Aut non subditos.* gr. *Inordinatos. Non-subjectos.* Vide I. Timoth. I. 9.

II. 3. *Anus similiter in habitu sancto.* Hoc loco non tam de indumentis earum agit Paulus, prout egerat I. Timoth. II. 9. ubi est in græco καταστολῇ. Sed de totius corporis, & morum decenti gravitate, ac dispositione in gestu, loquelâ, gressu, vestitu, &c. Istud enim significat, quod est in græco κατάστημα.

III. 4. *Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri.* S. Bernardus Sermon. 1. de Epiphania, & quidam alii per *Humanitatem* intelligunt Incarnationem Filii Dei, quo nato, ista *Humanitas* apparuit; sed planè aliud significat græcum φιλανθρωπία, quod uno verbo Latinè dici nequit, valet autem idem, ac *Amor erga homines.*

AD PHILEMONEM.

℣. 15. *Ut æternum illum reciperes.* Cajetanus putat *Æternum* Adverbialiter sumi posse, q. d. Ut pro perpetuò. Sed hoc non admittit græcum αἰώνιον, quod patenter est Adjectivum Masculinum, Accusativi casûs. Adverbium autem *Æternum* dicitur græcè αἰωνίως.

℣. 20. *Ego te fruar in Domino.* Ut notat Estius, græcum ὀναίμην *Fruar,* Verbum est Optativi modi, non Indicativi.

AD HEBRÆOS.

CAPUT II. VI.

CAp. II. 9. *Ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.* Non vocatur hîc ipse Christus *Gratia Dei*, ùt pronum est intelligi; nam vocem *Gratia* esse in Ablativo, patet ex græco, in quo non est Nominativus χάρις, sed Dativus, valens hîc Ablativum Latinum χάριτι Θεοῦ. Sensus est: Ut gratuitâ Dei patris bonitate, clementiâ, atque munere, Christus pro omnibus moreretur.

VI. 5. *Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum.* Ne quis interpretetur de Filio Dei, seu Christo, quem in Eucharistia gustamus, notandum in græco non esse λόγον, sed ῥῆμα. Verbum quod eloquimur, non quod mente concipimus; nec Christus, aut Filius Dei, usquam in Scriptura vocatur ῥῆμα, sed λόγος. Igitur hîc *Verbum bonum* sunt illi ser-

sermones, quibus omnia læta, quæ in prædicatione Evangelii sunt, proponuntur, & promittuntur.

℣. 6. *Ostentui habentes.* Græcè παραδειγματίζοντας. Diffamantes, publico ludibrio, & irrisioni exponentes, in exemplum statuentes.

℣. 11. *Eandem ostentare solicitudinem.* Latinis sonat *Ostentare* vitium jactantiamque; sed hîc sumitur in bonum pro *Ostendere*, *Exhibere*; ita enim est in græco ἐνδείκνυσθαι.

CAPUT VIII. IX.

VIII. 1. *Capitulum super ea, quæ dicuntur.* Græcè Κεφάλαιον. Parvum *Caput*, *Summa*, *Compendium*, supple: Est hoc quod sequitur.

IX. 1. *Habuit quidem & prius*, seu Vetus Testamentum *Justificationes culturæ.* Græcè Δικαιώματα λατρείας. *Justificationes cultûs Divini.* Hoc est statuta, leges, cæremonias ad cultum Dei pertinentes, cujusmodi erant omnes, quæ concernebant ritus sacrificiorum, festorum, &c.

Et sanctum sæculare. Aliqui putant *Sæculare* dici quasi *Temporale*, non perpetuum, quia periturum; sed illi benè confutantur authoritate Græci textûs, qui habet κοσμικὸν *Mundanum*, hoc est terrenum Tabernaculum, non cœleste, quale habet Novum Testamentum.

℣. 2. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta.* Istud *Primum* non esse Adverbium, sed Adjectivum *Tabernaculi*, patet ex græco, in quo est femininum πρώτη, prout etiam *Tabernaculum* Σκηνὴ in græco est generis feminini. Illa verò, *Quæ dicitur Sancta*, etiam referuntur ad *Tabernaculum*, seu femininum (quod Genus retinuit Interpres) σκηνὴ, & non ad aliud aliquid, nisi fortè subintelligatur *Pars*. q.d. Quæ Tabernaculi pars, nempè illa, in qua erant candelabra, mensa &c. dicebatur *Sancta*.

℣. 3. *Post velamentum autem secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* Pronum est istud *Secundum* referre ad *Tabernaculum*, nempè ad *Sanctum Sanctorum*, maximè quia de *Sancta* præcesserat *Primum*, seu anterius. Sed tamen ex græco manifestum est *Secundum* de *Velamento* dici; sic enim habet μετὰ δὲ τὸ δεύτερον καταπέτασμα σκηνὴ. *At post secundum velamentum, Tabernaculum* &c. Ubi insuper genus neutrum *Secundum* cum genere neutro *Velamenti* congruit, non cum feminino *Tabernaculi* σκηνὴ.

℣. 11. *Per amplius & perfectius Tabernaculum.* Debet legi duabus vocibus *Per amplius*, quod constat ex græco διὰ τῆς μείζονος. *Per majus.*

℣. 12. *In sancta æterna redemptione inventa.* Non sic construe: *In æterna Sancta*, ut distinguantur contra *Sæcularia*, ùt ℣. 1. vocaverat *Sancta* Veteris Testamenti, nempè temporalia, & peritura Sancta, seu Tabernaculum Veteris Legis. Sed hoc modo connecte: *Redemptione æternâ inventâ.* Hoc docent græca: εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. *Introivit semel in Sancta, æternam redemptionem inveniens.*

CA-

CAPUT X. XI.

X. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.* Per *Holocautomata* intelligit Sacrificia, sive Victimas, quæ totæ in honorem Dei cremabantur, quæque passim vocantur *Holocausta.* Istud verò *Pro peccato* importat aliud Sacrificii genus, cujus non tota victima cremabatur, quod vocabatur *Ilasticum*, seu *Propitiatorium.* Duo enim hîc diversa Sacrificia designari, ostendimus ad Psalm. xxxix. 7. Patet etiam ex Græco textu, qui copulam *Et* interponit ὁλοκαυτώματα, καὶ περὶ ἁμαρτίας. *Holocautomata, & pro peccato* sacrificia. Idem notandum est ad versum 8.

XI. 17. *Fide... Abraham... unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones.* Istud *Qui* referunt aliqui ad Isaac unigenitum Abrahæ ex Sara; sed ex græco constat ad Abrahamum referri: τὸν μονογενῆ προσέφερεν ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος. *Unigenitum offerebat ille repromissiones accipiens.*

℣. 35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Lyranus: Aliqui hoc malè exponentes dixerunt, quòd mulieres acceperunt viros suos resuscitatos iterum in maritos. Sed illud *De* ponitur pro *Per*, seu *Ex* ἐξ, ùt est in græco: *Ex*, sive *Per resurrectionem* vivos receperunt suos priùs mortuos filios, nempè Mulier Sareptana suum III. Reg. XVII. Sunamitis verò IV. Reg. IV.

CAPUT XII. XIII.

Christus ℣. 2. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Ambiguum est an hîc dicat Paulus Christum gaudio vitæ æternæ tum suæ, tum nostræ, tamquam præmio sibi proposito, crucem sustinuisse, quomodò explicat S. Thomas hîc: *Proposito sibi gaudio vitæ æternæ pro præmio.* Intellexitque Translat. Flandr. Lovan. *De welcke door de blyschap* &c. An verò quòd loco gaudii sibi oblati, cùm posset omnem tristitiam doloremque evitare, equidem crucem, atque passionem præelegerit. Sic explicant Chrysost. Theodoretus, Theophylact. OEcumenius, Rupertus.

Hic ultimus sensus est genuinus hujus loci, cujus germana lectio videtur hæc: *Qui pro proposito sibi gaudio* &c. Sic enim ad verbum habetur in græco: ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρὸν. Ubi diligenter notandum, quòd Præpositio ἀντὶ, quæ hîc est in græco, rectiùs transferretur: *Loco*, quàm *Pro*, ita: *Qui loco gaudii sibi propositi* &c.

Nam apud græcos ἀντὶ nusquam servit causæ finali, sicut interdum *Pro* apud Latinos (ex quo hîc orta est multorum hallucinatio) ùt cum dicimus Jacob servîsse septem annis *pro Rachel*; sed ἀντὶ proprium usum habet in commutatione, nempè dum unum tollitur, & alterum reponitur, aut contra; velut in hoc eodem capite ℣. 16. *Qui pro*, sive *propter unam escam vendidit primitiva sua*, hoc est *jus primogenituræ*; nam ibi græcè est ἀντὶ. Vide etiam, quæ notavi supra ad Eccli. VI. I.

Sensus proinde est: Qui loco gaudii, quo frui poterat, elegit crucis passionem, propter nimiam suam charitatem,

ritatem, quâ dilexit nos. *Gaudium* intellige liberum à molestiis & doloribus; non gaudium beatificum, quo semper fruebatur.

Hic itaque locus Apostoli extra rem adducitur pro illa sententia (alioqui vera) quòd liceat operari æternæ mercedis intuitu; procedit enim ex malo intellectu hujus ambigui loci.

℣. 23. *Et spiritus justorum perfectorum.* Congruè fuisset ita translatum: *Et ad spiritus*, subintellige *Accessistis*, quod præcessit; etenim istud *Spiritus* esse accusativum pluralem, patet ex græco.

XIII. 23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum.* Non simpliciter aliquò ire jussum, sed è carcere, aut vinculis liberatum, ùt passim exponunt Patres; istud enim significat græcum ἀπολελυμένον. *Absolutum*, seu *Solutum*, ùt vertit Syrus.

JACOBI.

CAPUT I. II.

CAp. I. 13. *Deus intemator malorum est.* Hoc est, inquiunt aliqui, comminator, & inflictor malorum pœnalium. Sed hunc sensum excludunt græca, in quibus non est illa æquivocatio, quæ est in Vulgata, habent enim ἀπείραστος, quod verbum est privativum, significat autem tum eum, qui non tentatur, tum illum, qui neminem tentat. Vide, quæ de hoc verbo dixi, in meo Dictionario Scripturistico.

℣. 18. *Ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Hoc *Initium* est satis ambiguum in Vulgata; sed in græco sublime aliquod indicatur per ἀπαρχὴν, quæ vox non tam *Initium* significat, quàm *Primitias*, hoc est primos, ac præstantiores fructus, qui juxta Legem Veterem Deo offerebantur. Ab illis autem transfertur hoc verbum ad designandas alias res, quæ in genere suo primæ sunt, & præstantissimæ. Hanc Metaphoram innuit Jacobus dicens ἀπαρχήν τινα. *Primitias quasdam.* Id est, Quodammodò Primitias; inquit Estius.

II. 13. *Superexaltat misericordia judicium.* Non est hic sensus: Misericordia Divina extollit, atque gloriosum reddit ejus judicium; Sed iste: Misericordia proximo exhibita, quasi contendens cum Divino judicio, superior evadit, & victrix; atque illi tanquam victo, suo modo insultat. In græco enim est κατακαυχᾶται *Contragloriatur*.

℣. 23. *Suppleta est Scriptura.* ἐπληρώθη. *Impleta*, *Completa*.

CAPUT IV. V.

IV. 2. *Non habetis propter quod non postulatis.* Non sic intelligas: *Idcirco non postulatis.* Sed: *Quia non postulatis*; nam in græco est διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς. *Propter non petere vos.* Hoc est: *Eo quòd non petatis.*

℣. 9. *Miseri estote.* Nec exoptat eis calamitatem, nec prædicit; sed hortatur ut se ipsos affligant per opera pœnitentialia; siquidem in græco est ταλαιπωρήσατε. *Affligimini*, seu *Affligite vos.*

Cap. V. 10. *Exemplum accipite, fratres, exi-*

exitus mali. Non illius de quo dicitur Psal. XXXIII. 22. *Mors peccatorum pessima*, sed potiùs istius, de quo Psal. CXV. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Nam *Exitus mali*, hîc est finis miseriarum pro Christo, & justitia toleratarum, quod constat ex græco Κακοπαθείας *Perpessionis calamitatum.*

℣. 12. *Ut non sub judicio decidatis.* Transferendo *Decidatis*, ambiguitatem attulit Interpres, hoc enim posset accipi pro discernere, litem terminare judicando &c. Sensus tamen est: Ne ex consuetudine jurandi, falsum juretis, & ita incidatis in judicium condemnatorium Divinum. Sic enim habet germana lectio græca ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. *Ut non sub*, seu *In judicium cadatis.* Dixi *Germana lectio*, quia multi Codices græci pro ὑπὸ κρίσιν *Sub judicio*, legunt mendosè conjunctim ὑπόκρισιν, cui voci, ut regeretur ille Accusativus, errore scribarum insuper est præposita vox εἰς. Unde legunt: *Ne in Hypocrisim cadatis.*

I. PETRI.

CAPUT I. II.

Electis *Advenis dispersionis.* Varii *Advenas* hîc interpretantur illos Christianos, qui ante fuerant *Proselyti* Judæorum. Sed cur his solis scriberet Petrus? Sciendum ergo non esse in græco προσηλύτοις, sed παρεπιδήμοις. *Hospitibus*, *Versantibus in populo*; unde non videntur intelligi strictè dicti *Proselyti*, sed generaliter Judæi ad Christum conversi, qui per minorem Asiam erant dispersi, seu in variis locis degebant tanquam hospites, & *peregrini*, ùt eadem vox græca transfertur Cap. II. 11.

II. 2. *Rationabile*, *sine dolo lac concupiscite.* An vos *Sine dolo*, hoc est *Sinceri*, & *Simplices*, an Lac quod sit *sincerum*, *sine dolo.*

Postremum asseri patet ex græco, in quo est Adjectivum Accusativum ἄδολον γάλα *Non-dolosum*, seu *Sincerum lac*, non verò Nominativus ἄδολοι. Unde S. Augustinus legit: *Innocens lac.*

Porrò *Rationabile* λογικὸν videtur Petrus sumere pro *Spirituali*, ut indicet se Metaphoricè loqui de Doctrina Christiana, non de lacte corporali.

℣. 9. *Ut virtutes annuntietis ejus.* Cùm hîc non sit in græco δυνάμεις, sed τὰς ἀρετὰς, videntur intelligendæ Christi *Charitas*, *Sapientia*, *Justitia*, &c. Nihilominus etiam intelligi possunt *Egregia* Christi *facta*, talia enim etiam significat illa vox græca.

℣. 11. *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos.* Etiam hîc per *Advenas* non intelligit *Proselytos* Judæorum, sed ùt in græco est παροίκους *Commorantes*, seu *Habitantes* in alieno territorio. Vide dicta Cap. I. 1.

℣. 12. *In eo, quod detrectant de vobis.* Hoc est Detrahunt, sive *Detractant*, ùt habetur in multis codicibus, nam græcè est Καταλαλοῦσιν. *Male-loquuntur.*

CAPUT III. IV. V.

℣. 2. *Considerantes in timore castam con-*

conversationem vestram. Istud *In timore* non est referendum ad *Considerantes* gentiles viros, sed ad *castas* mulieres Christianas; nam in græco habetur: *Aspicientes* τὴν ἐν φόβῳ. *Illam in timore castam* &c.

℣. 6. *Cujus estis filiæ.* Saræ? an Abrahæ? Saram referre docet femininum ἧς.

℣. 21. *Vos nunc similis forma salvos facit Baptisma.* Pro *Similis forma*, quod est ambiguum, habetur in græco ἀντίτυπον. Hoc est *Exemplar*, seu *Figuratum*, Typo, seu figuræ correspondens.

IV. 12. *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit.* Non dissuadet Petrus corporalem de loco ad locum peregrinationem. Benè etiam attendendum est, non esse legendum *fit*, sed *fit*, seu *Evenit. Peregrinari* autem ponitur pro *Admirari*, ut idem græcum verbum translatum est hoc eodem Capite ℣. 4. Sensus genuinus est: Ne admiremini, seu emotæ, & quasi extravagantis mentis fiatis, propter fervorem persecutionis, quæ vobis evenit, non ex infirmitate Dei, nec ad vestrum malum, sed ad probationem. Hic sensus patet ex græco textu: Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γινομένῃ. *Ne obstupescatis*, sive *Ne mente moveamini ratione ustionis ad experimentum vobis facta.*

Cap. V. 3. *Neque ut dominantes in Cleris.* Hoc est: In Clero quisque suo, sive: *In sorte*, quæ vobis ô Episcopi! obvênit in populo Christiano, cujus vos nacti estis superioritatem. Hieronymus Epist. ad Nepotian. Κλῆρος *Græcè*, *Latinè Sors appellatur, propterea vocantur Clerici, quia vel de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est.*

Sed forma facti gregis. An *Facti gregis*, an *Forma facti*? Ut notant Interpretes cum Lyrano, & demonstrat græcus textus, *Facti* est Nominativi casûs pluralis numeri τύποι γινόμενοι, q. d. Sitis toti populo vobis subjecto exemplar vitæ & sanctitatis.

II. PETRI.

CAPUT I. II.

CAp. I. 8. *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent.* Opposita vitia, ùt interpretatur Lyranus. Sed græca habent Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα, καὶ πλεονάζοντα. *Hæc enim vobis assistentia, & exuberantia... constituent* &c. Unde *Superare* hîc non significat *Vincere*, sed *Abundare*.

℣. 16. *Speculatores facti illius magnitudinis.* Benè monet Jac. Magdalius: *Illius, est generis masculini, & ad Christum refertur*, non ad *Magnitudinem*; nam in græco est τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος, ex quo patet ἐκείνου *Illius* masculinum, non posse referri ad femininum *Magnitudinis* μεγαλειότητος.

II. 4. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Non tradidit cruciandos quibusdam *Rudentibus*. Sed *detraxit rudentibus*, hoc est: Quasi grossis, ac fortissimis funibus vinctos detraxit in gehennam: Etenim pro *Rudentibus* est in græco Σειραῖς, *Catenis*, *Nexibus*, *Vinculis*.

℣. 5. *Originali mundo.* Græcè ἀρχαίου κόσμου. *Prisco*, seu *Primævo mundo*, temporibus Noë.

℣. 10. *Sectas non metuunt introducere blasphemantes.* Non dicit *Sectas blasphemantes*, seu *Blasphemas*; quamvis alioqui & tales, seu blasphemæ hæreses essent; nam in græco βλασφημοῦντες est Nominativi casûs, & consequenter ad Hæreticos ipsos refertur.

℣. 14. *Oculos habentes plenos adulterii... pellicientes animas instabiles.* Ut notat Estius, illud *Pellicientes* non refertur ad *Oculos*, sed ad homines ipsos impios, quod constat ex græco Nominativo Δελεάζοντες.

I. JOANNIS.

CAPUT II. III. V.

Cap. II. 13. *Vicistis malignum.* Masculinum esse demonstrat græcum τὸν πονηρόν. *Illum nequam*, nempè Diabolum.

℣. 18. *Antichristus venit.* Cùm in græco sit ἔρχεται, patet esse Præsentis temporis, cum indicatione futuri imminentis, quasi dicat: Jam in via est, Brevi aderit.

III. 14. *Nos scimus, quoniam* ὅτι Quòd *translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Istud *fratres* non est Vocativum, sed Accusativum, regiturque à voce *Diligimus.* Unde hic locus non præcisè agit de dilectione Dei. Patet ex græco ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς.

Cap. V. 6. *Hic est, qui venit.* Græcè ὁ ἐλθών. *Ille veniens*, quod quidem est Participium, sed involvit Præteritum.

II. ET III. JOANNIS.

Epist. II. 1. *Electa Domina.* Varii putant quod *Electa* fuerit nomen proprium hujus Matronæ; sed obstat, quòd in græco sit ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, quod non convenit cum nomine Latino materialiter, quamvis idem formaliter significet. Item quòd versu ultimo, ejus sororem etiam *Electam* compellet Joannes. Videtur proinde esse Epitheton, quo omnes Christiani solebant appellari. Hinc Coloss. III. *Induite vos sicut electi Dei.* Rom. XVI. *Salutate Rufum electum.* I. Petr. I. *Electis advenis.*

Epist. III. 10. *Commonebo ejus opera.* Non vult dicere: Ipsum admonebo; sed Redarguam, Refricabo memoriam, scripsit enim græcè ὑπομνήσω. Hoc est: *Ad memoriam reducam*, ùt patet ex Judæ ℣. 5. ubi idem est verbum.

JUDÆ.

Versu 4. *Qui olim præscripti sunt.* Tales futuri, nempè Impii &c. *Anteprophetati* sunt, & quidem *Scripto*, per S. Scripturam scilicet, seu *Præviè-scripti*, ùt est in græco προγεγραμμένοι.

℣. 9. *Non est ausus judicium inferre blasphemiæ.* S. Judas non intelligit blasphemiam Diaboli, seu ipsum Diabolū blasphemum, quem Archangelus Michaël non sit ausus judicare condemnabilem; nam in græco istud *Blasphemiæ* non est in Dativo, sed in Genitivo βλασφημίας. Itaque *Judicium Blasphemiæ* est Judicium blasphemum, seu maledicum, & con-

convitiatorium: Blasphemia namque significat in genere *Convitium*. Hoc judicium non est ausus S. Michaël Diabolo inferre, non utique quòd illum timeret, sed quòd convitium, aut maledictum aliquod proferre, non deceret Angelum Sanctum.

℣. 13. *Fluctus feri maris*. An *Fluctus feri*? An *Feri maris*? In græco est clarum: κύματα ἄγρια θαλάσσης. *Fluctus feroces maris*, seu: *Undæ efferæ*.

℣. 14. *Ecce venit*. Est præteritum ἦλθε.

APOCALYPSIS

CAPUT I. II. III.

CAp. I. 15. & II 18. *Pedes ejus similes aurichalco*. Non intelligit illud, quod Vulgus vocat *Aurichalcum*; sed Æs fulgidum, atque optimum, sive, ùt in græco habetur χαλκολιβάνῳ *Similes Æri-Libanico*, hoc est è monte Libano effosso. Vide dicta III. Reg. VII. 45.

II. 24. *Qui non cognoverunt altitudines Satanæ*. Has aliqui interpretantur superbiam Diaboli; sed *Altitudinem* hìc pro *Profunditate* sumi, patet ex græco textu τὰ βαθέα, juxta illud Joan. IV. 11. *Puteus altus est*. Unde designantur abstrusa, callidaque Satanæ consilia, & machinationes, vel certè profunditas scelerum, quibus Diabolus ejusque ministri hæretici sunt immersi.

III. 8. Dicitur *Angelo*, hoc est Episcopo Philadelphiæ: *Modicam habes virtutem*. Qualem, collige ex græco Δύναμιν *Robur*, *Vires*, *Potentiam*.

℣. 14. *Hæc dicit*: *Amen*, *testis fidelis* &c. *Amen*, hoc est *Verus*, hìc per Antonomasiam vocatur ipse Christus, quod evidenter patet ex græco: *Hæc dicit* ὁ ἀμὴν *Ille Amen*.

℣. 15. *Neque frigidus es*, *neque calidus*. Pro *Calidus* est in græco ζεστὸς, quod propriè *Fervidum* significat, & huic loco benè quadrat; non enim extra Charitatem erat ille Episcopus, quia *frigidus* non erat; sed erat extra charitatis fervorem.


CAPUT X. XIV. XVII.

X. 4. *Dicentem mihi*: *Signa*, *quæ locuta sunt septem tonitrua*, *& noli ea scribere*. Ne quis forsitan putet hìc *Signa* esse plurale à singulari *Signum*, advertat in græco esse Imperativum Σφράγισον. *Obsigna*, *Claude sigillo*.

XIV. 7. 15. *Venit hora*. Est præteriti temporis.

XVII. 9. *Hic est sensus* &c. Ut notant Menochius & Gagneius vox *Hic* non est Pronomen, ùt transtulerunt Lovan. *Dit is den sin*. *Cestuy*. sed Adverbium; nam græca habent ὧδε, id est *Hoc loco* ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν. *Est sensus*, seu *Mens*, aut *Intelligentia habens sapientiam* absconditam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.




LUX DE LUCE

LIBER SECUNDUS.

In quo variæ ac dubiæ Lectiones, quæ in S. Scripturæ Vulgatæ Latinis Editionibus reperiuntur, quoad insigniora quædam loca, ex Originalium linguarum Textibus, & aliis Criticæ Regulis, ad certam, aut verosimiliorem lectionem reducuntur.

PRÆFATIO.



Lim ad Damasum Papam scripsit Hieronymus Præfat. in Evangelia: *Novum opus aggredior ex veteri, ut post exemplaria toto orbe dispersa, quasi quidam Arbiter sedeam, & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum græca consentiant veritate, discernam. Pius labor, sed periculosa præsumptio.*

2. Idem penè scribere possem & ego, ut enim loquar cum Francisco Lucâ Brugensi pro simili à se edito opere: *Accusabunt me fortè multi temeritatis & arrogantiæ, quòd post præclaros illos viros,* Correctores Romanos sub Clemente VIII. *à Sede Apostolicâ delegatos, ausim mutare aliquid in Bibliis, vel judicium meum illorum judicio præferre.*

3. Ad illud in primis dico, quòd in plerisque istorum Correctorum judicium propugnem, correctionemque ab ipsis prudentissimo peractam esse judicio, ex originalis linguæ textibus ostendam. Deinde loca nunc correcta notando, correctionemque indicando, subsidium fero illis, qui novis carentes, adhuc Bibliis antiquis utuntur, hoc est talibus, quæ ante correctionem sunt edita, quorum magna superest copia.

4. Quoad illa verò loca, quæ, quasi adhuc corrigi possent, exhibeo; cum Bru-

Brugensi *Respondeo, quòd mea mens non sit mutare aliquid aut præferre, sed quòd multas varias lectiones*, & animadversiones, *quas in Latinis Vulgatæ Editionis Codicibus, & Tractatoribus*, atque etiam ex collatione cum originalibus textibus, ego ipse *inveni, & verisimilitudinem habere videntur, in medium proferam, judicio Suæ Sanctitati, iisque quos illa iterum committere possit, relicto; an sint præferendæ aliisque subrogandæ.*

5. Istud debita cum submissione præstare, scripsit ad eundem Franciscum Lucam Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus litteris Romæ datis 1. Novembris 1606. quòd *utilissimum sit, ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum admoneantur.*

6. Idem Cardinalis scripserat eidem litteris Capuæ datis 6. Decembris 1603. *De libello (Romanæ correctionis in Latinis Bibliis editionis Vulgatæ loca insigniora*, quem in eadem Epistola vocat *librum utilissimum) ad me misso gratias ago, sed scias velim, Biblia Vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata, multa enim de industria justis de causis pertransivimus.* Quibus (subjungit Franciscus Lucas) significat & se unum fuisse è numero Correctorum, & posse aliquando fieri, ut accuratior castigatio adhibeatur.

7. Similia (pergit Franciscus) scripsit Joannes Bandinus Præfectus Typographiæ Vaticanæ litteris jussu Illustrissimi Card. Baronii ad Moretum datis pridie kal. Augusti anno 1604. *In Bibliorum editione laudo diligentiam vestrorum Theologorum, qui accuratè multa adnotarunt. Ea D. Card. Baronius mihi tradidit, ut inspicerem, & de iis responderem, ùt feci semel, & iterum. Fateor in Bibliis nonnulla superesse, quæ in melius mutari possent: quædam etiam, nescio quo pacto, sic impressa reperiuntur, ùt exempli gratiâ I. Reg. II. ℣. 17. Retrahebant homines à sacrificio, cùm libri omnes & impressi, & manuscripti habeant: Detrahebant homines sacrificio.*

8. Idem Franciscus Lucas in Epistola Dedicatoria libro suo secundo præfixa, quam hactenus citavi, scribit: *In hac Vaticana, eaque prima horum Bibliorum Editione, Impressores non pauca errata admiserunt, quæ passim in priori libello notavimus.* Nimirum 10. sequentia, quæ sunt omnia, quæ in libello suo notasse Brugensem, potui deprehendere: Genesis XXXV. 8. *Super*, pro *subter.* Exod. XL. 3. *Dimittes*, pro *demittes.* Jos. XIX. 15. *Jerala*, pro *Jedala.* Isa. XLIX. 20. *Filiis*, pro *filii.* Isa. L. 5. *abiit*, pro *abii.* Baruch II. 34. *eis*, pro *ei.* Ezech. VII. 18. *accinget*, pro *accingent.* Zachar. XII. 6. *faciem*, pro *faciem.* Act. II. 23. *affligentes*, pro *affigentes.* Apoc. XVII. 4. *inaurato*, pro *inaurata.*

9. Ut patet tum ex allegatis verbis, tum ex variis locis libri Francisci Lucæ, signanter ex illis, quæ habet ad Gen. XXXV. 8. citat ipse Editionem Vaticanam anni 1593. in qua etiam inveni præcisè hæc 10. loca haberi, sicut statim allegavi. Sed illa Editio, quam ipse putavit primam, prima non est;

præ-

præcessit enim alia anno 1592. cujus exemplar unum habetur in Bibliotheca nostra Mechliniensi; hoc autem in eo magìs exactum est, quòd habeat Isa. XLIX. 20. *filii*. Isa. L. 5. *abii*. Ezech. VII. 18. *accingent*. Apoc. XVII. 4. *inaurata*. Cum isto tamen anni 1593. convenit in reliquis locis statim allegatis, quæ Franciscus Lucas dixit esse errata Typographica, de quibus singulis nos proprio loco agemus.

10. Errata Typographica in ipsam Editionem Vaticanam irrepere potuisse, atque adeò forsitan irrepsisse, supponit evidenter ipse Clemens VIII. in Bullâ *Cum Sacrorum*, præfixâ Editionibus Vaticanis annorum 1592. 1593. 1598. *Nemo*, inquit, *hanc sanctarum Scripturarum Editionem Typis mandare præsumat, nisi habito priùs exemplari in Typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minimâ quidem particulâ de textu mutatâ, additâ, vel ab eo detractâ*, NISI ALIQUOD OCCURRAT, QUOD TYPOGRAPHICÆ INCURIÆ MANIFESTE' ADSCRIBENDUM SIT, *inviolabiliter observetur.... aliàs majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat. Datum Romæ die IX. Novembris M. D. XCII. Pontificatûs nostri anno I.*

11. Hinc Theologi passim omnes recedunt à singulari, ac prorsùs infundatâ opinione P. Lorca, qui scribit lib. I. cap. 9. n. 8. *Est certum, quàm certa sunt Theologica documenta, Editionem illam* (Vulgatam nunc correctam) *purissimam esse, & in ea restitutam esse veram lectionem, & omnimodam integritatem, adeò ut si quis defectum veræ lectionis in ea notaret, etiamsi non Interpreti, sed scriptoribus* (putà Amanuensibus, aut Typographis) *adscriberet, vel aliquam ex his lectionibus, quas correcta hæc rejicit, veriorem esse contenderet*, TEMERARIUS ET AUDAX *meritò censeretur.*

12. Hæc, inquam, opinio, multoque magìs atrox ista censura, meritò displicet omnibus, tum propter jam præmissa, tum quòd doctissimos quosque, ipsosque Correctores perstringat, & satìs apertè compertæ repugnet veritati.

13. Etenim in ipso Codice Clementis VIII. Editionis Vaticanæ anni 1593. in fine, seu paginâ ultimâ, allegantur 16. loca, sub hac nota: *Errata nonnulla, quæ preli vitio irrepserunt.* Neque ea sunt sola istius Editionis menda; nam anno 1598. iterum Biblia Vulgata sunt Romæ impressa Typis Vaticanis, & in iisdem Bibliis appositi sunt tres Indices, seu Catalogi locorum corrigendorum, unus pro his ipsis Bibliis anni 1598. Alius pro Bibliis anni 1592. Tertius pro Editione anni 1593. Hos Indices exhibebo Libro III. cap. V. §. 2. & Cap. VI. num. 2.

14. Sed nec in his Catalogis omnia loca corrigenda sunt adnotata, nam præter 79. loca, quæ corrigenda monet Index pro Bibliis Vaticanis 1593. plusquam 50. alia in illa editione sunt errata Typographica satìs manifesta

atque

atque inter hæc II. Reg. XIX. 22. *Filia Sarvia*, pro *Filii Sarvia*. Job XXI. 9. *Secuta*, pro *Secura*. Isa. XXXVIII. 21. *deficis*, pro *de ficis*. Apoc. II. 24. *quia Thyatira estis*, pro *qui Thyatiræ estis*.

15. Hos & alios ejusdem Editionis nævos, Lib. III. cap. VI. num. 4. exhibendos, illi, qui postea ubique terrarum Biblia Vulgata Typis mandarunt, absque ullo scrupulo rectissimè sustulerunt.

16. Editio Vaticana Clementis VIII. anni 1592. quæ est omnium prima post factam Emendationem, est quidem quoad prælum multò exactior, & accuratior, quàm ista jam dicta anni sequentis, atque ab ipsa absunt errata Typographica pleraque istius Editionis anni 1593.

17. Attamen nec ipsa, scilicet anni 1592. libera est ab omni nævo, seu præli mendo; sed 59. loca corrigenda monet Index pro Bibliis istius anni. Inter hæc est Ezech. XXI. 28. *Mucro mucro evagina te ad occidendum, lima te* &c. quod mendum adhuc omnes modernos codices occupat, cùm, ùt hoc libro demonstrabo, sit conjunctim legendum: *Evaginate*, *Limate*.

18. Insuper, præter ista 59. loca per Catalogum indicata, in his Bibliis anni 1592. mendosè impressum est I. Reg. VI. 21. VII. 1. & 2. Item I. Paral. XIII. 5. 6. *Caria Thiarim*, pro *Cariathiarim*, aut *Cariath Jarim*. Eccli. XLI. 10. *quaruntur filii*, pro *queruntur filii*, hoc est, querulantur. Dan. XIII. 26. *pomaria*, pro *pomario*. Luc. XII. 48. *& fecit digna, plagis vapulabit paucis*, pro: *& fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Joan. VI. 35. *Dixit autem ei Jesus*, pro *Dixit autem eis Jesus*. Act. XXV. 21. *ad Cæsaream*, pro *ad Cæsarem*. Tit. I. 12. *ventris pigri*, pro *ventres pigri*. Apoc. XVI. 4. *effugit*, pro *effudit*. Item alia exhibenda Libr. III. cap. V. §. 4.

19. Denique in eadem Editione Vaticana prima Clem. VIII. anni videlicet 1592. sunt aliqua post impressionem partim calamo, partim aliter correcta, quæ nimirum Romæ antequam exemplaria istius Editionis divulgarentur, innotuerunt, & mendosa judicata sunt. Omnia ista loca exhibebo Libro III. cap. V. §. 6.

20. Porrò correctionem illam esse Romæ factam, colligo tum ex eo, quòd pro magna parte litteris, seu characteribus desuper impressis facta sit, tum ex eo, quòd nullus istorum locorum corrigendus notetur in Indice correctorio pro istis Bibliis edito Romæ anno 1598. Tum ex eo denique, quòd præcisè eadem correctio reperiatur in quatuor istius Editionis Exemplaribus, hoc est in omnibus, quæ consulere potui. Cùm enim adverterem correctiones istas in Codice illo, qui est in Bibliotheca nostra Mechliniensi, atque ambigerem, à quo, & quâ authoritate illæ forent peractæ, loca omnia diligenter adnotavi, & exscripta misi Romam, ibique curavi per duos Notarios Apostolicos inquiri in bino exemplari istius editionis 1592, quorum unum extat

in Bibliotheca Vaticana, alterum in Bibliotheca Universitatis Romanæ dictæ *Alla Sapienza*: per Actam autem notarialem ab utroque Notario conjunctim subscriptam, singulis locis speciatim notatis, & exscriptis, indicatum est mihi, eadem illa ipsa loca esse in bino illo Romano Codice ita correcta, sicuti correcta repereram in meo codice Mechliniensi.

21. Eandem correctionem in iisdem locis factam, conspexi in quarto exemplari, nempè in isto, quod habetur Antverpiæ in insigni Bibliotheca Typographiæ Plantinianæ, hoc est familiæ Moreti.

22. Porrò omnia ista à numero 17. allegata, sunt hujus Editionis nævi lapsusque typographici, atque ideò sublati, sive correcti, partim, ùt dixi, ab ipsis Romanis, partim in impressione proximè subsequenti, nempè illâ anni 1593. Atque etiam in aliis deinceps subsecutis Scripturæ Vulgatæ Typis, partim per Indicem specialem adjunctum Bibliis Vaticanis anni 1598.

23. Nihilominùs prudentissimè, atque gravissimè inhibuit Clemens VIII. ne quis privatus sive Theologus, sive Typographus, Vulgatam ab ipso editam in aliquo mutet, aut germanæ lectionis restituendæ prætextu, textum variet. Hoc enim spectat ad Ecclesiam, ejusque infallibile Caput Romanum Pontificem, ne Privatorum variis, ac sæpenumerò inter se pugnantibus opinionibus, atque continuis mutationibus, susque deque invertantur omnia, & nunc iterum eveniat, quod de suo tempore deplorat Hieronymus, ut tot sint variantia exemplaria, quot codices.

24. Quin (ùt ex Bellarmino audivimus, & habet Præfatio Vulgatæ passim præfixa, meritòque legenda) etiam *justa* sunt *causa*, cur illi ipsi, quibus Vulgatæ correctio demandatur, *multa de industriâ pertranseant*, *quæ correctione indigere videntur*.

25. Sicuti tamen ex prædictis constat, *laudabilis est diligentia*, *pius labor*, *utile studium*, quod impendunt viri docti, discutiendis quibusdam Vulgatæ locis, in quibus mendi suspicio est. De his (sed cum debita modestia, & submissione) in libris disputent, Theologos instruant, atque adeò Ecclesiam informent, ut si quando ei visum fuerit expedire, ipsa, motivis expensis, de integritate lectionis judicet, & pro eâ, quâ pollet authoritate, in Vulgata vel retineat, vel restituat illam, quam magis genuinam, aut retinendam probaverit lectionem.

26. Concludo proinde cum Luca Brugensi: *Sive consultò*, *sive fortuitò* in ultima Vulgatæ correctione, ejusque impressione, *sint omissa hujusmodi loca*, *quæ in melius fortè mutari potuerunt: utile tamen est*, *quod dicebam*, *ea annotasse*, *& scripto tradidisse*, *ne memoriâ notitiâque doctorum hominum*, *qui sacræ Scripturæ evolvendæ diligentiùs incumbunt*, *elabantur*. Atque etiam ut de pluribus ambiguis

guis locis, quæ vera, aut verosimilior sit lectio, & consequenter sensus, & ego, & Alii possimus cognoscere.

27. In hoc equidem libro non agam de omnibus omninò locis variæ ambiguæque lectionis, sed prætermissis quamplurimis, in quibus lectionis varietas non variat sensum, ea fermè sola, quæ sensum reddunt ambiguum, annotabo, atque ita, emendicatâ iterum ex Originalis linguæ textu *Luce*, illustrabo.

28. Multa insuper enucleabo, quæ nec Hentenius, nec Franciscus Lucas indicarunt. *Indicarunt* dico, quia Hentenius in Bibliis ipso auctore editis; Franciscus Lucas autem, & alii Theologi Lovanienses in iisdem Bibliis ab anno 1547. usque ad 1590. sæpiùs reimpressis, plurimas quidem variantes Vulgatæ lectiones indicarunt potiùs, quàm discusserint; nisi quòd Lucas Brugensis in libro suo, quem *Notationes* appellavit, de aliquibus, sed respectivè paucis, inquisitionem fecerit specialem, accuratiùs indagans, & indicans potiùs, quænam ex diversis lectionibus esset magìs conformis antiquis Vulgatæ Manuscriptis hujus Belgii, quàm quænam exactiùs conveniret cum originalis linguæ textibus.



GENESIS.

CAPUT III.

Ers. 2. *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur*. Hoc est: Vesci nobis licet. S. Hieronymus forsitan transtulit in Futuro: *Vescemur*; nam ita est in pluribus Manuscriptis Latinis, ùt dicitur in Notis adjectis novæ editioni operum S. Hieronymi. Futurum tempus etiam expresserunt LXX. φαγȣ́μεθα. *Edemus*. Item textus Chaldæus, Syrus, Samaritanus Hebræus, ejusque versio in linguam Samariticam. Ipse denique textus Hebræus נאכל *Nochel*. *Edemus*, *Vescemur*.

Est quidem verum, quòd apud Hebræos usurpari solitum sit Futurum pro Præsenti indeterminato: interim tamen Heva potuit uti Futuro, eo quòd nondum fortè aliquid gustasset, atque adeò Moyses ita illud retulerit, ut indicaretur quàm modicæ durationis fuerit tempus innocentiæ. Quidquid sit, futurum *Vescemur* præcisè, ac verbotenus convenit cum Hebræo, Chaldæo, Græco &c.

℣. 15. *Ipsa conteret caput tuum*. Ita exceptis paucissimis, legunt omnes Vulgatæ Latinæ libri tam impressi quàm manuscripti: ut procul à vero sit, quod ex Helvico mutuatur Matthæus Polus auctor Synopsis Criticorum: *In exemplari recentiori, quod jussu Sixti V. & Clementis VIII. editum est, restitutum est* Ipse.

Josephum Flavium Christo contemporaneum sive in Græco, sive in Hebræo *Ipsa* legisse, patet ex ejus lib. 1. Antiq. cap. 3. ùt legit, & vertit Ruffinus, S. Hieronymo coævus: *Præcepit ut mulier capiti ejus* (serpentis) *plagas inferret*.

Etiam Arabica Versio in Bibliis Polyglottis Anglicanis: *Hæc findet ex te caput, & tu mordebis eam in calcaneo*.

Similiter in Græco *Ipsa* ἀυτὴ legisse videtur Chrysostomus Hom. 17. in Gen. Nam ita in ipso dictâ Homiliâ pluries habent Latinæ translationes omnes, etiam illa, quam fecit OEcolampadius Hæreticus Lutheranus, qui si in Græco Chrysostomi scripto invenisset ἀυτὸς, vel ἐκεῖνος, nullatenus transtulisset *Ipsa*. *S. Augustinus* variis locis constanter legit *Ipsa*, signanter lib. 2. de Gen. contra Manichæos cap. 18. & lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 36. Prout & *S. Ambrosius* lib. de Fuga sæculi cap. 7. *S. Gregorius M.* lib. 1. Moral. cap. 20. aliàs 38. Antiquus Scriptor sub nomine *S. Eucherii* lib. 1. in Gen. cap. 29. *S. Bernardus* Hom. 2. *Missus*, & Serm. 2. *Signum magnum*. *Claudius Marius Victorin.* lib. 1. in Gen. *Teque tuo mulier perimet cum semine*. *Alcimus Avitus* lib. 2. in Gen. *Conteret una caput tandem tibi femina victrix*. Omitto *V. Bedam*, *Alcuinum*, *Rhabanum*, *Rupertum*, *Strabonem*, ac posteriores Latinos omnes.

Ean-

Eandem lectionem ægrè quidem; patitur tamen textus Hebræus הוא ישופך ראש *Hu*, vel *Hi jeschuphecharos*; nam fortè mendum est in pronomine הוא *Hu. Ipse*, ut legendum sit היא *Hi. Ipsa*.

Videatur Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 12. ubi etiam testatur: *Etiamsi multi codices Hebraïci habeant* הוא *Legi tamen unum in quo scriptum erat* היא *Hi. Ipsa*. In eo tamen fallitur *à Lapide*, quòd putet hoc loco esse in Hebræo textu notam Rabbinicam marginalem indicantem, legendum esse היא *Hi. Ipsa*, quamvis scribatur in textu הוא Nam in nullis Hebræis libris invenitur hæc nota, nisi in solis exemplaribus, quæ continent Xantis Pagnini versionem in Bibliis Regiis, in quibus hanc notam non Rabbini, seu Masorethæ apposuerunt, sed Guido Boderianus, idque ex consilio Francisci Pici Mirandulæ Comitis, ùt monet Leonardus Marius.

Insuper הוא frequentissimè ponitur in Hebræo textu pro היא *Hi*, *Ipsa*; ùt hoc ipso capite ℣. 12. *Mulier, quam dedisti mihi* הוא *Ipsa dedit mihi*. ℣. 20. *Eo quòd mater esset* &c. In Hebræo: *Quia* הוא *Ipsa mater* &c. Item Gen. XVII. 14. XXIV. 4. XXXVIII. 21. 23. &c.

Neque huic obstat quòd verbum *Conteret* sit in Hebræo masculinum ישוף *Jeschuph*, non femininum תשוף *Theschuph*, nam circumstantiæ (nempè quòd de muliere egerat) satis determinant verbum masculinum ad significationem femininam, estque usus Scripturæ in Hebræo textu; quòd sæpè tribuat feminæ verbum masculinum, præsertim ubi de femina narratur actus aliquis heroïcus, qualis hîc est, quòd ipsa conteret caput serpentis. Sic ubi Vulgata Esther I. 20. *Uxores deferant*. Hebr. *Dabunt* יתנו *Itenu*, pro תתנה *Titenna*. Eccle. XII. 4. *Obsurdescent omnes filiæ carminum* ישחו *Isschachu*, pro feminino תשחנה *Tisschachana*. Habes etiam affixum, seu postpositum Pronomen masculinum, loco feminini Exod. II. 17. *Ejecerunt eas* ויגרשום *Vajgareschum*, ubi est ם loco ן

Hinc manifestè patet non infundatam esse Vulgatæ lectionem *Ipsa*, neque sugillandam ab Hæreticis Ecclesiam Romanam, quasi de industria hoc loco falsificasset Scripturam; nam ùt vidimus, & rationabiliter potest defendi hæc lectio, & antiquissima est, maximè cum reperiatur in *Ambrosio*, & *Augustino*, qui vixerunt eo tempore, quo, fatentibus illis ipsis Heterodoxis, Ecclesia Romana adhuc erat integræ fidei. Imò & *Augustinus*, & præsertim *Ambrosius* usi sunt translatione antiquâ Latinâ, quæ facta erat ex Græca translatione Interpretum LXXII.

Lectionem hanc etiam suadent circumstantiæ textûs, seu illa, quæ præcessit comminatio, atque prædictio Domini Dei: *Inimicitias ponam inter te & MULIEREM*. Futura igitur erat mulier aliqua serpentis infernalis *inimica*, utique victrix.

Deinde nihil falsi continet ista lectio, nihil absurdi, etiamsi de B. V.

Maria intelligatur; *Ipsa* enim *caput serpentis contrivit* per semen suum, cùm mater fuerit Christi, qui contrivit, sicut Abrahæ dictum Gen. XII. 3. In te *benedicentur universæ cognationes terræ*, quia pater futurus Christi, ùt explicat Deus Gen. XXII. 18. *Benedicentur in semine tuo* &c. *Qui est Christus*, inquit Paulus Gal. III. 16.

Ipsa etiam contrivit non propriis naturæ viribus, sed adjuta meritis, & gratiâ filii sui, ùt omnes fatentur Catholici: Contrivit autem singulariter nullius umquam peccati actualis rea, ut taceam, perfectissimè caput serpentis contrivisse (juxta piam omnium penè Catholicorum sententiam) dum singulari privilegio ex prævisis Christi meritis, fuit præservata ab originali peccato, quod non immeritò per *Caput serpentis* potest intelligi.

Mera proinde est calumnia, quod scribit Calvinus in Antid. Conc. Trid. *Communi errore vitiosissima lectio recepta fuit; deinde inventa est sacrilega expositio, dum sanctæ matri Christi adoptarunt, quod de semine dictum erat.* Mera quoque blasphemia est, quod effutit Matthæus Polus, seu Auctor Synopsis Criticorum: *In Antiphona blasphemè canunt: Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis.* Merum est convicium quod Fursterus in Lexico suo profert: Nihil potuisse verti *Gloriæ Christi, & merito passionis ejus magìs contumeliosum, nihil idololatricum magis, & blasphemum.*

An ergo blasphemus, an sacrilegus David? Ipse enim de justo canit Psal. XC. 13. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* An blasphemus & sacrilegus Paulus? Rom. XVI. 20. *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* An blasphemus & sacrilegus ipse Christus Dominus? Luc. X. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

Longè aliter quàm Fursterus, Calvinus, Polus, loquitur B. Irenæus, S. Polycarpi, atque adeò B. Joannis Apostoli discipulus lib. 5. cap. 19. *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvitur per virginem, æquâ lance dispositâ: Virginalis inobedientia,* Per *virginalem obedientiam, ut virginis Evæ virgo Maria fieret* Advocata. Hæc Irenæi verba profert, & laudat Aug. lib. 1. in Julian. c. 3.

Denique sciant omnes Heterodoxi hanc lectionem: *Ipsa conteret*, ab Ecclesia Romana non proponi tamquam de fide sit, ita esse legendum; non enim usquam hoc declaravit, neque aliam lectionem damnavit, nempè *Ipse*, vel *Ipsum conteret caput tuum*, quam lectionem varii Patres sequuntur, ùt *S. Irenæus* lib. 4. cap. 78. *S. Petrus Chrysologus* Hom. 173. *S. Hieronymus* in q. q. Genes. &, ùt videtur, *S. Cyprianus* lib. 2. Adv. Jud. c. 9. Fortè etiam *S. Chrysostomus* Hom. 17. in Gen. Denique *S. Leo* Papa Serm. 2. de Nativ. *Denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum.*

Ipsum quoque legit inter Catholicos *Lippomanus*, transtuleruntque *Isidorus Clarius*, *Pagninus*, & *Arias Montanus*.

Tex-

Textus Samaritanus Hebræus, ejusque versio Samaritica etiam habent הוא *Hu. Ipse*, vel *Ipsum. Chaldæus* autem *Inter filium tuum, & filium ipsius, ipse* &c. Græcus textus LXX. modernus αὐτὸς, *Ipse*. In aliquibus etiam libris Latinis Vulgatæ editionis reperitur *Ipse*, prout adnotarunt Hentenius, & Franciscus Lucas Brugensis. Benedictini Congreg. S. Mauri in nova editione operum S. Hieronymi pariter posuerunt hoc Genesis loco: *Ipse*.

Neque ullo modo negari posse existimo, quin textus Hebraïcus huic lectioni vehementer faveat; etenim quidquid hîc profert, masculinum est: Pronomen Præpositivum הוא *Hu*, quod per se valet *Ipse*. Verbum ישוף *Jeschuph*, quod masculinum est, non femininum, ipsum denique Pronomen possessivum; nam non solùm est in Hebræo: *Hu Jeschuphecha ros*, sed etiam sequitur ibidem אתה תשופנו עקב *Atta teschuphennu akeb. Tu conteres ei* masculino *calcaneum*, hoc est *conterere molieris*, seu *Insidiaberis*; si enim de femina diceretur, cujus calcaneo serpens insidiaretur, deberet in Hebræo esse תשופנה *Teschuphenna*.

CAPUT IV. V.

IV. 8. *Egrediamur foras.* Desiderata fuerunt hæc verba in Hebræo textu ab ipsis temporibus S. Hieronymi, ùt constat ex ejus quæstionibus in Genesim. Habentur equidem in Samaritano tum textu, tum Samaritica versione, itemque in Græco LXX. quapropter videtur ea supplesse S. Hieronymus in sua translatione Genesis, cùm etiam reperiantur in editione nova operum Hieronymi, idque sine ulla nota, quòd in aliquibus Codicibus antiquis deessent.

Cap. V. 3. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit* &c. Græci codices Interpretum LXXII. habent: *Vixit Adam ducentis triginta annis* &c. atque ita in reliquis ferè omnibus generationibus, tum hoc capite, tum Cap. XI. recensitis, semper addunt ad numerum annorum vitæ generantis, integros centum annos plus, quàm numeret Hebræus textus, & Vulgata nostra.

Ex hac diversitate fit juxta Græcos à condito mundo ad Christum natum multos centenos annos plus computari, quàm computentur juxta textum Hebræum, cui quoad hoc Cap. V. ad amussim correspondent non solùm *Latinus* textus Vulgatæ, sed etiam tam *textus*, quàm *Versio Samaritana*, Item *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabicus*; excepto eo quòd Samaritanus mendosè omittat 100. annos in Jared; & de Mathusala pariter mendosè dicat: *Sexaginta & septem*, atque de Lamech: *Quinquaginta tres*.

Morinus lib. 1. Exerc. Biblior. Exerc. 7. propugnat acerrimè computum Græcum, quem (cùm uterentur translatione LXX.) Patres omnes, & Scriptores antiqui in usu habuerunt; imò, quoad punctum principale, ipsa Ecclesia etiamnum utitur in Martyrologio Romano ad 25. Decembris.

Sed utitur tantummodò, non appro-

probat, nec unquam approbavit computum istum, imò implicitè reprobavit, quando Tridentinum Concilium *Vulgatam* declaravit *Authenticam* quoad omnes partes suas; nullum porrò est dubium, quin ita, ùt quoad hos annos habet Vulgata, translatum sit ab Hieronymo, atque adeò partem esse Vulgatæ.

Quod plus est: Ecclesia solemniter ista legit, & usurpat in lectionibus primi Nocturni *Feriâ sextâ & Sabbato ante Dominicam Sexagesimæ*, quoad Patres ante Diluvium; quoad illos verò, qui à Diluvio ad Abraham vixerunt, *Sabbato ante Dominicam Quinquagesimæ.*

Ecclesiæ Patres computu græco tantùm usi sunt, non autem approbarunt, quod manifestum fit ex Hieronymo, qui licet in Chronicis suis juxta Eusebium, semper secundùm hunc computum procedat; attamen ubi ipsam rei veritatem inquirit, nempè in quæstionibus super Genesim, expressè docet computum græcum esse mendosum.

Item ex S. Augustino, qui in libris de Civitate Dei, semper annos allegat juxta Græcos, in quibus tamen ipsis libris, nempè lib. XV. cap. 13. & 14. Græcum computum ex professo impugnat, & reprobat, inter alia dicens: *Videtur habere, si dici potest, error ipse constantiam, nec casum redolet, sed industriam.* Econtrariò computum Hebræi textus, qui etiam est Vulgatæ, totus approbat.

Controversiam hanc Deo dante latius tractabo in Chronologia Sacra, quam meditor; solùm hoc adjicio; utrumque textum simul verum esse non posse, nempè Hebræum, seu Vulgatæ, & Græcum, atque adeò alterutrum esse falsum.

Hoc ita demonstro: Si juxta Græcos reverà vixerit, v. g. *Enos centum nonaginta annis* ante genitum *Caïnan*, falsum est istud Hebræi, ac Vulgatæ ℣. 10. *Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis*, quandoquidem concorditer omnes, hebræus, græcus, latinus dicant ℣. 11. *Facti sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni.* Deme enim de 905. juxta LXX. annos 190. Non remanebunt pro Enos post genitum Caïnan anni 815. sed solùm restabunt 715. Item: Si Enos ante natum Caïnan vixisset juxta LXX. *annis* 190. & juxta Hebr. ac Vulgatam post ortum Caïnan *annis* 815. Vixisset universim annis 1005. adeòque verum non esset illud, quod habent cuncti textus: *Facti sunt* OMNES *dies Enos 905. anni.*

CAPUT VI. VIII.

Meritò in Bibliis tum Sixti V. anni 1590. tum Clem. VIII. 1592. ac deinde sequentibus Vulgatæ editionibus, omissum est, quod in Latinis penè omnibus libris additum erat hoc Capite ℣. 6. *Et præcavens in futurum.* Aberat enim & ab aliquibus Latinis, & abest ab omnibus Hebræis, Chaldæis, Græcis.

VIII. 7. Corvus ex arca per Noë dimissus *Egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ.* Ita etiam legunt LXX. Sed varii Latini codices Vulgatæ omittunt *Non*, prout etiam nova editio operum Hieronymi, estque hoc con-

conforme textibus Hebræo, Chaldæo, Syro, Arabico, Samaritano, ejusque Versioni. Unde etiam Hieronymus in quæst. Gen. *In Hebræo de corvo aliter dicitur: Emisit corvum, & egressus est exiens & revertens, donec siccarentur aquæ de terra.* Siccatâ enim terrâ, corvus non est amplius ad arcæ tectum reversus, quò, semel dimissus ultro citroque volitabat, nunc volando ad cadavera pro cibo, nunc iterum revertendo ad arcæ tectum pro quiete; non ingrediens tamen ipsam Arcam, prout reversa, & ingressa narratur columba. Itaque sensu non differt Hebræus textus à Græco, & moderna Vulgata, quæ solùm negat intra Arcam corvum fuisse reversum, id quod (ùt dixi) pariter asserit Hebræus per illa: *Exiens, & revertens*, nempè alternatim.

Porrò in Hieronymi quæstionibus ita esse legendum (non autem, ùt passim habetur in ipsius editionibus: *Exiens & non revertens*) ex variis antiquis Hieronymi libris, signanter ex antiquo Correctorio tenet, & probat Franciscus Lucas Brugensis; Patetque vel ex eo, quòd si dixisset Hieronymus in Hebræo esse: *Exiens, & non revertens*, non esset Hebræus textus in hoc à Græco diversus, cùm tamen differre asserat ibidem Hieronymus.

CAPUT X. XI.

X. 9. *Ob hoc exivit proverbium.* Ita etiam Græca, Syra, Arabica, Chaldæa, Samaritana, Hebræa על כן *Al cen. Super hoc, Propter hoc.* Meritò proinde correctum est per Sixt. V. & Clemen. VIII. quod ante in multis libris irrepserat: *Ab hoc.*

℣. 18. *Post hæc.* Ante correctionem factam sub Clemente VIII. passim erat in Vulgata, etiam Sixti V. *Per hos.* Sed in Hebræo est: *Postea.* In Græco: *Post hoc.*

XI. 13. *Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis.* Hunc numerum etiam exprimunt tum textus Samaritanus, hoc est, Hebræus Samaritanis litteris, seu antiquis Hebraïcis scriptus, tum Versio Samaritana, quæ litteris & linguâ Samaritanâ est expressa in Bibliis Polyglottis Anglicanis. Exprimunt eundem varia græca exemplaria: est tamen contradictio in Bibliis Polyglottis, nam in versione Latina Græci textûs ibi habetur: *Annos trecentum*, cùm tamen Græcus textus in illis impressus habeat expressè ἔτη τετρακόσια. *Annos quadringentos.* Græca *Sixtina*, & *Basiliensia* habent: *Trecentos.* At Regia, & Complutensia: *Quadringentos.*

Patet interim Lectionem communem Vulgatæ esse admodùm probabilem, cùm nedum Græcis multis, sed ipsi seniori Hebraïco textui, nempè Samaritano sit conformis, ut propterea Polus, sive auctor Synopsis Critic. cùm notaverat, in Hebræo haberi non 303. sed 403. immeritò, quasi insultans, interroget: *Quid ad hæc Romanenses*, seu Catholici?

Interim varii libri antiqui Vulgatæ legunt non 303. sed *Quadringentis tribus*, qualiter etiam est in nova editione Operum S. Hieronymi, item in Hebræis

bræis modernis, in Syris, Chaldaïcis, Arabicis, & variis Græcis. Accedit, quòd & *Sale*, & *Heber* sequentes *Arphaxad*, in omnibus textibus ultra *quadringentos annos* vixisse referantur.

CAPUT XIV. XVIII.

XIV. 5. *Et Zuzim cum eis.* Ita etiam LXX. ἅμα αὐτοῖς. Hunc sensum etiam patiuntur Hebræa verba, si legas בהם *Bahem*, sed si puncta mutes, prout modò sunt בהם sonabit: *Beham. In Ham*, ut designetur locus, in quo Zuzim isti sint percussi, sicut de aliis devictis, assignatur locus in quo superati sunt. Imò S. Hieronymus mutatâ litterâ legit in suo Hebræo Codice בחם *Becham*, seu *Bechom*, ùt patet ex ejus quæstionibus in Genesim; sed videtùr postea transferens Genesim de Hebræo, alios Hebræos Codices reperisse.

XVIII. 28. *Quid si minus quinquaginta justis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque, universam urbem?* Hoc est, quamvis tantùm sint 45. Editio nova Hieronymi, prout & quidam Vulgatæ libri habent: *Delebis propter quinque?* Nempè qui desunt ad 50. justos, priùs à te requisitos, ut parcas urbi. Hæc lectio videtur genuina Vulgatæ, cùm ita sit etiam in omnibus aliis textibus Arabico, Syro, Chaldæo, Samaritano, Græco; Hebræo בחמשה *Bachamisscha. In*, seu propter *quinque*. Merùm videtur præli vitium istud *Quia*, quod loco *Propter* legitur in Bibliis Sixti V. 1590. *Delebis* QUIA *quadraginta quinque*, nam alii omnes Vulgatæ codices habent *Propter*. Potest tamen hæc lectio congruè intelligi: *Delebis quia* 45. si subaudias: *tantùm ibidem justi sunt, & non integri* 50.

CAPUT XXI. XXIV. XXVII.

XXI. 20. *Et fuit cum eo.* Optarem restitutam fuisse in Bibliis Clem. VIII. aliquorum Vulgatæ librorum hanc lectionem: *Et fuit Deus cum eo*, quandoquidem in Hebræo, Chaldæo, Samaritano, Syro, Arabico, Græco addatur nomen, *Deus: Et fuit Deus cum puero.* Ita etiam tolleretur æquivocatio, & periculum, ne de Agar dici putetur.

XXIV. 32. *Aquam ad lavandos pedes ejus.* Cùm eodem modo sit & in græco, & in hebræo, & in reliquis Orientalium linguarum textibus, patet mendosum fuisse, quod in quamplurimis Vulgatæ libris antea legebatur: *Aquam ad lavandos pedes camelorum.*

XXVII. 12. *Et inducam super me maledictionem pro benedictione.* Hoc est loco benedictionis expetitæ. Ita etiam in prima persona habetur in græco ἐπάξω, prout & in Arabico, atque Chaldæo; Hebræus similiter והבאתי עלי *Vehebethi alaj. Et faciam venire super me.* Vulgatæ libri penè omnes, etiam Sixti V. 1590. ante correctionem legebant in tertia persona *Inducat*, nempè pater meus Isaac.

Habet quidem Samaritanus textus in Polyglott. Anglicanis והבאת *Vehebeth. Et venire facies.* Causa eris, & occasio, ô mater Rebecca, quòd veniet, qualiter etiam in secunda persona est in Syro textu; sed in hoc utroque videtur

detur. per inadvertentiam scribæ, vel Typographi, omissum finale י *Jod* I, quo adjuncto, erit in prima persona: *Venire faciam*, *Inducam*.

CAPUT XXXV. XXXVII.

XXXV. 8. *Sepulta est ad radices Bethel super quercum.* Ita quidem, hoc est *Super*, est in omnibus exemplaribus Vaticanis editionis Clem. VIII. nempè 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. sed hanc lectionem deseruerunt omnes extra Romam factæ editiones, in quibus est: *Subter quercum*, qualiter etiam reperitur in omnibus præcedentibus Latinis libris, signanter Sixti V. 1590. atque in omnibus omnium linguarum orientalium textibus Chald. Syro, Arab. Samarit. Hebræò תחת *Tachath*, *Subter*, ùt eadem vox transfertur ℣. 4. *Subter Terebinthum.* LXX. ὑπὸ *Sub.* Res ipsa pariter clamat, non enim potuit Deboræ cadaver sepeliri *Super*, sed *Subter quercum.* Franciscus Lucas: *Legendum est Subter... non Super... tametsi hoc sit in Romana anni* 1593. *editione: error est enim typographicus.*

XXXVII. 28. *Vendiderunt eum* Josephum *Ismaëlitis viginti argenteis.* Eundem præcisè numerum exprimunt Textus Hebræus, Græcus, Samaritanus, Chaldæus, Syrus, Arabicus, atque adeò mendosum est, quod Origenes, Augustinus, Beda legunt, & in aliquibus Vulgatæ libris reperitur: *Triginta argenteis.* Apparenter hoc ab Aliquo indocto fuerat intrusum, propter 30. Argenteos, quibus Christus Dominus à Juda venditus est.

CAP. XXXVIII. XXXIX. XLI. L.

XXXVIII. 12. *Mortua est filia Suë.* In multis Vulgatæ libris, signanter Sixti V. omissâ voce *Filia*, habetur: *Mortua est Sua*, qualiter etiam est in Græco; sed meritò restituta est ea vox, cùm exprimatur in Hebræo, Chaldæo, Samaritano, &c. Deinde uxor Judæ non vocabatur *Suë*, sive *Sua* שׁוּעַ sed hoc erat nomen patris ipsius, ùt ostendi libro præcedenti.

XXXIX. 9. *Peccare in Deum meum.* Alii cum Sixto V. *Dominum meum*, sed minùs rectè, cùm hoc posset intelligi de Putiphare, cujus servus erat Joseph, in Hebræo autem est אלהים *Elohim. Deum*, prout & in Græco: *In conspectu Dei.* Hebr. & Græca omittunt *Meum.*

XLI. 43. *Super currum suum secundum.* Ita etiam omnes alii textus, non *Secum*, ùt antea mendosè habebant Latina aliqua.

℣. 54. *In cuncta autem terra Ægypti panis erat.* Ita Hebræa, Chaldæa, Samaritana, Græca; nisi quòd paucissimi libri græci (ùt Basilienses) addant negationem οὐκ *Non erant panes*, quos secutus est Syriacus textus, sed mendosè, prout simili mendo irrepserat in quamplurimis Latinis *Fames*, pro *Panis.*

L. 17. *Oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* In Clementis VIII. editionibus ita meritò restitutum est, conformiter ad Hebræa, Chaldæa, Græca, Samaritana, & aliquæ Latina exemplaria, pro mendo, quod plurimos Vulgatæ libros, atque etiam exemplar

plar Sixti V. invaserat: *Ut servo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc*: quæ verba etiam falsa erant; nihil enim Jacob Josephi pater peccaverat, quod Joseph ei dimitteret.

EXODUS.

CAPUT I. II.

CAp. I. 6. *Omnique cognatione illa.* Ita etiam Textus Samaritanus, Chaldæus, Arab. Syrus, Græcus, Hebræus, non: *Cognatione sua*, ùt communiter ante correctionem Clementinam legebatur, etiam in Editione Sixti V.

II. 22. *Alterum verò peperit, quem vocavit Eliëzer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus, eripuit me de manu Pharaonis.* Hæc Pericope deest in textibus Hebræo, Chaldæo, Samaritano, atque etiam in Græco Sixtino, prout & in aliquibus manuscriptis Latinis, & in nova editione Hieronymi. Aliquibus videtur, per Expositores hîc ad marginem in Vulgata priùs apposita ex Cap. XVIII. 4. atque ita tandem in textum hujus Cap. II. irrepsisse. Retinuerunt equidem Correctores, tum quòd in quibusdam Græcis, itemque in Syriacis, & Arabicis reperiatur, & à Rhabano legatur; tum quòd fortè hoc loco exciderit ex Hebræo, ùt suadetur ex Cap. XVIII. 4. Tum quòd equidem indubitata Scriptura sit.

ỳ. 25. *Cognovit eos* pro suis, ut adjuvaret, atque eriperet. Meritò retenta est hæc lectio, quamvis antea plerique libri, cum Sixti V. haberent: *Liberavit eos*; nam & Rhabanus legit *Cognovit*, & ita est in Syro & Hebræo: *Vajjeda Elohim. Et cognovit Deus.*

Posset tamen etiam verti: *Et cognovit Deum*, nempè populus Hebræorum Deum, oculo misericordiæ eos respicientem, qualiter intellexisse videntur LXX. cùm vertant: *Et cognitus est eis.* Huc trahi posset textus Samaritanus וחכם אלהים Si enim verbum *Chacham* sumas in Piël, significat *Sapientem*, ac *Providum efficere*, atque ita sensus erit: *Et sapientes effecit eos Deus.* Aliàs erit: *Et Sapiens fuit Deus*, subintellige, erga eos; sive *Providus*, eorum liberationem sapientissimè procurans.

CAPUT IV. V.

IV. 5. *Dominus Deus patrum suorum.* Romani correctores rectè substituerunt *Suorum*, pro *Tuorum*, quod passim antea legebatur; nam in Hebræo est אבתם *Abotham. Patrum suorum*, vel *Eorum*. Etiam ita est in Chaldæo, Græco, Syro, Arabico, in Latinis Regiis, & Sixti V. & in ipso textu Samaritano, quamvis mendosè in Versione Samaritica sit *Tuorum.*

ỳ. 14. *En ipse egreditur.* Hebræum יצא Ambiguum est ad *Jotse. Egrediens*, & *Jetse. Egredietur*, ùt legerunt LXX. ἐξελεύσεται. Item Editio Sixti V. & pleraque antiqua Latina, videturque magis conforme contextui. Unde hîc non probo notam Francisci Lucæ.

ỳ. 18. *Ad Jethro socerum suum.* Antiqui libri, & nova editio Hieronymi legunt *Cognatum*, eodem quidem sensu, sed ambiguâ locutione; unde judiciosè reten-

retenta eſt eorum codicum lectio, quæ habebat *Socerum*, cùm talem ſignificet Hebræum חתן *Chothen*, & græcum γαμβρός.

Cap. V. 14. *Quare non impletis menſuram laterum.* Plurima Latina antiqua, ſignanter Lovanienſia, ac Sixti V. habent in Præterito *Impleſtis*, conformiter ad hebræa, & græca.

℣. 19. *Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſraël in malo.* Ita etiam Hebræa. Græca: *In malis.* Minùs rectè Sixti V. Lovanienſes, pluresque antiquiores: *In malum.*

CAPUT VIII.

℣. 26. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.* Cum ſigno interrogationis eſt in exemplaribus Vaticanis Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. Item in Romanis 1624. & Colon. 1679. Miror proinde Franciſcum Lucam in libro ſuo *Romanæ Correct.* ad hunc locum ſcripſiſſe: *Prudenter omiſſa eſt Nota interrogationis, quæ eſt in aliis libris.* Miror, inquam, quia ipſe uſus eſt exemplari Vaticano anni 1593. in quo ſignum interrogationis exprimitur; Indices autem correctorios ipſe numquam vidit, ùt probabo lib. 3. cap. 5. §. 1.

Deinde in hebræo, & græco verba ſunt indifferentia, ut cum, aut ſine interrogatione legantur, de quibus etiam ſcribit Bonfrerius: *Nota hanc ſententiam pleroſque per interrogationem legere; fitque hac ratione ſenſus optimus.* Subdit: *Sixtinorum Codicum exemplaria variant, in quibuſdam interrogationis nota affixa eſt, in aliis deeſt.*

Hoc, ùt dixi, verum non eſt de exemplaribus Romanis, ſed tantùm de Plantinianis aliiſque, in quibus Typographi falſam Notam Brugenſis ſunt ſecuti, & quidem, quantùm rem ipſam attinet, benè, quandoquidem ſine interrogationis ſigno eſſe legendum, notetur in tribus Indicibus correctoriis, qui habentur ad calcem in Bibliis Vaticanis 1598. Nimirum & in Indice, ſeu Catalogo pro Bibliis anni 1592. & in altero pro Bibliis anni 1593. & in tertio pro Bibliis anni 1598. Proinde non debuerat iſtud interrogationis ſignum remanere in Romanis 1624.

CAP. XII. XIII. XV.

XII. 35. *Sicut præceperat Moyſes.* Quamplurimi veteres Vulgatæ libri, prout etiam Sixti V. legunt: *Sicut præceperat Dominus Moyſi*; ſed minùs rectè, cùm illud *Dominus* non ſit in hebræo, aut græco.

XIII. 3. *Ut non comedatis fermentatum panem.* Hieronymus fortè tranſtulit: *Et non* &c. Ita enim eſt in Hebræo ולא *Vlo*, & Græco καὶ οὐ. Quòd ſi ita legas, ſenſus erit planior.

XV. 7. *Depoſuiſti adverſarios tuos.* Præſtat ita legere, quàm cum multis *Meos*, ſiquidem *Tuos* eſt in hebræo קמיך *Kamecha. Inſurgentes tuos*, ſeu *Erigentes ſe adversùs te.*

℣. 19. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao.* Cum nova editione operum Hieronymi, multi codices Vulgatæ habent: *Equus.* Hanc eſſe veram Hieronymi tranſlationem, autumo; faciliter enim

potuit in Latino *Equus* inadvertenter mutari in *Eques*: in hebræo autem est סוס *Sus*, quod *Equum* significat, multumque distat à פרש *Pharas*. *Eques*, *Equitans*. Similiter in græco est ἵππος, *Equus*, non ἱππεὺς *Eques*. *Equum* etiam, non *Equitem* habent Chald. Syr. Arab. Samar. tam textus, quàm versio. Confirmat illud, quòd immediatè sequatur in Vulgata: *Cum curribus & equitibus ejus*. Si enim *Eques* intelligeretur ipse Pharao equitans, Hieronymus transtulisset, ùt Latinitas exigit: *Cum curribus & equitibus suis*, non *ejus*.

Merentur equidem hîc adscribi verba Magdalii Gaudani: *Equus legi debet, non Eques; nisi Equitem pro ipso jumento, cui insidetur, accipere velimus, utrumque enim Eques significat, ùt refert Aulus Gellius lib.* 18. *cap.* 5. Vide à nobis dicta Libro I.

CAPUT XVII. XVIII.

XVII. 16. *Manus solii Domini* &c. Obscuritas sententiæ, & affinitas latinarum vocum, Aliquos induxit, ut mendosè scriberent: *Manus solius Domini*; sed hoc mendosè, siquidem in hebræo est כס *Ces. Solium*, seu *Thronus*.

XVIII. 21. *Provide... viros potentes, & timentes Deum*. Romani correctores sapienter pro ly *Sapientes* (quod & Sixti V. Codex, & multi alii Latini habebant) posuerunt *Potentes*, hoc est fortes, strenuos, constantes; tales enim significat hebræum אנשי חיל *Ansche chail*. *Viros potentiæ*, seu *strenuitatis*. LXX. ἄνδρας δυνατούς. *Viros potentes*.

CAPUT XXI. XXII.

XXI. 14. *Ab altari meo evelles eum*. Notat Lucas Brugensis aliquos bonos libros legere *Avelles*, qualiter ego puto Hieronymum transtulisse; non enim congruè quid dicitur ab aliquo *Evelli*, nisi quod eidem inhæret, sed quod adhæret (ùt reus currens ad Altare pro asylo) magìs propriè dicitur *Avelli*. In Hebræo & Samaritano est: *Rapies eum*, seu *Abripies*. LXX. *Capies*.

XXII. 6. *Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris*. Ex verbis, materiâ de quâ agitur, & affinitate utriusque vocis, patet pronam hîc fuisse occasionem mendi, quo plerique libri Vulgatæ, etiam Sixti V. habebant *Spicas*, non *Spinas*, ùt rectè reposuerunt Correctores; cùm hebræus, aliique omnes orientales textus, habeant *Spinas*.

CAPUT XXIII. XXIV. XXXI.

XXIII. 18. *Sanguinem victimæ meæ*. Ita legendum, non *Tuæ*, ùt habebant valdè multi libri Vulgatæ, atque etiam Sixti V. Etenim *Meæ* est in græco, chaldæo, hebræo.

XXIV. 5. *Immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos*. Nec in græco, nec in chaldæo, nec in hebræo invenitur, quod & Sixti V. & alii passim antiqui codices addunt: *Duodecim*.

XXXI. 9. *Labrum cum basi sua*. Tam hebræum כיור *Cijor*, quàm græcum λουτὴρ, significat Vas lavatorium, quod non memini Latinè vocari *Labium*, ùt hîc

hìc eſt in Editione Sixti V. & multis antiquis Vulgatæ libris; quamvis pro extremitate rei alicujus, præſertim oris, ſumpta vox *Labium*, etiam Latinè dicatur *Labrum*.

CAPUT XXXII.

℣. 28. *Cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* In codicibus Latinis reperitur hìc trifaria lectio. Varia Biblia impreſſa antiqua, ſignanter Moguntina 1472. Colonienſia 1479. unumque antiquiſſimum (caret loco & anno impreſſionis) Bibliothecæ noſtræ Thenenſis. Item Biblia Hentenii, ſeu Lovanienſium Theologorum primùm anno 1547. ac deinceps multoties impreſſa, atque etiam exemplar Vaticanum Sixti V. de anno 1590. Augent numerum; legunt enim: *Quaſi triginta millia.* Sed hæc lectio modicam, ſi ullam, habet veroſimilitudinem, cùm omnes alii textus, & codices, itemque Patres univerſi, eidem adverſentur.

Moderna Vulgata, nempè exemplaria tempore Clementis VIII. correcta, ac deinde impreſſa, habent, ùt propoſui: *Quaſi viginti tria millia*, quæ lectio eſt paucorum Latinorum Bibliorum, hanc correctionem antecedentium, ſignanter Nurimbergicorum anni 1479. Baſilienſium anni 1491. Eodem tamen numero legerunt etiam S. Gregorius Magnus in I. Reg. XIV. Item Rupertus, Damianus, & quidam Alii, videturque hanc lectionem approbare S. Paulus I. Cor. X. 8.

Tertia Vulgatæ lectio multùm diminuit numerum, habet enim: *Quaſi tria millia.* Ita ſignanter Biblia Antverpienſia Latina anni 1534. Hæc lectio ante correctionem Clementinam erat communior, eamque, ſalvo meliori, judico veram, & genuinam, atque in hunc modum S. Hieronymum tranſtuliſſe, qualiter etiam exprimitur in noviſſimâ editione operum illius.

Hæc lectio, ſi non manifeſtè comprobetur, ſaltem ſummoperè ſuadetur per ipſam Vulgatæ varietatem, accedente eo, quòd omnes omninò aliarum linguarum textus hanc lectionem admirabili concordiâ ſtabiliant, unanimiter legentes: *Quaſi tria millia.*

Ita imprimis Hebræus כשלשת אלפי איש *Ciſchloſcheth alpe is. Quaſi tria millia viri*, ſeu *virorum*, hoc eſt *Circiter*, ſeu *Præterpropter.* Similiter Samaritanus tam textus, quàm verſio, Arabicus, Syriacus, Chaldaïcus.

Conſentit Græcus; aliqui enim libri, nempè Sixtini, habent εἰς τρισχιλίους ἄνδρας. *Ad ter mille viros.* Alii τρεῖς χιλιάδες ἀνδρῶν. *Tres Chiliades* (hoc eſt *Tria millenaria*, ſeu *Tria millia*) *virorum.*

Tria millia legunt etiam, ùt dixi, Codices Latini Vulgatæ antiquiores magìs communiter, item Latina *Complutenſia*, atque etiam Latina *Regia.* Sic pariter legunt *Tertullianus* Scorp. 3. *Chryſoſtomus* lib. de Providentia. *Ambroſius* Epiſt. 56. ad Romulum. *Auguſtinus* quæſt. 56. in Exod. *Philo* Hebræus, *Iſidorus*, *Rhabanus*, *S. Thomas* 2. 2. q. 14. art. 3. in Corp. & q. 97. art. 4. Quamvis in aliquibus (non omnibus) editionibus recentioribus, hoc inconſultò ſit mutatum, apparenter ut lec-

tio

tio S. Thomæ conveniret lectioni modernæ Vulgatæ.

Cùm igitur adeò variet Vulgatæ lectio, imò antiquiores libri Latini frequentiùs habeant: *Quasi tria millia*, atque ita constanter habeant exemplaria omnia Hebraïca, Chaldaïca, Samaritana, Græca &c. Omninò videtur juxta regulas rectæ Criticæ, judicandum pro hac lectione, cui præterea Patres penè omnes adstipulantur.

Objicies: Si in hebræo prima littera vocis כשלשת *Cischloscheth*, sumatur tamquam Numeralis, seu certum numerum indicans, tunc *Cischloscheth* significat *Viginti tria*; idem est de textu Chaldæo, & Samaritano.

Respondeo, non sic posse sumi istam litteram כ nam Scriptura, seu textus Hebræus, semper & ubique numeros exprimit non per litteras numerales, sed per integras voces, atque adeò etiam hoc loco, & consequenter littera כ *Caph* non significat hìc *Viginti*, sed *Quasi*, *ferè*, *Circiter*. Si ergo voluisset numerum *Viginti* exprimere, haberet ad longum עשרים *Esrim. Viginti.*

Deinde quando Rabbini litteris numericis numeros indicant, totum numerum sic exprimunt, non verò numeros compositos ita, ut unum litterâ numericâ, alterum integrâ voce: unde si hìc littera כ esset nota numerica valens *Viginti*, non exprimerentur *Tria* integrâ voce שלשת *Scheloscheth*, sed iste numerus etiam esset expressus per unam litteram, nempè ג ac proinde non esset in textu כשלשת *Cischloscheth*, sed כג

Patet insuper כ hìc non sumi ùt notam numeralem, ex eo quòd Vulgata nostra in omnibus libris habeat: *Quasi*, adeòque hoc sensu intellexit Translator Vulgatæ istam litteram; si enim hoc loco denotaret *Viginti*, deberet saltem in illis Vulgatæ libris, in quibus habetur: *Quasi viginti tria*, omitti vox *Quasi*.

Objicies iterum: In tanta hominum turbâ, nimirum trium facilè millionum, exigua admodum, & vix considerabilis fuisset plaga, si tantùm *tria millia* hominum fuissent trucidata; indicat ergo historiæ circumstantia legendum esse: *Viginti tria millia.*

Respondeo: Ad tantam multitudinem etiam exiguus respectivè numerus fuisset *Viginti trium millium*, qualiter ne legatur, probant tam urgentia motiva præallegata.

Deinde Levitæ, qui stragem hanc fecerunt, non sunt grassati in totum populum, sed, ùt eis mandaverat Moyses ℣. 27. *De porta ad portam* iverunt; non igitur intrarunt tentoria, seu tabernacula, ad quæ se confestim omnes, non omninò obstinati, receperunt, fugientes gladium irruentium Levitarum, qui tantùm obvios in platea castrorum, in flagranti delicto repertos, occiderunt; quo attento multum adhuc considerabilis strages fuit, quòd cæsi sint *circiter tria millia.*

Sed quid ad Paulum I. Cor. X. 8. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt unâ die viginti tria millia.* Hoc loco videtur Paulus usu con-

consueto Scripturæ per *fornicationem* intelligere *Idololatriam*; Si enim ageret de historiâ relatâ Num. XXV. non scriberet: *Viginta tria millia*, sed: *Viginti quatuor millia*, quot ibidem occisa narrantur.

Respondeo, mihi longè verosimiliùs videri, Apostolum in allegatis ejus verbis non agere de hâc historia, quam tractamus, sed de illa, quæ refertur Num. XXV. Pauli locum videamus integrum. *Non simus*, inquit, *concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt* (in deserto Carnes, Pisces, Cucumeres, Cepas, Allia, Reditum in Ægyptum &c.) *Neque Idololatra efficiamur, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quibus verbis tangit historiam Exodi, quam tractamus. Mox verò tertiam, atque diversam subjungit: *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt unâ die viginti tria millia* (Num. XXV. Deinde subdit) *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt* (Num. XXI.) *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Num. XI. & XIV.

Ex his clarè patet Apostolum isto loco varia peccata dissuadere, variasque ad hoc historias referre; cùm igitur priùs dixerat de *Idololatria* commissa Exod. XXXII. illamque proprio nomine expresserat: *Neque Idololatra efficiamur*, non est verosimile, quòd per sequentia de *Fornicatione* velit Metaphoricè intelligere eandem Idololatriam, præsertim cùm non tam Judæis scribat, quàm Gentilibus conversis, apud quos non erat usus, per vocem *Fornicatio* Metaphoricè intelligere *Idololatriam.*

Circumstantiæ igitur suadent Paulum intelligere veram *Fornicationem* ab Hebræis commissam, & in illis tam severè punitam Num. xxv. Quam historiam non est verosimile Apostolum reticere voluisse, cùm alia peccata Hebræorum commemoraret, sed potiùs specialiter hanc culpam pœnamque subsecutam censendus est voluisse referre, atque notare, eo quòd Corinthii ad fornicationis peccatum valdè forent proclives, ùt constat etiam ex prophanis Auctoribus.

Quòd verò Num. xxv. 9. dicantur *Occisa viginti quatuor millia*, intellige: præterpropter, sic ut fuerint plusquàm 23000. minùs autem quàm 24000. Paulus proinde scripserit 23000. Vel quòd *Ceciderint viginti tria millia* illâ die de communi plebe, quod Paulus notat & refert, etsi præterea circiter *mille* principaliores suspensi fuerint fortè pridie Num. xxv. 4. atque adeò numerentur simul Num. xxv. 9. *Viginti quatuor millia.* Ut omittam quòd Paulus scribens 23000. (de cæde narrata Num. xxv. 9. ibique dicta 24000) non repugnet isti loco, nam si ceciderint 24000. verum est cecidisse 23000.

Denique testatur OEcumenius, in aliquibus Bibliis haberi I. Cor. X. 8. *Viginti quatuor millia*, non: *Viginti tria.* Videri potest Estius in I. Cor. X. 8.

CAP. XXXIII. XXXVII. XXXVIII.

XXXIII. 3. *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es.* Plerique antiqui libri, prout & Sixti V. habent in tertia persona: *Duræ cervicis est*; sed moderna lectio præstat, nam in Hebræo Samaritanoque tum textu, tum versione est: *Quia populus duræ cervicis Tu* אתה *Atta*, non הוא *Hu*, *Ipse*. Similiter in Chaldæo את *At. Tu*, in græco Σὺ εἶ, *Tu es.* In Arabico, & Syro: *Estis.*

XXXVII. *Fecit autem Beseleel & arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos.* Clarior esset hic locus, si fuisset translatum, prout omnes versiones orientales, post Hebræum textum, habent: *Duos, & semis cubitos.* Vide dicta libro I.

XXXVIII. Libro præcedenti diximus hîc ỳ. 25. multa deesse in Vulgata, quæ si suppleantur ex hebræo, hunc locum dilucidant. Vide ibidem dicta. Eadem quæ in Hebræo, habentur etiam in Samaritano tum Textu, tum Versione, item in Græco, Chaldæo, Syro, Arabico. Ex his porrò colligitur, quòd illud:

ỳ. 26. *Fuerunt præterea*, debeat sic intelligi: *Fuerunt igitur præterea*, nempè præter aurum oblatum. Vel potiùs, quòd locò *Præterea* conveniret scribi, aut saltem debeat intelligi, *Propterea*, nimirum quòd fuerint 100. *Talenta*, & 1775. *Sicli argenti*, propterea quòd omnes Israëlitæ recensiti, scilicet 603550. singuli obtulerint semisiclum; nam 603550. semisicli efficiunt *Talenta* 100, *& siclos* 1775. Hunc sensum, ùt dixi, omnes alii textus indicant.

ỳ. 29. *Æris quoque oblata sunt Talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli.* Præcedenti libro ostendi, quòd oblata sint *Æris duo millia, & septuaginta Talenta, & Sicli quadringenti*, qualiter optassem hoc loco translatam fuisse Vulgatam, saltem hanc ita intelligendam puto.

Textus Hebræus, ac Samaritanus, ejusque Samaritica versio, habent: *Septuaginta talenta, &* 2000, *& quadringenti sicli.* Ita etiam Arabicus, ac Syriacus textus proprio charactere expressus in Polyglottis Anglicanis, in quibus nota non rectè haberi in versione Samaritana Latina, itemque in Latina textûs Syriaci versione: *Septuaginta talentorum, & duorum millium quadringentorum siclorum*: nam in ipsis Samaritano, Samaritico, Syroque textibus linguâ illâ, & charactere impressis in iisdem Polyglottis, ante vocem *Quadringentorum* habetur expresse copulativa ו *Et*, atque adeò, potest facere alium sensum, quàm Latinæ istæ translationes exhibent.

CAPUT XXXIX. XL.

XXXIX. 28. *Cingulum de bysso retortâ, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto.* Exceptis Bibliis Complutensibus, vix unus erat Vulgatæ Codex ante Clementinam correctionem, qui legebat *Bis tincto*, sed omnes etiam Lovan. & Sixti V. unicâ voce habebant: *Distinctum*, nempè *cingulum*. Prudenter tamen restitutum est: *Bis tincto*; nam in

in hebræo istud hîc significatur per *Tholaath schani. Vermiculus*, seu *Coccus duplicis* tincturæ.

XL. 3. *Dimittesque ante illam velum.* Ita, est in Editionibus Vaticanis tum Sixti V. 1590. tum Clementis VIII. 1592. 1593. 1598. tum in Romana 1624. Imò etiam in Editione nova operum S. Hieronymi. Sed Franciscus Lucas Brugensis dicit, quòd hîc lapsus sit Typographus Romanus, dans *Dimittes*, quod est *Relinques*, pro *Demittes*, quod est *Expandes*, nempè vocalem tertiam, pro secunda. Ita ipse.

Est hoc verosimile, cùm & ante has editiones, & postea (quod magìs notandum) omnes Vulgatæ libri habeant *Demittes*; hocque meliùs exprimat id, quod unanimiter habent Textus Græcus, Chaldæus, Samaritanus, Hebræus וסכת *Vesaccotha. Et operies arcam velo.*

LEVITICUS.

CAPUT I.

VErs. 5. *Offerent filii Aaron Sacerdotes.* Ita est legendum tum hoc loco, tum Cap. II. 2. & III. 2. Non verò *Sacerdotis*, prout passim his locis habent antiquiores libri, & Biblia Sixti V. Siquidem in Hebræo non est singulare כהן *Cohen. Sacerdotis*, sed plurale כהנים *Cohanim. Sacerdotes.* Eodem modo græca, chaldæa, &c.

℣. 10. *Masculum absque macula*, seu *integrum*, hoc est *perfectum*, & sine ullo defectu, ùt significat Hebræum זכר תמים *Zachar tamim*, cui concordant Samar. Chald. Arab. Syr. item Græcus ἄρσεν ἄμωμον. *Masculum immaculatum.* Mendosum proinde erat, quod pro unâ voce *Masculum* זכר *Zachar*, in plerisque libris Latinis, & in ipso Sixti V. habebatur tribus vocibus: *Masculum anniculum*, &c. Quæ verba etiam falsa fuisse videntur, quandoquidem Lex vetus (quod sciam) nusquam restringat hostiam holocausti ad ætatem unius anni, hoc est, quòd victima non excederet unius anni ætatem, nisi quòd Deus hoc caverit singulariter in agno paschali, & quibusdam specialibus holocaustis, ùt patet Levit. XXIII. 12. 18. Unde dicitur Levit. XXII. 18. 19. *Quidquid obtulerit in holocaustum Domino per vos* Sacerdotes, *masculus immaculatus erit*, nullâ ætatis factâ mentione.

CAPUT IV. VI.

IV. 2. *Anima quæ peccaverit.* Videtur magìs genuina lectio Codicis Sixti V. *Cùm peccaverit*, prout etiam plerique antiqui Latini habent, signanter Biblia Lovaniensium, quæ non notant ullum manuscriptum aliter habere: nec in hebræo est אשר *Ascher. Quæ*, sed כי *Ci. Cùm, quum.* LXX. hanc lectionem probant, quia vertunt ἐὰν. *Si.*

Quod plerique libri, etiam Sixti V. habebant ℣. 8. *Offeret*, & ℣. 10. *Offertur*, meritò correctum est in *Auferet*, & *Aufertur*. Ita enim est in Hebræo, Chaldæo, Græco, Samaritano, Arabico, Syro; atque in aliquibus antiquis Latinis.

VI. 16. *Comedet in loco sancto Atrii Tabernaculi.* Sive *In loco sancto in atrio*

&c. ùt habetur in Hebræo, Chaldæo, Samar. Arab. Syro, Græco: quapropter benè mutatum est, quod plerique antiquiores libri Latini, unà cum Sixti V. habebant: *In loco Sanctuarii Tabernaculi*; quod etiam in rigore falsum est; nam in ipso *Sanctuario Tabernaculi* non licebat hostias comedere; sed tantùm in *Atriis* eidem adjunctis.

℣. 29 *Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum Sanctorum est.* ℣. 30. *Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Satis manifestum est ℣. 30. allegari novum casum, in quo hostia non poterat comedi, adeòque illud *Enim* non debere sumi, quasi per hoc detur ratio præcepti dati ℣. 29. Quapropter videtur præferenda lectio variorum codicum Latinorum, qui habent *Autem*, cui adstipulantur Hebr. Græc. Chald. Samar. Arab. Syr. in quibus hîc nulla est particula rationalis, sed merum *Et*. *Et omnis hostia* &c. quod hoc loco idem valet, q. d. *Omnis autem hostia* &c.

CAPUT VII.

℣. 37. *Ista est lex holocausti, & sacrificii pro peccato atque delicto, & pro consecratione, & pacificorum victimis.* Post vocem *Sacrificii* debet subintelligi Interpunctio, quam optarem in textu poni, unà cum copula *Et*, quæ additur in Hebræo, Chaldæo, Syro, Arabico, Samaritano tum textu, tum versione, atque etiam in græco: nisi enim ita legamus, mutila erit nostra Vulgata, tunc quippè in illa omittetur una sacrificii species, quam omnes alii textus exprimunt, nempè Sacrificium istud, cujus materia erat frumentum integrum, vel coctum, quod hebraïcè vocatur מנחה *Mincha*; Hieronymus autem in Vulgata, præsertim in Levitico, passim intelligit, & exprimit per vocem *Sacrificium*, sicut præcedenti libro demonstravi. Videantur ibidem de hoc loco dicta.

Illud ipsum hîc etiam intelligendum est, & Hieronymus intelligit per vocem *Sacrificii*, ut separatim legatur: *Lex holocausti, & sacrificii*, & hostiæ *pro peccato, atque delicto.* Ita enim, prout dixi, est in aliis textibus, signanter hebræo: *Zoth hattora laola, Lamminchа, velachattath, velaascham. Ista* est *lex pro Holocausto, pro Mincha, & pro Sacrificio pro peccato, & pro Sacrificio pro delicto* &c. Moyses enim hîc texit Epilogum, seu breviter concludit, Leges hactenus in Levitico latas, & allatas, esse pro omni sacrificiorum specie, quas deinde singulas enumerat.

CAPUT VIII. XIII. XIV.

VIII. 35. *Die ac nocte manebitis in Tabernaculo.* Potuisset clariùs transferri: *In*, vel *Ad ostium tabernaculi*, ùt habent hebræa, chaldæa, græca &c. Nempè in Atrio, non in ipso *Sancto*, seu rigoroso *Tabernaculo.*

XIII. 12. *Operuerit omnem cutem.* Ita etiam hebræa עור *Or. Pellem, Cutem*, non בשר *Basar. Carnem*, prout antea omnes penè Vulgatæ libri habebant,

bant, etiam Sixti V. Sed benè restitutum per Clementinam correctionem *Cutem*, qualiter etiam LXX. δέρμα.

XIV. 17. *Et super sanguinem.* In aliis textibus, signanter hebræo & græco, deest copula *Et*, rectiùsque etiam in Latino omitteretur; nam ritus hoc versu præscriptus, similis est illi, de quo ℣. 28. ubi optimè Vulgata: *In loco sanguinis* &c. Oleum enim istud tingendum erat, aut fundendum, non in alio auris loco, quàm in illo ipso, in quo sanatus leprosus priùs fuerat sanguine tinctus, ita ut illud *Super sanguinem*, sit idem, quod *Super locum* (ùt habent LXX.) corporis sanguine tinctū.

℣. 43. *Et pulvis erasus.* Franciscus Lucas: *Notariorum temeritas fuit, quòd pro* Erasus, *seu Abrasus, plerique libri* (etiam Sixti V.) *habeant* Elatus, *quod est exportatus.* Siquidem in hebræo est: *Et postquam* הקצות *Hiktsoth. Abradi fecerit.* LXX. *Et post abrasisse* &c.

CAPUT XV. XVI. XIX.

XV. 27. *Quicumque tetigerit ea.* Sic etiam est in Hebræo, Chaldæo, Samaritano, Syro, & paucis antiquis Latinis; alia exemplaria Vulgatæ, prout & Sixti V. habent *Eam*, referuntque ad mulierem cum græcis.

XVI. 16. *In medio sordium.* Ita hebræa & græca. Unde mendosum erat, quod ex affinitate vocum, irrepserat in variis Latinis: *Sortium*, pro *Sordium*.

XIX. 9. *Cumque messueris segetes.* Addunt copulam nedum Biblia Lovan. aliaque antiquiora, sed etiam Vaticana Sixti V. 1590. Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. Romana 1624. Colon. 1630. Additur eadem in hebræo, & græco; in Bibliis tamen Plantinianis primis post correctionem, scilicet anni 1603. ac deinceps omissa est, quod factum reor propter Notam Lucæ Brugensis, qui in libro *Romana Correct.* ita non rectè refert: *Cum messueris*, ac deinde notat: *Interpres non addidit copulativam Cùmque.* Unde hoc sciverit Lucas nescio: equidem Enclyticam *Que* delendam monent Indices correctorii pro Bibliis Vatic. 1592. 1593. 1598.

℣. 20. *Quæ sit ancilla etiam nubilis.* Antiqui libri penè omnes cum Lovanien. & Sixti V. legunt *Nobilis*; sed *Nubilis* rectissimè substituerunt Correctores, quia in hebræo est: *Necherepheth le-is. Desponsata viro*, vel, ùt Alii vertunt, *Humiliata à viro*, nimirum cognita, tamquam Heri, seu Domini sui concubina. LXX. *Servata homini*, nempè ad Matrimonium, quod Vulgata indicat per vocem *Nubilis*.

CAPUT XX. XXI. XXII.

XX. 9. *Patri matrique maledixit.* Hæc desunt in Bibliis Sixti V. in græco autem est: *Patri matrive maledixit*, sed in Hebræo, Chaldæo, Samarit. Arab. Syro *Et*; attamen in illis textibus, prout etiam in Vulgata *Et*; sive illi æquivalens Enclytica *Que*, sumitur pro *Vel* tum hoc loco, tum alibi sæpè; quod verò antiquiores aliqui Vulgatæ libri passim habebant: *Patri matrique qui maledixerit*, benè mutatum est, cùm nec hebræo, nec græco, nec ullis aliis, sit conforme.

XXI. 23. *Quia maculam habet.* Sic etiam LXX. Hæc lectio magìs genuina est, quàm communis antiqua, & Sixti V. *Qui maculam habet.* Nam in hebræo,&Samaritano est כי מום בו *Ci mum bo. Quia macula in eo.*

XXII. 24. *Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testiculis est.* Lectionem hanc, contra Eugubinum negantem hîc de castratione agi, optimè defendit Bonfrerius, tum ex Chaldæo, & Græco, tum ex circumstantiis textûs; nam Judæis non erat interdicta quævis animalium mutilatio, cùm tamen hîc dicatur in omnibus textibus: *In terra vestra hoc omninò ne faciatis*, nempè ut castrent bestiam.

Porrò scribendum est *Tusis*, vel certè *Tunsis*, ùt est in nova editione Hieronymi, à *Tundo* tertiæ conjugationis; hoc enim importat hebræum כתות *Chathuth*; non verò *Tonsis*, à *Tondeo* secundæ Conjugationis, quod omnes ferè antiqui libri Vulgatæ habent, atque etiam Sixti V.

CAPUT XXIV. XXVII.

XXIV. 11. *Cumque blasphemasset nomen.* Propter majorem reverentiam Moyses reticuit ipsum nomen, neque addidit *Domini*, ùt suppletur in Bibliis Sixti V. & variis aliis Vulgatæ libris, aut *Dei*, ùt additum in nova editione Hieronymi; sed in omnibus textibus Orientalium linguarum, atque in græco, habetur simpliciter, & conformiter hebræo השם *Hasschem Illud nomen*, nempè ineffabile, atque essentiale Dei nomen יהוה.

XXVII. 27. *Juxta æstimationem tuam.* Hæc moderna lectio est conformis hebræo בערכך *Beerecha*; sed in græco est αὐτῦ *Suam*, qualiter passim habetur in antiquis Vulgatæ libris, & Sixti V.

Eodem ℣. 27. *Quantocumque à te fuerit æstimatum.* Iterum hîc in hebræo est *Beerecha. Juxta æstimationem tuam*; unde legendum *A te*, non *Ante*, prout antea erat in omnibus penè Latinis codicibus, ipsoque Vaticano Sixti V.

℣. 32. *Ovis & capra.* Non rectè notant ad hunc locum Lovanienses Theologi, deesse in Hebræo, Chaldæo, Græco illa: *Et capra*; nam in hebræo est צאן *Tson*, in græco πρόβατον, quæ voces significatione correspondent Latinæ voci *Pecus*, quomodò *Tson* sæpè transfertur in Vulgata.

NUMERI.

CAPUT III. IV. V.

CAp. III. 4. *Mortui sunt enim Nadab, & Abiu.* Ponitur *Enim* pro *Autem*, ùt habet nova Editio Hieronymi, & clariùs sic verteretur illud, quod est in Hebræo, Chaldæo, Græco, &c. *Et mortui sunt* &c.

IV. 6. *Operient rursum velamine.* Hunc sensum clarissimè exprimunt Hebræa, Chaldæa, Græca; non verò ut in quarto casu legatur: *Velamen*, quod habent varii libri Vulgatæ, signanter Sixti V.

Cap. V. 3. *Ne contaminent ea cum habitaverim vobiscum.* Ut notant novi editores

tores Galli operum S. Hieronymi, *Habitaverint* habent *manuscripti omnes ad unum.* Habent etiam sic in tertia persona plurali Biblia Lovaniensia Latina, Gallica, Flandrica, atque etiam Exemplar Vaticanum Sixti V. Præferunt tamen Galli statim relati primam personam singularem *Habitaverim*; meritòque sic restitutum est in Clementinis, cùm ita sit in Arabico, Syro, Græco, Samaritano, Hebræo אשר אני שכן *Ascher ani scochen.* *Quum*, vel etiam: *Quia ego habitans* &c. Chaldæus autem: *Quia majestas mea habitat.*

℣. 15. *Decimam partem Sati.* Hebræa, Samaritana, Græca habent: *Decimam partem Ephi.* Chaldæa: *Decimam partem trium Satorum*, quod omninò convenit cum Hebræo, nam *tria sata* faciunt unum *Ephi.* Videtur proinde hîc in Vulgata irrepsisse *Sati* pro *Ephi*, cùm, ùt dixi, Ephi unum tribus Satis constaret, adeòque decima pars Sati, foret tantummodò trigesima pars unius Ephi. At *Decimam Ephi*, seu unum Gomor hîc præscribi, habent omnes alii textus cum Josepho Flavio.

CAPUT VIII. X. XI.

VIII. 2. *Candelabrum in Australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra Boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis.* Hæc omnia desunt in Hebræis, Samaritanis, Chaldæis, Græcis, Syris, Arabicisque codicibus, prout & in quamplurimis Latinis, omittuntur etiam in nova Editione Hieronymi. Videntur hîc addita explicationis causâ ex Exod. XL. 22.

X. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.* Hîc in Vulgata deest post vocem *Multitudinem* interpunctio una, & copula *Et*, vel *Atque*, quæ habetur in omnibus aliis textibus Hebr. Græco, Chaldæo, &c. Atque adeò hanc omninò addendam, aut saltem subintelligendam esse, probavi libro præcedenti. Vide ibidem dicta.

℣. 8. *Filii autem Aaron Sacerdotes.* Ita etiam Hebræa, Chaldæa, Samaritana, Græca, non *Sacerdotis*, ùt Biblia Sixti V. Lovaniensium, & antiquiora passim.

XI. 32. *Congregavit coturnicum, qui parum decem coros.* Franciscus Lucas: *Meritò hic omissa est vox Multitudinem, quam quidam* (cum Sixt. V.) *adjecerant, non animadvertentes genitivum Coturnicum regi à Coros.* Neque in hebræo, aut græco est *Multitudinem.*

CAPUT XIV. XV.

XIV. 3. *Utinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam!* Ita etiam est in Hebræo, Chaldæo, Græco, &c. Nisi quòd eodem sensu in illis habeatur *Vel* pro *Et* ibi: *Vel in hac vasta solitudine.* Unde mendosum est, quod plerique antiqui Codices, signanter Lovaniensium, legunt: *Utinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine, Utinam pereamus! & non inducat nos* &c.

XV. Miror omnes penè Vulgatæ libros, signanter Sixti V. Lovaniensium, & correctos Clem. VIII. habere hoc modo ℣. 4. 5. 6. *Decimam partem Ephi.*

Ephi... dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos & arietes erit sacrificium simila duarum decimarum &c. Etenim punctum istud post ly *Victimam* omninò mendosum videtur; non enim ibi absolvitur sensus, sed post illa: *Per agnos singulos*; ubi finitur versus 5. deestque mendosa illa interpunctio tum in hebræo, tum in aliis textibus. Vide quæ circa hoc notavi libro præcedenti.

His partim superaddo, partim repeto: Sensum clarum verumque futurum, si punctum istud, post tò *Victimam* positum, tollatur, & ponatur absoluto versu 5. nimirum ante hæc: *Et arietes* &c. Hoc est: *Et per arietes singulos duas decimas* &c.

Punctum verò illud inter *Victimam*, & *Per* planè confundit sensum, facitque deesse speciem sacrificii, ad quam præcedentia, seu ista, quæ habentur versu 4. & 5. determinentur: facit etiam Scripturam sibi ipsi repugnare, nempè quòd jubeatur priùs, seu ỳ. 4. & 5. singulis agnis addi similæ *Una decima pars Ephi*, ac vini & olei *quarta pars Hin*. At ỳ. 6. *Duæ decimæ simila*, & olei ac vini *tertia pars Hin*. Insuper totus contextus clamat Scripturam gradatim ascendere per *Agnos*, *Arietes*, *Boves*, sive Tauros, successivè præscribendo majora quoad quantitatem sacrificia accessoria, sicuti major est aries agno, & ariete bos: unde dicit ỳ. 11. *Sic facies per singulos boves, & arietes, & agnos.*

Patet etiam ex Numer. XXVIII. ubi idem tractatur, quod hoc Cap. XV. Ibidemque eâdem proportione præscribuntur libamenta, seu accessoria Victimæ sacrificia similæ, olei, vini.

Demum, sicut monui, clarus erit sensus, si punctum istud indebitè locatum, auferatur post ly *Victimam*, & collocetur post tò *Singulos*, hoc est ibi, ubi notatur in Vulgata versus quintus finiri; prout collocatum est in omnibus aliis textibus, & in Vulgata Latina Regia. Atque ita omnes Interpretes explicant.

CAPUT XVIII. XX. XXI.

XVIII. 19. *Pactum salis est sempiternum.* Quidam legunt *Pacis*, sed mendosè; siquidem in hebræo non est שלום *Schalom. Pacis*, sed מלח *Melach. Salis*, prout etiam in græco.

XX. 6. *Clamaveruntque ad Dominum atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati cesset murmuratio eorum.* Hæc omnia absunt ab universis aliis textibus, prout & à multis Vulgatæ libris antiquis, à textu Rhabani Commentario adjuncto, ab Editione nova Hieronymi, & à Latino Regio. Quidam putant, inquit Franciscus Lucas, accepta fuisse ex Epistola Feriæ sextæ post Domin. III. Quadragesimæ: ùt Collector Epistolarum aliquando omittit, aliquando addit aliunde quædam.

Ego verò noto hæc fortè olim ex hebræo textu (ùt varia alia) excidisse, indeque in aliis textibus deesse; etenim similia Moysen & Aaron orasse, non est ambigendum, ad hoc enim (ùt

(ùt in textu præcessit) in faciem suam ceciderunt, nempè ut Deum orarent, tum ad aquam impetrandam, & ita occasionem murmuris amovendam, tum ut populo murmuranti parceret Deus.

XXI. Passim antea habebat Vulgata etiam Sixti V. ℣. 15. *Ut requiescerent in Arnon*, cùm tamen fuerit alia civitas vocata ער *Ar*, ùt habetur in Hebræo, Græco, Chaldæo. Textus Samaritanus pro ער *Ar*, mendosè legit עיר *Ir. Urbem.*

CAPUT XXVIII. XXXIII.

℣. 15. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum.* Maluissem pro *In* positum fuisse *Insuper*, præpositâ interpunctione; nam sensus est, quòd præter hircum in Kalendis pro peccatis offerendum, *Insuper* tunc offerri debebat *Holocaustum perpetuum*, hoc est Juge sacrificium. Istud omnes alii textus innuunt. Vide dicta libro præcedenti.

XXXIII. 3. *Profecti.... quintadecimâ die mensis primi, alterâ die Phase.* Superfluit obestque sensui, inquit Lucas Brugensis, Verbum *Fecerunt*, quod multi Codices (etiam Sixti V.) addunt: *Fecerunt alterâ die Phase.* Etenim Hebræa, Chaldæa, Græca omittunt *Fecerunt.*

℣. 40. *Audivitque Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israël.* Istud *In terram* videtur Vulgata referre ad filios Israël, quos Rex Arad audiverit versùs Chananæam venire; sed Hebræus textus refert ad habitationem regis Arad, ita enim habet: *Et audivit Chananæus Rex Arad, & ipse habitans in meridie in terra Chanaan, cùm venirent filii Israël.* Eundem sensum clarè exprimunt LXX. *Et audiens Chananæus Rex Arad, & ipse habitabat in terra Chanaan, quando adveniebant filii Israël*; seu *Cùm ingrederentur* &c. Igitur congruentiùs in Vulgata poneretur ante *Venisse* illa interpunctio, quæ est post *Meridiem*, & pro *Terram* scriberetur *Terra*, hoc modo: *Qui habitabat ad meridiem in terra Chanaan, venisse filios Israël.* Estque ita in nova Editione Hieronymi.

DEUTERONOMIUM.

CAPUT IV. IX. XV.

CAp. IV. 33. *Sicut tu audisti, & vixisti.* Huic lectioni adstipulantur omnes alii textus Hebræus, Chaldæus, Græcus, &c. Meritò proinde correctum est, quod passim antea legebatur, eratque etiam in Bibliis Sixti V. *Sicut tu audisti, & vidisti.*

℣. 35. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Ita etiam Biblia Sixti V. Porrò sic legendum est, non: *Præter unum*, quod multi antiqui Vulgatæ libri habent; siquidem & ita est in græco, & in hebræo מלבדו *Millebaddo*, quod optimè transferas: *Præter ipsum solum.*

IX. 2. *Quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.* Pro commate, quod habetur ante *Quibus nullus*, mallem poni duo puncta, nam ista: *Quibus* &c. sunt illa ipsa verba,

quæ Hebræi de Gigantibus Enakim ab exploratoribus dici audiverant, ùt constat ex hebræo, in quo est: *Filios Enakim, quos tu nosti, & tu audisti: Quis stabit contra filios Enak?* Vide, quæ circa hunc locum notavimus Libro I.

XV. 10. *In omni tempore.* Hebræa, Samaritana, Chaldæa, Syra, Arabica, Græca habent: *In omni opere tuo*, qualiter etiam est in Bibliis Latinis Regiis.

CAPUT XVII. XXV.

XVII. 8. *Inter... lepram, & lepram.* Sic est in hebræo, græco, aliisque textibus sine negatione interposita, cum qua legunt Biblia Sixti V. Lovaniensium, & alii passim antiqui codices: *Inter lepram, & non lepram.*

℣. 12. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Illud: *Et decreto judicis*, est explicativum primæ partis; idem enim erat Judex ille controversiarum, cujus decreto acquiescendum erat, & obediendum, qui Sacerdos summus imperans, quod patet ex II. Paral. XIX. 10. 11. Caïphâ Joan. XI. 50. Ananiâ Act. XXIII. &c.

Unde pro *Et*, quod habet textus Samaritanus, Hebræus habet אוֹ *O. Vel*, prout etiam Græcus ἢ. Porrò minùs genuina est lectio Lovaniensium, pluriumque aliorum, etiam Sixti V. *Ex decreto judicis.* Quod clariùs patet ex Hebræo: *Nolens obedire Sacerdotis imperio... vel decreto judicis, & morietur vir ille.*

XXV. 7. *Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui.* Hæc est genuina lectio, utpote correspondens hebræo שֵׁם *Sem. Nomen.* Item græco ὄνομα, Chaldæo, Arab. Syro, Samaritano, variisque Latinis; quamvis plerique Vulgatæ libri, habeant cum Sixti V. *Semen.*

CAPUT XXVI. XXVII.

XXVI. 10. *Et adorato Domino Deo tuo. Et epulaberis in omnibus bonis.* Notat quidem hîc Franciscus Lucas: *Non est omittenda ea, quæ præmittitur* (voci *Epulaberis*) *conjunctio Et.* Sed, salvo meliori judicio, mihi omninò videtur ea superfluere, si retineatur lectio versûs decimi: *Et adorato Domino Deo tuo.*

Patet enim ad oculum expendenti verba, congruentiùs tunc omitti, prout omittunt Biblia Lovaniensium, & pleraque alia, signanter exemplar Vaticanum Sixti V. & Editio nova operum S. Hieronymi. Aut certè si retinere velis illam conjunctionem *Et*, eo quòd reperiatur in Græco, & Hebræo, tunc præstaret pro *Et adorato Domino Deo tuo*, legere: *Et adorato Dominum Deum tuum*; ita ut istud *Adorato* sumatur tamquam verbum Imperativum, non autem tamquam Participium passivum in ablativo absoluto, qualiter necesse est ut accipiatur in lectione moderna Vulgatæ nostræ: *Adorato Domino Deo tuo.*

Si autem ita, sicut suggessi, poneretur in Accusativo: *Adorato Dominum Deum tuum*, tunc omnis difficultas, & incongruitas cessaret, essetque lectio conformis Hebræo, & Græco, in quibus

bus est: *Et adorabis Dominum Deum tuum, & epulaberis* &c.

℣. 13. *Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo, & viduæ.* Adulterinum est, inquit Franciscus Lucas, quod Alii legunt (signanter Lovanienses sine ulla nota variæ lectionis) *Attuli*, q. d. Se huc è domo sua adferre; cùm è contrariò, negans se domui suæ retinuisse ad privatos usus, profiteatur se distribuisse egenis. Genuina igitur lectio est *Abstuli*, quæ etiam est consentanea hebræo, chaldæo, græco &c.

XXVII. 12. *Hi stabunt ad benedicendum populo.* Lovanienses pro *Populo*, legentes *Domino*, tantùm notant unum manuscriptum legere *Populo*; nihilominùs istam lectionem meritò prælegerunt Sixtus V. & Clemens VIII. in Bibliis correctis, quia non *Domino*, sed *Populo*, constanter est in Hebræo, Chaldæo, Græco, Samaritano, Syro, Arabico.

CAPUT XXIX.

℣. 19. *Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei: & absumat ebria sitientem.* Plurimi Vulgatæ libri, signanter Vaticanus Sixti V. pro *Absumat* legunt *Assumat*. Sic etiam Biblia Lovaniensium, & editio nova operum Hieronymi, in quibus apponitur hæc nota: *Ita* (Assumat) *Hebr. ac manuscripti omnes, quibus concinunt Syr. Chald. Arabs cum Versione Samaritana. Sensus obscurior est in editis* (Vulgatæ libris) *ex mutatione unius litterulæ, S nempè in B Absumat.*

In Hebræo est למען ספות *Lemaan sephoth*. Quæ verba verè utramque lectionem admittunt, nempè modernam Vulgatæ, & antiquam Sixti V. Aliorumque à verbo ספה *Sapha*, quod & *Absumere* significat, & *Addere*.

Sensus equidem utriusque lectionis idem est: Nempè inde futurum, ut ebrius iniquitate, vel ipse, quasi hydropicus tantò magìs sitiat, quantò plùs bibit iniquitatem, vel ipse pravo suo exemplo, & consilio trahat ad se suique sequelam, atque ruinam hominem innocentem, in quo nulla priùs erat aqua iniquitatis. Hinc LXX. ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον. *Ut non consumat* (seu *Ne simul perdat*) *peccator innocentem.* Syrus tamen habet: *Addatque ebrietatem ad sitim.* Chaldæus verò: *Ut addantur ei peccata ignorantiæ peccatis superbiæ.* Arabicus sumit quasi verbum ipsius impii: *Ut traham cum ebria sitientem.*

℣. 23. *Sulphure & salis ardore comburens.* Ex adjunctâ voce *Ardore*, atque affinitate vocis *Solis*, inoleverat in omnibus penè Latinis libris notabile mendum, quod etiam in Commentariis suis secutus est Jansenius Iprensis; nempè: *Solis ardore*: Hoc autem consultò sublatum est in Bibliis Sixti V. & Clementis VIII. cùm in hebræo sit מלח *Melach. Salis*, non שמש *Schemes. Solis*. Etiam *Salis* habent Samarit. Chald. Græc. Arab. Syr. *Sale*, quasi exusta humus sterilescit, hinc Psal. CVI. 34. *Terram fructiferam in salsuginem.*

CAP. XXXI. XXXII. XXXIII.

XXXI. 23. *Præcepitque Dominus Josuë filio Nun, & ait.* In Editione quidem nova Hieronymi, multisque aliis Latinis, prout etiam in omnibus Hebræis, Chaldæis, Samar. Arab. Syris, ac Græcis quibusdam, omittitur ly *Dominus*; Imò Græca Basiliensia habent expressè: *Præcepit Moyses.* Atque adeò posset videri istud *Præcepit* ad Moysen referendum esse, maximè cùm præcedentia ipsum spectent.

Attamen non de Moyse intelligendum esse, sed de præcepto Domini ad Josuë, verosimiliter tamen per Moysen intimato, patet ex sequentibus: *Tu enim introduces filios Israël in terram, quam pollicitus sum, & ego ero tecum.* Quæ verba non possunt verificari de Moyse, sed de Domino Deo. Eodem modo habetur in Hebræo: *Quam juravi eis, & ego ero tecum.* Interpretes LXX. quia præceptum hoc ad Moysen loquentem retulerunt, ideò etiam hæc ultima mutarunt in tertiam personam: *Quam juravit Dominus eis, & ipse erit tecum.*

XXXII. 5. *Peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus.* Syrus textus solus habet *Et*: plures autem antiqui libri Latini cum Rhabano, & nova Editione Hieronymi, prout etiam Hebr. Chald. Græc. omittunt *Et*; Sensus autem in idem redit; nempè Israëlitas peccando per Idololatriam, factos, aut reputatos esse *Non-filios Dei*, utpote degeneres.

XXXIII. 19. *Qui inundationem maris quasi lac sugent.* In solo Syro textu sunt ista: *Quasi lac*, non autem in Hebræo, Chaldæo, Græco, sed equidem insinuantur per verbum *Sugent.*

ỷ. 27. *Dicetque: Conterere.* Ita expressè habetur in græco Ἀπόλοιο *Disperdere*, *Esto disperditus*, potestque sic etiam passivè sumi Hebræum השמד si legas iisdem litteris, hoc modo punctatis הִשָּׁמֵד *Hosmed. Fias contritus, Perdaris*, *Conterere.* Quamvis nunc à Rabbinis uno puncto mutato sit activum הַשְׁמֵד *Hasmed. Contere, Perde.* Tunc erit verbum Dei ad populum Israël.

JOSUË.

CAPUT I. III. V.

Antiquiores Vulgatæ libri, prout etiam Sixti V. legunt Cap. I. 6. *Patribus tuis*; sed congruè restitutum est in Clementinis: *Patribus suis*, qualiter est in Hebræo לאבתם *Laabotham. Patribus eorum*, sive *suis.* Ita etiam Chald: & Græc.

III. 17. *Populus incedebat contra Jericho.* Lyranus, Lovanienses, Vaticanum exemplar Sixti V. & plerique alii antiquiores Vulgatæ libri habent: *Contra Jordanem*, quod meritò correctum, quandoquidem in Græco, Chaldæo, Hebræo sit יריחו *Jericho*, non ירדן *Jordan.* Neque populus *Contra*, sed *per Jordanem* transibat, & ibat *contra Jericho.*

V. 6. *Ut non ostenderet eis terram.* Ita benè correctum est in Sixti V. ac Clem.

Clem. VIII. ex Hebræo & Græco, atque ex circumſtantiis textûs, & hiſtoriæ, cùm antea Latini libri fermè omnes mendosè omitterent *Non.*

CAPUT VI. VIII. IX.

VI. 4. *Septimo autem die ſacerdotes tollant* (ſive *tollent*, ùt eſt in Sixti V.) *ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in jubilæo, & præcedant arcam fœderis.* Iſtud: *Septimo autem die*, videtur in Vulgata loco dimotum; nam initio verſûs illud in Hebræo, aut Græco non eſt: patet inſuper ex noſtro textu ℣. 8. 9. 13. Sacerdotes buccinaſſe etiam aliis ſex diebus; congruentiùs proinde illa: *Septimo autem die*, collocarentur poſt iſta: *Arcam fœderis*; ita enim habet veritas hiſtoriæ; Hebræus autem textus hoc modo: *Et ſeptem Sacerdotes tollent ſeptem tubas jubilæi ante arcam, & die ſeptimo circuibitis civitatem ſeptem vicibus.*

Lovanienſes ad marginem Bibliorum ſuorum notant tantùm unum manuſcriptum, quod legat ſicut ex correctione Sixti V. & Clementis VIII. modo legitur Cap. VIII. 12. *Inter Bethel, & Hai*, quomodò tamen eſſe legendum, conſtat ex tota hiſtoria hoc capite relata, itemque ex Hebræo, & Chaldæo, in quibus eſt בית־אל *Bethel*, non בית־און *Bethaven*, quod per mendum irrepſerat in quampluri-mis Latinis, & aliquibus Græcis.

IX. 6. *Reſponderuntque viri Iſraël ad eos.* Forſitan *Eos* ſenſim irrepſit in libros Latinos (abſque tamen mutatione ſenſûs) pro eo, quod Hieronymus tranſtulerat: *Hevæos*, ùt expreſsè habetur in Hebræo, Chaldæo, Græco, quo nomine Gentilitio ſimul indicatur, quales iſti Gabaonitæ fuerint.

CAPUT XI. XII.

Cap. XI. 19. Magna eſt lectionis varietas. Vulgata modo habet: *Non fuit civitas, quæ ſe traderet filiis Iſraël, præter Hevæum.* Hæc porrò lectio præferenda eſt ceteris, de quibus ſtatim, quia & hanc contextus ſequens confirmat; nempè nullam urbem feciſſe deditionem præter Gabaonitarum, reliquas omnes obſtinatas, *bello captas*, & exciſas fuiſſe. Eſt etiam conformis Hebræo textui, qui habet: *Non fuit civitas, quæ pacem fecit cum filiis Iſraël, præter Hevæum.* Ita etiam Chaldæus.

Mendoſum proinde eſt, quod paſſim antea erat in Vulgata, etiam Sixti V. *Non fuit civitas, quæ ſe non traderet filiis Iſraël præter Hevæum.* Quæ lectio in rigore falſa videtur.

Biblia LXX. Sixtina habent: *Non fuit civitas, quam non cepit Iſraël* &c. Nempè bello, nullâ ſe tradente, præter urbes quinque Gabaonitarum. Unde hic ſenſus convenit cum Vulgata moderna. LXX. Baſilienſia habent: *Non fuit civitas, quæ non traderet filiis Iſraël.* Franciſcus Lucas dicit aliqua græca habere: *Non fuit civitas, quam non tradidit filiis Iſraël*, nempè Joſuë, aut Deus.

XII. 3. *Quæ ſubjacet Aſedoth, Phaſga.* Interpunctionem mediam inter *Aſedoth* & *Phaſga*, puto ſuperfluere. Vide Cap. ſeq. ℣. 20.

CAPUT XIII.

ỳ. 2. *Omnis Galilæa, Philisthiim.* Nulla erat Galilæa Philisthinorum; unde Bonfrerius sibi persuadere nequit ita transtulisse S. Hieronymum, præsertim ex eo, quòd licèt post *Galilæa* cum correcta Vulgata ponatur interpunctio, ut duæ diversæ regiones sint *Galilæa*, & *Philisthiim* terra, seu Palestina, ne vel sic verum esse videatur: patet enim ex Cap. XI. & XII. magnam saltem utriusque Galilææ partem antehac subactam ab Hebræis fuisse, nempè *Asor*, *Cedes*, *Semeron*, &c.

Tum (quod præcipuum est) quòd omnes alii textus hîc de *Galilæa* altum sileant; sed habeant *Limites*, vel *fines*, sive *Terminos Philisthiim*, ùt græcus ὅρια φυλιςιεὶμ. Hebræus כל־גלילות הפלשתים *Col-geliloth Hap-Pelisthim. Omnia littora* (vel *limites*) *Philisthinorum.*

Unde videtur marginalis aliqua nota in textum irrepsisse, vel (quod verosimiliùs habeo) sicuti S. Hieronymus materialem vocem *Asedoth* aliquoties in hoc libro retinuit, ùt dicemus ad ỳ. 20. Sic etiam hîc fortè vocem *Gelila*, vel *Geliloth* transcripserit in versione sua, ex qua per indoctos Amanuenses propter vocum similitunem factum sit *Galilæa*.

Hoc ulterius suadetur ex eo, quòd alibi nusquam pro *Galilæa* sit scriptum in plurali, sicut hîc est in Hebræo *Geliloth*, nec umquam in Latino *Galilæas*. Denique hebr. vox פלשתים *Pelisthim*, nusquam pro Regione aliqua sumitur, sed tantùm pro hominibus, seu Gente, cujus terra scribitur in hebræo פלשת *Pelescheth*, hoc est *Philisthæa.*

ỳ. 20. *Bethphogor & Asedoth, Phasga & Bethjesimoth.* Cum Bonfrerio, Masio, aliisque puto hîc superfluere interpunctionem, positam inter *Asedoth* & *Phasga*, nam *Asedoth-Phasga* urbs particularis una erat, vel potiùs irrigua vallis ad radices montis *Phasga*. Meritò proinde per lineam connectentem hæ duæ voces impressæ sunt in nova Editione Hieronymi hoc modo: *Asedoth-Phasga.*

Suadetur hoc quod dixi, ex Cap. XII. 3. ubi quidem etiam intermedium comma superfluit, sed tamen clariùs patet ex contextu, agi de eodem loco: *Quæ subjacet Asedoth Phasga.* Manifestiùs autem colligitur ex Cap. X. 40. *Percussit Josuë omnem terram montanam & meridianam, atque campestrem, & Asedoth cum regibus suis.* Ubi terram *Asedoth* distinguit contra *montanam*, & *meridianam*, seu aridam, atque *campestrem*, significat enim אשדות *Asedoth. Declivem*, ad quam aquæ confluunt, ab אשד *Esched*, seu *Asod. Declive, Profluvium, Effusio.* Hinc etiam inter Reges à Josue devictos nullus recensetur *Rex Asedoth.*

ỳ. 21. *Hevæum, & Recem, & Sur, & Hur.* Mallem scribi *Evæum* propter rationes hoc loco allegatas libro præcedenti, quibus addo in Editione nova Hieronymi esse: *Evi.*

CAPUT XVI.

ỳ. 2. *Egredietur de Bethel Luza.* Codices

dices Interpretum LXX. Basilienses non malè habent ἀπὸ Βαιθὴλ εἰς Λουζά. *De Bethel in*, sive *ad Luza*, prout etiam est in Hebræo, sicut ostendi libro præcedenti; quapropter mallem in Vulgata retentam fuisse lectionem Lovaniensium, quæ etiam est Exemplaris Vaticani Sixti V. *De Bethel Luzam*; aut etiam interjecto commate, ùt est in Editione Nova Hieronymi: *De Bethel, Luzam*, vel *In Luzam*. In moderna nostra Vulgata vox *Luza* sumitur tamquam indeclinabilis, sed in vim casûs Accusativi.

Erat quidem *Luz*, sive *Luza* civitas, etiam vocata *Bethel*, ùt constat ex Gen. XXVIII. 19. Gen. XXXV. 6. Jos. XVIII. 3. Judic. I. 23. Hoc tamen, quem tractamus, loco, seu Jos. XVI. 2. non ipsa urbs *Luz*, seu *Luza* videtur vocari *Bethel*, sed mons urbi vicinus, in quò Jacob dormiens vidit scalam ad cœlum pertingentem. Nota illud: *Ad montem Bethel, & egreditur de Bethel* monte, in urbem vicinam *Luzam*. Illudque *Montem* in hebræo non regit Genitivum; nam est cum puncto *Camets*, non cum *Patach* בהר בית־אל *Bahar Bethel. In montem*, *qui* *est* *Bethel*.

Eodem versu: *Transitque terminum Archi, Ataroth.* Probavimus libro præcedenti, scribendum fuisse unâ voce compositâ *Archi-Ataroth*, sicut est in Editione nova Hieronymi; mediumque comma superfluit.

℣. 8. *Egressus*, sive fines *ejus in mare salsissimum*. Puto cum Interpretibus recentioribus passim omnibus, istud *Salsissimum* per insigne mendum irrepsisse in nostram Vulgatam, neque habetur in Hebræo, Græco, Chaldæo, atque insuper totaliter sensum perturbat, falsumque generare natum est; nam istud *Salsissimum*, seu *Salis* Epitheton est maris mortui, ùt patet ex Gen. XIV. 3. Num. XXXIV. 3. 12. Deuter. III. 17. Jos. XII. 3. XV. 2. 5. XVIII. 19.

Hìc autem non intelligi mare mortuum, sed Mediterraneum, patet tum ex eo, quòd hoc semper intelligatur, quotiescumque sine aliquo addito in Scriptura dicitur *Mare*, prout diximus nihil hìc addi in Hebræo, Chaldæo, Græco. Tum quòd termini, seu limites Tribus Ephraïm, etiam Orientales, & Australes, procul à mari mortuo, seu salsissimo essent remoti, utpote totâ latitudine, & termino orientali Tribus Benjamin interpositis. Hìc autem dicuntur Termini illi, seu *Egressus*, hoc est limites, intellige occidentales, esse, seu finiri, & decurrere *In mare*, utique Occidentale, seu Mediterraneum.

Hoc mendum non advertentes Adrichomius, Tirinus, & aliqui alii *Taphuam*, & *Vallem Arundineti*, de quibus hoc versu, malè collocant ad Orientem propè Jordanem, cùm potiùs debeant collocari propè mare Mediterraneum ad Occidentem.

CAPUT XXI.

Versu 21. *De Tribu Ephraïm urbes confugii, Sichem* &c. ℣. 27. *Confugii civitates, Gaulon* &c. ℣. 32. *Civitates confugii, Cedes* &c. ℣. 36. *Civitates refugii, Bosor* &c. ℣. 37. *Civitates confugii, Rameth*

moth &c. Ad ista sic reflectit Franciscus Lucas Brugensis in suis Notationibus: *Versu vigesimo primo novemdecim ex manuscriptis nostris: Urbs confugii Sichem, scribunt. Versu vigesimo septimo, novemdecim: Confugii civitatem Gaulon. Versu 32. Viginti quinque: Civitatem confugii Cedes. Versu 37. Quatuor: Civitatem confugii Ramoth. Omnibus his locis Alphonsus Tostatus singularem legit numerum.*

Ego autem noto, quòd omninò præstaret, ut ita singulari numero, & sublatâ interpunctione post vocem *Confugii*, esset in omnibus Latinis, prout rectè positum est, etiam in Vulgata moderna, ỷ. 13. *Hebron confugii civitatem.*

Ratio est, quòd illud *Confugii*, seu *Refugii* afficiat solam immediatè sequentem urbem, non reliquas, illis versibus respectivè enumeratas, prout demonstravi libro præcedenti.

Deinde ita in singulari numero constanter legitur in Hebræo, & Chaldæo עִיר *Ir*, *Urbs*, non עָרִים *Arim*, aut עָרֵי *Are*, *Urbes*, prout etiam in plerisque Græcis habetur singulare πόλιν, *Urbem*, nisi quod ỷ. 27. πόλεις, ubi mendum esse videtur.

Particulariter autem ỷ. 27. *Confugii civitates, Gaulon*, necessarium est legere *Civitatem*, prout legitur etiam in nova editione Hieronymi; quia falsum est, alias urbes ibidem præter *Gaulon* sequentes, fuisse *confugii civitates*, sed talis fuit sola *Gaulon*. Vel certè verba sunt transponenda, sicut in aliis versibus hoc modo: *Civitates confugii*. Ut tum hoc versu, tum reliquis supra adductis, sit hic sensus: Dedit civitates mox sequentes, confugii quidem hanc, v. g. *Sichem*, deinde & reliquas, non quidem ut essent urbes refugii, seu confugii, sed ut essent Leviticæ ad inhabitandum.

Nota proinde in omnibus his versibus interpunctionem malè collocatam esse post vocem *Confugii*, deberetque ibidem submoveri, & poni ante vocem illam, quod si fieret, posset retineri pluralis ille *Urbes*, seu *Civitates*, hoc modo: Dedit *urbes, confugii Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer, & Cibsaim, & Beth-horon.* Tunc enim commodè posset istud *Confugii* afficere solam *Sichem*, prout reverà hanc solam afficit, non alias sequentes. Vide dicta Libro I.

ỷ. 36. *De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor & Jaser, & Jethson & Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis.* Versum hunc totum omittunt varia exemplaria Hebræa, & Chaldæa, signanter Veneta Bomberghiana primæ editionis; sed alia tum Hebræa, tum Chaldæa illum habent, idque meritò, cùm sit in omnibus Græcis, & Latinis, atque etiam in Syris, & Arabicis: neque verosimile est urbes ex Tribu Ruben Levitis datas, non esse hoc capite tam benè recensitas, quàm recensentur civitates illæ, quas ex aliis Tribubus acceperunt.

Utique etiam illas recensitas esse necessarium est, ut hîc verificetur versus 39. quem etiam ista mutila Hebræa habent, nempè hunc: *Itaque civitates uni-*

univerſæ Levitarum...fuerunt quadraginta octo. Quot certè non exurgent, niſi hæ de Tribu Ruben connumerentur.

Porrò, ùt ſtatim diximus, comma iſtud ante vocem *Boſor*, ibidem congruentiùs ſublatum, collocaretur ante vocem *Refugii*. Præter iſtud, aliud in hoc verſu comma ſuperfluit, nimirum illud, quod collocatum eſt ante vocem *Miſor*, pro quo nota:

Videntur hoc verſu referri quinque civitatum nomina: *Boſor*, *Miſor*, *Jaſer*, *Jethſon*, *Mephaath*; cùm tamen mox in harum civitatum ſumma, quæ colligitur, dicantur eſſe *Civitates quatuor*. Quin imò ſi in hac Tribu plures quàm *quatuor* fuerint civitates Leviticæ, non tantùm non ſtabit iſte civitatum *quatuor* ex Tribu Ruben numerus, ſed nec ſtabit numerus *Duodecim* civitatum, qui obvenit filiis Merari Levitis, aſſignatus tum ℣. 7. tum ℣. 38. Sed erunt urbes eorum *Tredecim*.

Denique non conſtabit numerus univerſim *Quadraginta octo* civitatum Leviticarum, qui aſſignatur hoc Capite ℣. 39. itemque Numer. XXXV. 6. & 7. Uno enim auctiores exurgent hæ ſummæ, nempè *Quadraginta novem*. At verò ſi in unam conferantur quatuor ſummæ urbium, quæ in hoc capite colliguntur, nimirum 13. 10. 13. 12. Perfectè conficiunt hunc numerum civitatum 48.

Ad hanc difficultatem reſpondeo, non eſſe hìc connumerandum *Miſor*, neque hoc civitatis nomen eſſe; ſed vel proprium nomen illius ſolitudinis, in quâ ſita erat *Boſor*, vel potiùs nomen appellativum, ùt ſtatim probabo, atque adeò eſſe cum ea, quæ præcedit voce: *In ſolitudine*, ſic conjungendum, ut commate non dividantur, ita ergo legendum: *Boſor in ſolitudine Miſor, & Jaſer, & Jethſon, & Mephaath*. Quòd ſi hoc modo legatur, erunt in Tribu Ruben tantùm 4. urbes Leviticæ, nempè: *Boſor*, *Jaſer*, *Jethſon*, *Mephaath*. Unde Franciſcus Lucas in ſuis Notationibus: *Non ante, ſed poſt Miſor, diſtinctio collocanda eſt, ùt rectè quidam libri collocant*.

Porrò ſi appellativè ſumatur vox מישר *Miſor*, ſignificat Hebraïcè *Planitiem*, ſive *Campeſtrem* locum, ut proinde *Solitudo Miſor*, idem ſit, quod *Solitudo planitiei*, ſeu *Solitudo plana*, & *campeſtris*.

Ita autem hoc loco illam ſumi, ſeu vocem *Miſor* hìc afficere præcedentem vocem *Solitudo*, manifeſtè colligi poteſt ex aliis Scripturæ locis, in quibus de eadem urbe *Boſor* ſermo eſt. Siquidem de ea dicitur in noſtra Vulgata Deut. IV. 43. *Boſor in ſolitudine, quæ ſita eſt in terra campeſtri*. LXX. *Boſor in eremo in terra campeſtri*, pro quibus eſt in Hebræo: בצר במדבר בארץ המישר *Boſor bammidbar beerets hammiſor*. *Boſor in deſerto in terra miſor*, quo loco, ùt ex Vulgata, & Græco patet, *Terra miſor* eſt *terra campeſtris*, & *plana*, in qua ſita eſt urbs *Boſor*.

Similiter Joſuë XX. 8. in Vulgata referuntur Iſraëlitæ in civitatem refugii ſtatuiſſe *Boſor*, *quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine*. LXX. *Boſor in eremo in campo*, pro quibus iterum eſt in Hebræo:

Bosor bammidbar bam-misor. Bosor in deserto in misor.

Patet ulterius ex III. Reg. xx. 23. Ubi milites Regis Syriæ dixisse referuntur: *Dii montium sunt Dii eorum, ideò superaverunt nos, sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Ubi pro *In Campestribus*, sive, ùt LXX. verterunt κατ' εὐθὺ. *In plano*, est in Hebræo במישור *Bammisor. In misor*. Idem est Jer. XLVIII. 21.

Ex quibus omnibus apertè constat *Misor* non esse urbis nomen, sed vocem appellativam, & significare *Regionem planam*, seu *campestrem*. Ac proinde ita etiam sumi debere, hoc quem tractamus loco; imò præstitisse ut etiam hîc in Vulgata fuisset translatum: *Bosor in solitudine campestri*, conformiter ad Deuter. IV. 43. & Jos. xx. 8. Denique testatur Franciscus Lucas aliquos Vulgatæ libros hoc loco simpliciter omittere vocem *Misor*.

CAPUT XXII. XXIV.

XXII. 10. *Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare.* Notat Franciscus Lucas, quædam manuscripta Latina rectiùs legere: *In terra Chanaan*, qualiter etiam legit Editio nova Hieronymi.

Non enim venerant tunc Rubenitæ cum sociis *In terram Chanaan*, in qua utique & ipsi antea erant, eratque locus iste, ùt patet ex ℣. 11. Sed venerant ad *Tumulos Jordanis* existentes in eadem terra Chanaan, in qua hactenus multis annis fuerant, & nondum exierant, dum altare illud fabricabant. Etiam Hebræa habent: *Venerunt ad limites Jordanis, qui sunt in terra Chanaan*, quomodò pariter LXX.

℣. 32. *De terra Galaad finium Chanaan.* Si ita legas, explicare debes, q. d. De terra Galaad, quæ est in finibus terræ Chanaan. Sed valdè miror non animadvertisse Lucam Brugensem, hîc non esse *Finium Chanaan* in Bibliis Latinis Regiis, neque in Hebræo, Chaldæo, Græco; sed clarissimo sensu & verbis: *De terra Galaad ad terram Chanaan.*

XXIV. 27. *En lapis iste erit vobis in testimonium, quòd audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis.* Ad *Lapidem* pariter referunt varia antiqua Latina, sicut & Hebræa, & Græca, non verò ad Populum, ad quem referunt aliqui, cum Bibliis Sixti V. minùs rectè legentes: *Audieritis*, pro *Audierit.* Porrò *Lapis* dicitur *Audire* per Metaphoram, sicuti Christus dicit Luc. XIX. 40. *Lapides clamabunt.* Item Habac. II. 11. *Lapis de pariete clamabit, & lignum quòd inter juncturas ædificiorum est, respondebit.*

JUDICUM.

CAPUT I.

CAp. I. 9. *In montanis, & ad meridiem, & in campestribus.* Sic Vaticana Clem. VIII. & omnia de post exemplaria Vulgatæ. Ita etiam expressè habetur tum in hebræo, tum in græco, tum in variis antiquis Latinis, signanter in vetusto manuscripto no-

stræ

stræ Bibliothecæ Lovaniensis, atque adeò designantur hîc tria loca *Montana*, *Meridionalia*, *Campestria*, seu plana; cùm Biblia Sixti V. ac Lovaniensium (quia omittunt tum secundam copulam *Et*, tum interpunctionem ante illam) tantùm enumerent duo: *In montanis*, *& ad meridiem in campestribus*.

℣. 18. *Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, & Ascalonem, atque Accaron.* Ita etiam Hebræa, & LXX. tum Complutensia, tum Basiliensia; Romana tamen legunt contrario sensu: *Et non possedit Judas* &c. Unde has urbes excipiunt, quod mendum antiquum esse patet ex S. Augustino, & Procopio Gazæo, etiam cum negatione legentibus; quamvis & ista lectio verum sensum habeat; siquidem Israëlitæ temporibus Judicum non *Possederunt* Satrapias Philistinorum, ùt constat ex Judic. III. 3. Josuë XIII. 3. nisi fortè his duobus locis loquatur Scriptura de Temporibus Josuë, post cujus mortem Hebræi terram Philistinorum subjugarint, ùt hîc dicitur; sed equidem parvo tempore obtinuerunt, ùt ex toto decursu libri Judicum, & I. Regum constat, Philisthæis devictis, mox primas sedes dominiumque recuperantibus.

℣. 35. *Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo.* Antiqui libri passim, prout & Sixti V. legunt: *Testatio* nomen verbale à *Testor*, pro *Testaceo* nomen adjectivum à *Testa*. At in Hebræo nulla fit mentio *Testimonii*, sed tantùm habetur *In monte* חרס *Hhares*, significat autem *Hhares*, *Testam*; unde illud hebræum verbum explicando, Hieronymus de suo benè addidit: *Quod interpretatur*: *Testaceo.* Similiter LXX. Sixtina: *In monte*, ὀστρακώδει, *Testaceo*, est enim græcè ὄστρακον, *Testa*. Antiquum mendum retentum est in Bibliis Flandricis Lovaniensium etiam recentioribus: *Welck te seggen is een getuygenis.* & Gall. *Testation.*

CAPUT III. VII. IX.

III. 7. *Servientes Baalim & Astaroth.* Optimè sensum exprimit hæc Vulgatæ lectio, estque conformis aliquibus Chaldæis libris, & textui Syro: eratque *Astaroth* generale nomen Idolorum femineorum, sicuti *Baalim* masculorum: Si tamen rigorem litteræ spectemus, Hebræa, Græca, & pleraque Chaldæa habent אשרות *Ascheroth*, quæ vox significat *Lucos*, in quibus exercebant obscœnam libidinem in honorem *Astaroth*, seu *Astarthe*, nempè *Veneris*.

VII. 23. *Fugientes usque ad Bethsetta.* Ita legendum esse constat ex Græco, Chaldæo, Hebræo בית־השטה *Beth-has-Seta*, non *Bethseca*, ùt plurimi antiqui libri, & cum illis Sixti V. Erat enim *Bethseca* locus à *Bethsetta* multùm distinctus.

IX. 19. Quòd Vaticana Clem. VIII. & pleraque Recentiora habeant *Latamini*, non correspondet præcisè hebræo imperativo שמחו *Simchu*, sed exactius est, quod legitur in Vaticano Sixti V. In editione nova Hieronymi, & multis aliis Vulgatæ libris *Latemini*.

CAPUT XI. XII. XV.

XI. 26. *Vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem.* Etiam Græca habent *Jordanem*; sed Hebræa, & Chaldæa: ארנון *Arnon*, qui fluvius est alius istius terræ trans-Jordaninæ, pariterque terminus regni Sehon. Utrovis modo legas, verum est.

XII. 1. *Igitur incendemus domum tuam.* Aliqui Latini libri (signanter nova Editio Hieronymi) habent: *Incendemus te, & domum tuam*, qualiter etiam esse in Hebræo, Chaldæo, Græco notant ad marginem Bibliorum suorum Theologi Lovanienses; sed salvâ eorum veniâ, dico in Hebr. Chald. Græc. non esse *Te*, sed עליך *Alecha*, ἐπὶ σε. *Incendemus domum tuam* SUPER TE: prout Flandricè diceremus: *Wy sullen uw huys boven uw hooft afbranden.*

XV. 14. *Sicut solent ad odorem ignis lina consumi.* Stupa linea, ubi tantummodò (ùt loquimur) olfecerit ignem, statim consumitur. Ita nullo quasi negotio Samson fortissima vincula disrupit. Cap. seq. ℣. 9. etiam in Hebræo fit mentio *Odoris ignis*; unde suadetur *Odorem* potiùs legendum, quàm *Ardorem*, quod varii libri Latini habent. Græci codices quoad hoc variant. Hebræi abstrahunt, in illis enim est: *Tamquam lina quæ consumpta sunt igne.*

Porrò *Lina* debent legi, non *Ligna*, nam Hebræa, Chaldæa, Græca habent *Lina*, neque in illis textibus est ista vocum *Lina*, & *Ligna* similitudo, ex qua mendum hoc irrepsisse videtur in multos codices Latinos, & Sixti V.

CAPUT XVI. XVIII.

XVI. 9. Samson *Rupit vincula, quomodò si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine.* Hoc est: De rejectitia vilique, ac fragiliori stuppa. Præstat ita legere, quàm cum paucis: *De stupa tortum putamine*, sive ùt aliqui cum Sixti V. *De stupa tortum sputamine.* In Hebræo tantùm est: *Pethil hanneoreth. Filum stuppæ*: unde legit Aliquis: *De stupa tortum stamine.*

Sequitur immediatè: *Cum odorem ignis acceperit.* Hîc magìs cavendum, ne cum aliquibus legas *Ardorem*: nam in Hebræo est בהריחו אש *Baharicho es.* In Græco ἐν τῷ ὀσφρανθῆναι αὐτὸ πυρός. In utroque verbotenus: *In olfaciendo illud ignem*, seu *Cùm olfecerit ignem.*

XVIII. Quod ℣. 30. Vulgata Levitam istum Idololatram dicat *Filium Gersam filii Moysi*, omninò genuinum est, ac conforme Syro, Arabico, & Chaldæis aliquibus; etsi Græci libri plerique, cum aliquibus Chaldæis habeant *Manasse*, non *Moysi*, ex quadam Rabbinica corruptione textûs hebræi, in quo pro nomine *Moysi* משה substituunt nomen מנשה *Manaße*, litterâ unâ נ *N* interpositâ, sed ita, sicut depinxi, elevatiùs positâ, idque verosimiliter, ut ipso situ litteræ istius, notarent illam esse adjectitiam.

Fatentur Rabbini *Moysen* hîc indicari, sed appositione istius litteræ נ *Nun N* nomen Moysis occultari, ne qua sanctissimo viro à tam impio nepote adhæreat infamia. Nomen autem

tem מנשה *Manaſſe* de induſtria ſubſtitutum dicunt, tum quòd ſic in aliud notum nomen facillimè potuerit mutari nomen משה *Moyſe*, utpote unâ tantummodò litterulâ in Hebræo differens à priori. Tum ut legentes Scripturam *Manaßen* pronuntient loco *Moyſis*; atque unà indicetur illum Jonathan moraliter loquendo fuiſſe potiùs filium *Manaſſis* regis Judæ, ante pœnitentiam ſuam Idololatræ peſſimi, quàm ſanctiſſimi Prophetæ Moyſis. Item iſtum Jonathan fuiſſe optimi avi peſſimum nepotem, ſicut Manaſſes filius impiiſſimus piiſſimi Ezechiæ.

CAPUT XX. XXI.

XX. Conſtanter in Vulgata habetur ỳ. 15. *Inventique ſunt viginti quinque millia de Benjamin.... præter habitatores Gabaa, qui ſeptingenti erant.* Conſentiunt Græci codices Complutenſes, & Baſilienſes, ſed Sixtini mendosè legunt: *Viginti tria millia.*

At textus Hebræus, cui Chaldæus concordat, habet: עשרים וששה אלף *Eſrim veſchiſſa eleph. Viginti & ſex millia.* Sed hic potiùs eſt adhærendum Verſioni noſtræ, tum quòd illam confirmet lectio græca communior, tum Joſephus Flavius lib. 5. Antiq. c. 2.

Tum maximè, quia ipſa Scriptura illam ſtabilit, etiam in Hebræo, & Chaldæo, hoc ipſo capite: nam ỳ. 46. tantùm cæſi dicuntur de Benjaminitis 25000. prout & ỳ. 35. quamvis ibidem exactiori computu inito, addantur 100. Deinde illis 25100. cæſis, ſuperfuerunt præcisè 600. ùt dicitur ỳ. 47. Ergo tota Benjaminitarum ſumma fuit 25700. nempè adventitiorum 25000. & Gabaonitarum 700.

Aliàs ſi fuiſſent 26700. ùt habet Hebræus textus; cùm juxta omnes textus fuerint tantùm univerſim cæſi 25100. prout etiam numerantur ỳ. 44. & 45. Remanſiſſent ſuperſtites non tantùm 600. ſed 1600. quod eſt contra omnes textus, etiam Hebræum.

ỳ. 32. *Putaverunt enim ſolito eos more cadere.* Ita ſcribendum eſſe per Diphthongum, patet ex dictis Libro I. Proinde non ſatìs exactè videtur impreſſum in Bibliis Bambergenſibus 1693. Colon. 1630. 1647. 1682. Plantin. 1619. ipſiſque Vaticanis 1590. 1592. 1593. 1598. & aliis Romanis 1624. *Cedere* ſine Diphthongo; ſed cum Francofurtenſibus 1615. Colonien. 1666. Pariſienſ. 1691. Lugdun. 1680. 1684. Omnibuſque Plantinianis, & Lovanienſium Bibliis, ac nova editione Hieronymi, puto legendum *Cædere.* Niſi fortè dicamus Hieronymum tranſtuliſſe *cedere*, ſeu *fugere*, ſenſum magìs ſequendo, quàm verba, ſicuti ỳ. 39. tranſtulit *fugere*, cùm etiam ibidem ſit idem verbum hebræum, & quidem bis repetitum, quod eſt hoc ỳ. 32.

XXI. 10. *Miſerunt itaque decem millia viros.* Non inveni quidem libros Vulgatæ aliter habentes, verumtamen cùm *duodecim millia*, hoc eſt mille de ſingulis Tribubus, legant conſtanter, atque concorditer textus Hebræus, Chaldaïca paraphraſis, verſio LXX. in omnibus codicibus, prout & Joſephus lib. 5. Antiq. cap. 2. Nonnulla

mihi, & Bonfrerio movetur suspicio, hîc in Vulgatam mendosè irrepsisse *decem*, pro *duodecim*.

RUTH.

CAPUT I. II. IV.

CAp. I. 19. *Hæc est illa Noëmi.* Deest hic in Vulgata signum interrogationis; etenim ista per interrogationem esse dicta, tamquam verba interrogantium, vel admirantium, clarum est ex Hebræo & Græco. Vide dicta Libro præcedenti.

II. 13. *Inveni gratiam apud oculos tuos Domine mi, qui consolatus es me.* Lyranus, Abulensis, & quidam libri Vulgatæ habent *Inveniam*, ut sit optantis: atque ita etiam est in Hebræo אמצא *Emtsa. Inveniam*, non מצאתי *Matsathi. Inveni.* Etiam in græco est *Inveniam*. Similiter pro *Qui* est in Hebræo כי *Ci. Quia*, prout & in græco ὅτι. Facilè fuit in Latino ex *Quia* ultimam litteram decidere.

IV. 15. *De nuru enim tua natus est, quæ te diligit.* Omnes penè antiquiores libri Vulgatæ, atque etiam Sixti V. prout & Lyranus, Abulensis, Dionysius Carthus. ac plerique veteres legunt: *Qui te diliget*, sed duplici mendo, nempè pro feminino *Quæ*, masculinum *Qui*, & pro præsenti *Diligit*, Futurum *Diliget*. Siquidem in Hebræo est אשר אהבתך *Ascher ahebathech. Quæ dilexit te* hactenus. Ita etiam LXX. ἣ ἀγαπήσασά σε.

I. REGUM.

CAPUT I. II.

SAmuëlem ablactatum Anna mater obtulit Heli cum muneribus, signanter ℣. 24. *Tribus modiis farinæ.* Ita etiam S. Gregor. V. Beda, aliique. Habent quidem aliqua Latina *Uno modio*, sed malè notant Lovanienses, etiam Hebræa, Chaldæa, Græca legere *Uno modio*, nam in illis est איפה *Epha*, seu *Ephi*, nempè uno: at unum Ephi complebat tria sata, seu tres modios Hebræos; satum enim unum non adeò differebat à modio Romano. Ita etiam Isaiæ V. 10. *Ephi* vertitur: *Tres modii*; quamvis fatendum sit pro *Ephi*, in Vulgata *Modium* poni, etsi minùs congruè, Judic. VI. 19. *De farina modio azymos panes.*

II. 17. *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Vix est dubitandum, quin priùs in Vaticano Exemplari Sixti V. deinde Clem. VIII. sit hoc modo impressum per inadvertentiam eorum, qui prælo intendebant; indèque istud mendum fluxerit in omnes sequentes Vulgatæ impressiones.

Quod dixi, tantùm non omninò certum est ex testimonio Blandini Præfecti typographiæ Vaticanæ in litteris suis ad Moretum datis pridie Kal. Augusti 1604. *Fateor in* Bibliis ipsis, Sixti V. & Clem. VIII. jussu correctis, & editis in Typographia Vaticana, *nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possent, quædam etiam, nescio quo pacto,*

sic

sic impressa reperiuntur, *ut exempli gratiâ I. Reg. II.* 17. *Retrahebant homines à sacrificio*; *cùm libri omnes & impressi*, *& manuscripti habeant*: *Detrahebant homines sacrificio*. Qualiter etiam est in nova Editione Hieronymi.

Omninò igitur videtur hîc esse mendum Typographicum, cùm clarum sit nihil apparere, quod potuisset movere doctissimos Correctores, ita hîc textum Vulgatæ mutandi, quandoquidem nullum exemplar Vulgatæ sic habeat, neque etiam ullus alterius linguæ textus, sed omnes concorditer: *Detrahebant homines sacrificio*. Sic enim est in Hebræo כי נאצו *Ci natsu*. *Quia contemnebant* (seu *conviciabantur*, vel *detrahebant*) *homines sacrificium*. Similiter LXX. ὅτι ἠθέτουν. *Quia detrahebant* (*improbabant*, seu *aspernabantur*) *sacrificio Domini*.

CAPUT III.

Heli ℣. 2. *Jacebat in loco suo*. Ita etiam Hebræa, Chaldæa, & Græca, itemque Scriptores antiqui passim, Greg. Beda, Rhabanus. Designatur per hoc, Heli tamquam Sacerdotem ministrantem, imò ùt summum Pontificem, in Atrio, locoque propinquo, atque appendice Tabernaculi, pernoctasse; quapropter meritò deserta est lectio illa, quæ pro *Loco*, habebat *Lectulo*.

Et oculi ejus caligaverant, *nec poterat videre*: *lucerna Dei antequam extingueretur*, *Samuël dormiebat in templo Domini*, *ubi erat arca Dei*. Ut rectè monuit Auctor quæstionum in libros Regum inter opera Hieronymi, hæc est genuina lectio, & interpunctio; optimè igitur restituta in Vulgata nostra, conformiter ad textum tum hebræum, tum græcum, nempè ut illa: *Lucerna Dei antequam extingueretur*, referantur non ad Heli, sed ad Samuëlem, qui dormiebat in atrio de nocte, ibidemque manebat, donec illucescente die, lucernæ candelabri septicipitis in tabernaculo juxta Legem extinguerentur.

In Hebræo est: *Heli*... *non poterat videre*. *Et lucerna Dei antequam extingueretur*, *& Samuël dormiens* &c. Unde, ùt dixi, non sunt ita interpungenda, ut referantur ad Heli, q. d. ipsius oculos adeò caligasse, ut nequiret videre antequam lucerna extingueretur, hoc est, non nisi claro die, qualiter multi explicant cum Rhabano, Angelomo, Eucherio, Abulensi, qui propterea ante vocem *Lucerna* removent duo puncta, & punctum faciunt ante vocem *Samuël*, hoc modo: *Nec poterat videre lucerna Dei antequam extingueretur*. *Samuel dormiebat* &c.

Adhuc magìs ab originali recedit lectio plurimorum codicum, quæ etiam est Lovaniensium, Sixti V. & Editionis novæ operum Hieronymi, nempè Hæc: *Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*, *Samuel autem dormiebat* &c. q. d. Heli non poterat videre lucernam, antequam hæc extingueretur; qui sensus satìs ridiculus est, & parum fundata lectio.

CAPUT IV.

℣. 1. *Et factum est in diebus illis*, *conven-*

venerunt Philisthiim in pugnam. Hæc verba, quamvis reperiantur in Græco, desunt tamen in Hebræo, Chaldæo, atque in multis libris Latinis, nec videntur ab Hieronymo hîc addita fuisse.

Pro quo notandum, multa in his libris, prout & in libro Proverbiorum, à multis sæculis, nescio per quos, aut quâ authoritate; fuisse addita ex translatione græca LXX. Interpretum, quæ illi in sua versione posuerunt, vel aliter quàm Hieronymus transferentes hebræum textum, vel Spiritu S. dirigente, ea Paraphrasticè supplentes, quæ in hebræo non habebantur, illaque, ùt dixi, jam ab antiquo in nostra Vulgata, Versioni Hieronymianæ intermixta sunt, nec reprobanda. Unde S. August. lib. 18. Civ. cap. 43. *Quidquid est in Hebrais Codicibus, & non est apud LXX. Interpretes, noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Spiritus Dei dicere. Quidquid verò est apud LXX. In Hebrais autem codicibus non est, per istos maluit, quàm per illos idem Spiritus dicere.*

Quòd autem talia in variis Latinis desint, factum est ex eo, quòd isti Latini Vulgatæ libri exscripti sint ad Exemplaria, quæ nondum habebant illam admixtionem, vel certè ad illa, quæ Stephanus Cisterciensis Abbas II. evulgaverat; hic enim adhibitis duobus Judæis, è Vulgata removit (signanter quoad libros Regum & Prov.) quæ Judæi isti Stephano dicebant non esse in Hebræo; illa verò Editio Stephani passim pervasit Galliam.

℣. 13. *Heli sedebat super sellam contra viam spectans.* Ita etiam LXX. Σκοπεύων. Item Hebræus מצפה *Metsappe. Spectans, Speculans,* quamvis verbum צפה *Tsapha* aliquando transferatur *Expectavit*, atque adeò defendi posset lectio aliquorum librorum, in quibus habetur *Expectans*, cui lectioni astipulantur Syr. & Arab. favetque quòd Heli esset penè totaliter cæcus. Sed dico eum, non omninò cæcum, aliqualiter *spectasse*, præsertim moraliter; animo enim erat continuò intentus, & quoscumque adventantes, atque assistentes interrogans.

℣. 20. *Dixerunt ei, quæ stabant circa eam.* Ita legendum; cùm etiam in feminino sit in Hebræo, & Græco, nec sit verosimile parienti mulieri adstitisse viros, ut proinde minùs rectè quidam Vulgatæ libri habeant *Qui*, pro *Quæ*.

CAPUT V. IX.

V. 6. Absunt ab Hebræo & Chaldæo hæc Vulgatæ verba: *Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in civitate.* Item illa ℣. 9. *Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.* Desunt etiam in multis Latinis, & aliquibus Græcis; sed in plerisque habentur. Nota quæ ad initium Cap. IV. diximus.

Notæ ad Editionem novam Hieronymi habent: *Antiquiora manuscripta Vulgata his carent, media ad marginem supplent, recentiora in textum receperunt.*

IX. 7. *Panis defecit in sitarciis nostris.* Græcè vocatur σιταρχία, *Annona*, præsertim militaris, & viatorum; unde propriè significat cibum viaticum à σῖτος,

σῖτον, vel σῖτος, *Cibus*, aut *frumentum*, & ἀρκετὸς, *Sufficiens*. Hinc *Sitarcium* vocatur ipsa pera viatoria, seu saccus, in quo viaticum reconditur. Ex hoc patet mendosum esse, quod in omnibus penè antiquis Latinis libris est *Cistertiis*; neque satìs exactè Sixti V. *Sitarchiis*. In hebræo est מכלינו *Miccelenu. De vasis nostris*, seu *Peris*.

℣. 25. *Stravitque Saul in solario, & dormivit.* Hæc iterum suppleta sunt ex græco; subintelliguntur verò in Hebræo & Chaldæo, ac multis Latinis, à quibus absunt.

CAPUT X.

Ex LXX. translata sunt in Vulgatam, at in multis Latinis, cunctisque Hebræis & Chaldæis desiderantur hæc ℣. 1. *Et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem.*

℣. 2. *In Meridie.* Quædam antiqua manuscripta, & ex illis S. Bonaventura, cum Dionysio Carthusiano, addunt: *Salientes magnas foveas*. Forsitan ex LXX. quorum aliqui codices pro eo, quod Vulgata habet *In meridie*, legunt ἁλλομένϐς μεγάλα, *Saltantes magnoperè*. In Hebræo בצלצח *Betseltsach*, quod Chaldaïca Versio Jonathan, item Syriacus, & Arabicus textus acceperunt ùt nomen proprium vertentes *In Tseltsach*; si verò appellativè transferas, erit: *In umbra claritatis*, sive *Clara*, hoc est *In meridie*, quando umbra clara est, prout accepit S. Hieronymus, & Interpretum LXX. codices aliqui.

℣. 12. *Quis pater eorum?* Sic omninò legendum esse patet ex Hebræo מי אביהם *Mi abihem?* Ita etiam Chaldæa & Græca, nisi quod minùs rectè habeant *Ejus*. Magìs tamen ab originali recedunt Latini libri varii legentes: *Cis pater ejus*, nempè quia ita vocabatur pater Saulis; sed tunc in Hebræo deberet esse קיש אביו *Kis abiu*: toto autem cælo differunt מי *Mi*, & קיש *Kis*, etsi aliqualiter conveniant *Quis*, & *Kis*, imò sono coïncidant pronuntiata ab Hispanis & Gallis, atque inde sit forsitan data occasio mendi.

CAPUT XI. XII. XIV.

XI. 1. *Factum est quasi post mensem.* Ista etiam sunt suppleta ex solis LXX. Desunt autem in multis Latinis, item in Hebræo, & Chaldæo, in quibus est *Et ascendit Naas* &c.

XII. 11. *Misit Dominus Jerobaal, & Badan, & Jephte, & Samuël.* Ita satìs congruè restituerunt Correctores ex Hebræo, cùm antea varii codices Latini adderent *Barac*, aliqui etiam *Samson*, ùt Sixti V. *Jerobaal & Badan, & Samson, & Barac, & Jephte, & Samuël.* Sed *Barac*, & *Samson* superfluunt, maximè verò *Samson*, cùm hic juxta plerosque intelligatur per *Badan*, seu *Bedan* (ùt est in Hebræo בדן & legit nova Editio Hieronymi) quod videtur exponendum *In Dan*, aut *Filius Dan*; seu *Danita* Antonomasticè, qualis *Samson* fuit. Nisi fortè per *Badan* intelligatur *Jaïr* secundus, de quo Judic. X. 3. nam hoc congruit tum ordini rerum,

quo utitur Samuël hîc, tum loco I. Par. VII. 17. ubi inter nepotes primi *Jaïri* recensetur *Bedan*, seu *Badan*; sic autem *Jaïr* II. diacriticōs videatur appellatus, ut distingueretur à primo illo, seu antiquiori Jaïro, de quo Numer. XXXII. 41.

XIV. 2. *Quæ erat in Magron.* Sic esse legendum constat ex hebræo, chaldæo, græco, variisque latinis, non, ùt multi Vulgatæ libri: *In agro Gabaa*, qualiter etiam est in Sixti V.

℣. 41. *Quid est quòd non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem, aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.* De his Corn. à Lapide: *Videntur esse congesta ex variis interpretationibus rei ejusdem, ut advertunt Cardinalis Caraffa, Franciscus Lucas in Notis, & Serarius hîc.* In Hebræo enim non est aliud, quàm הבה תמים *Haba thamim. Da integritatem*, vel *Perfectionem*, atque adeò *Sanctitatem.*

CAPUT XV. XVII. XVIII.

XV. 3. *Et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* Similia quidem his reperiuntur in græco; sed à multis absunt Latinis, & ab omnibus Hebræis, atque Chaldæis.

℣. 12. *Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec. Et cùm venisset Samuël ad Saul.* Illa iterum in solis Græcis Sixtinis habentur, in multis etiam Latinis desiderantur.

XVII. 36. *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi, quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui.* Hæc sola habent Sixtina græca, imò teste Francisco Luca, Omittunt *plurima & optima exemplaria Latina.* Pro ultimo tamen *Qui*, est in hebræo כי *Ci*, *Quia.*

℣. 45. *Dei agminum Israël, quibus exprobrasti (46.) hodie, & dabit te Dominus in manu mea.* Malo hîc sequi distinctionem versuum, quam interpunctionem; nempè ut *Hodie* non jungatur cum *Exprobrasti*, inter quas duas voces finit versus 45. Sed ut interpunctione translatâ ante *Hodie*, legatur hoc modo: *Hodie & dabit*, seu potiùs *Hodie dabit* &c. sine copula *Et*, quâ carent Hebræa, & Chaldæa, prout & Latina aliqua. Vide dicta libro præcedenti.

℣. 49. *Circumducens*, seu circumgyrans in funda lapidem. Hoc indubiè fecit David; sed equidem non exprimitur in Hebræo, Chaldæo, Græco, nec in variis Latinis, neque in Edit. nova Hieronymi.

XVIII. In quibusdam Latinis, signanter in Sixti V. sunt hæc verba addita ℣. 6. *Et ferret caput ejus in Jerusalem.* Sed ea meritò omissa sunt in Clement. VIII. & posterioribus Editionibus, quia & à variis Latinis aberant, & in nullo alio textu reperiebantur.

℣. 20. *Dilexit... David Michol filia Saul altera.* Ita esse legendum constat ex hebræo, chaldæo, græco, non: *Filiam Saul alteram*, sicut habent varia Latina cum Sixti V. Vide dicta libro I.

CAPUT XIX. XX. XXI.

XIX. 3. *Ubicumque fueris.* Ita etiam hebræa: *Quo tu ibi.* Item græca; non: *Fuerit*

Fuerit, ùt ante passim erat in Vulgata, etiam Sixti V. atque in nova Editione Hieronymi.

℣. 21. *Et iratus iracundiâ Saul.* Istud iterum suppletum ex Græco, deest in Hebræo, Chaldæo, variisque Latinis.

℣. 24. *Cecidit nudus.* Ante Correctionem Clem. VIII. omnes penè Vulgatæ libri, etiam Sixti V. habebant *Cecinit*; sed mendosè, ùt patet ex hebræo ויפל *Vajippol*, & græco ἔπεσε. *Cecidit. Lapsus est.*

XX. 9. *Absit hoc à te.* Ita etiam est in græcis, chaldæis, hebræis, non *A me*, quod habet Exemplar Sixti V. & varia alia Latina.

℣. 15. *Auferat Jonathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum David.* LXX. hoc ferè modo transtulerunt verba hebraïca, quæ eadem ab Hieronymo àliter translata repetuntur in immediatè sequentibus in Vulgata: *Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David, & requisivit Dominus de manu inimicorum David.* Hæc sola sunt in nova Edit. Hieronymi, non priora.

XXI. 11. *Cùm vidissent David.* Quia hoc nec in hebræo, nec in chaldæo, nec in græco, nec in variis Latinis invenitur, dicit Franciscus Lucas: *Videtur superfluere.* Ego puto hoc ab Hieronymo additum in Vulgata, ut sensum suppleret, sed in aliquibus Latinis deesse, quòd istud Stephanus Cisterciensis erasisset, quia in hebræo non reperiebatur. Vide quæ dixi supra Cap. IV.

CAPUT XXII. XXV. XXX.

XXII. 22. *Ego sum reus omnium animarum patris tui.* Aliqui Latini libri, ac nova editio Hieronymi, conformiter ad hebræa, chaldæa, græca, addunt: *Domûs*, seu *Familiæ*, hoc modo: *Omnium animarum domûs patris tui.*

XXV. Biblia Lovaniensium, atque etiam Exemplar Vaticanum Sixti V. addunt ℣. 6. *Ex multis annis salvos faciens tuos, & omnia tua.* Sed ista benè omiserunt correctores in Clem. VIII. quia non reperiuntur in hebræo, chaldæo, græco, prout nec in variis Latinis, neque in Edit. nova Hieronymi; insuper & veritati videntur repugnare, cùm in illis locis David non hæsisset *per multos annos.*

XXX. 13. *Et quo pergis?* Ista etiam habet editio nova Hieronymi, qui videtur addidisse ad perficiendum sensum; aliàs his carent multa Latina, atque omnia hebræa, chaldæa, græca.

℣. 15. *Et juravit ei David.* Hoc suppletum ex græcis, deest verò in hebræo, chaldæo, variisque Latinis, signanter in nova Editione Hieronymi.

II. REGUM.

CAPUT I. II.

VErs. 18. *Et ait: Considera Israël pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.* ℣. 19. *Inclyti Israël super montes tuos interfecti sunt.* Hi bini versus continent duplicem translationem eorumdem verborum hebraïcorum, nempè horum: *Hat-tsebi Israël al bamothecha chalal!* Versus 18. est juxta versionem tum Aquilæ, tum LXX. Inter-

terpretum, at ỷ. 19. secundùm translationem S. Hieronymi; unde ille, omisso ỷ. 18. solus habetur in novâ Editione operum Hieronymi.

Porrò tota diversitas orta est ex variâ significatione vocis צבי *Tsebi*. Hanc Aquila, & LXX. intellexerunt tamquam Imperativum secundæ personæ singularis numeri feminini generis, à verbo יצב *Jatsab*, quomodò sumpta significat *Sta*; unde verterunt LXX. στήλωσον. *Consiste instar immobilis columnæ*, ô terra, sive potiùs, ô virgo Israël! utique in stuporem rapta; unde sensum attendens Aquila vertit: ἀκρίβασον. *Exactè considera*, *Diligenter expende*.

Hieronymus verò sumpsit vocem *Tsebi*, ùt derivatam à verbo צבה *Tsaba*; tunc autem significat *Decus*. *Gloriam*, item (saltem ex mente Davidis) *Inclytos*. Reliqua verba hebraïci textûs important quoad sensum translationem utriusque versûs, nam per במותיך *Bamothecha*. *Excelsa tua*, intelligit David *Montes* Gelboë; per צבי חלל *Tsebi chalal*. *Decus vulneratum*. Decoros, atque inclytos milites hebræos à Philistinis interfectos signanter Saul, & Jonathan adeò inclytos, ac verum Israëlis *Decus*, & *gloria*.

Cùm igitur uterque ille sensus in iisdem verbis hebræis contineatur, & consequenter à Deo intentus videatur, utramque translationem Ecclesia meritò assumpsit, & in Vulgata recepit; sensus enim totalis hebræi textûs est: *Obstupesce Israël*, *& immobilis consiste*, *morosè*, *ac dolorosè considerans*, *qualiter Decus*, *& gloria tua*, *nempè Saul*, *ejusque filii*, *atque inclyti milites*, *in excelsis montibus Gelboë sint vulnerati*, *& interfecti*.

ỷ. 26. *Sicut mater unicum amat filium suum*, *ita ego te diligebam*. Hæc videntur addita tamquam explanatio illius, quod præcessit: *Amabilis super amorem mulierum*. Aliàs absunt ab aliquibus Latinis, & ab omnibus Hebræis, Chaldæis, Græcis; ita ut Franciscus Lucas dicat: *Nescio unde irrepserit versiculus ille in editionem Latinam*.

II. 9. *Super Gessuri*. Sive terram *Gessur* ùt etiam habetur in Syro & Arabico; sed videtur meliùs scribendum *Asuri*; hoc est super Tribum *Aser*; hoc enim indicant circumstantiæ textûs, & quòd nequidem ipse David regnaverit super *Gessuri*, ùt constat ex fuga Absalom ad Regem *Gessur*, ubi erat extra ditionem Davidis; habet autem אשרי *Assuri* vel *Asuri* hebræus textus, at chaldæus clariùs בית אשר *Beth Aser*. *Super domum*, seu Tribum *Aser*. LXX. aliquo mendo Θασιρὶ.

ỷ. 27. *Vivit Dominus*, *si locutus fuisses*, *mane recessisset* &c. In hebræo est לולא *Lule*. *Nisi*, prout & in chaldæo, & græco εἰ μὴ. *Si non*. Quod fortè magìs est genuinum, ut sensus sit: Nisi tu ô Abner mane locutus fuisses: *Surgant pueri*, *& ludant*, nulla fuisset pugna commissa. Alii alios allegant sensus.

CAPUT III. V.

Cap. III. 20. *Fecit David Abner*, *& viris ejus*, *qui venerant cum eo*, *convivium*. Ità habet & græcus textus, & hebræus: *Abnero & viris*, *qui cum eo*. Ita etiam reli-

reliquarum linguarum textus, & Vulgatæ Latinæ codices tam veteres, quàm recentiores; quapropter est hîc singulare mendum typographicum in Editione tum Sixti V. 1590. tum Clement. VIII. 1592. *Abner, & viri ejus.* Siquidem inadvertenter omissâ litterâ *s*, impressum est *viri*, pro *viris*, qualiter legendum esse ipse contextus clamat, & monet Index correctorius pro Bibliis Vaticanis anni 1592.

Cap. V. 23. *Si ascendam contra Philisthæos, & tradas eos in manus meas?* Hæc subintelliguntur petita conformiter ad ℣. 19. Sed hoc versu 23. non habentur in hebræo, aut chaldæo, & non nisi in paucis græcis, absunt quoque à multis Latinis, ut propterea Franciscus Lucas dicat: *Vix est dubium, quin hic superfluè ab aliquibus sint repetita* ex ℣. 19.

CAPUT VI.

VI. 4. *Cùmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.* Ita interpungitur in Bibliis Vaticanis tum Sixti V. 1590. tum Clem. VIII. 1592. 1593. Item in Plantinianis, & plerisque aliis novis Editionibus, imò etiam in Latinis Hentenii, ac Lovaniensium, in quibus consequenter illud: *Custodiens arcam Dei*, refertur ad *Ahio*; cùm tamen aptiùs referatur ad patrem ejus *Abinadab*, ùt sublatis interpunctionibus (quæ non sunt de substantia textûs; neque per Hagiographos appositæ, neque per Ecclesiam approbatæ sunt) & indicat ipse Latinus textus, & exigit hebræus, in quo est: *Et tulerunt eam de domo Abinadab qui in Gabaa cum arca Dei & Ahio incedens ante arcam.*

Rectiùs proinde Interpunctio, quæ est post vocem *Gabaa* tolleretur, ac transferretur post vocem *Dei*, illamque ibidem positam vidi in multis antiquis Vulgatæ libris, atque etiam in aliquibus post correctionem Clementinam editis, signanter in Keerbergianis anni 1617. Item in Bibliis maximis nostri Joannis de la Haye 1660. Eodem modo benè interpungunt Biblia Lovaniensium tam Gallica, quàm Flandrica. Similiter in præclaris magnisque Bibliothecæ nostræ Manuscriptis anno 1232. In his raræ quidem sunt interpunctiones, hoc tamen loco post vocem *Dei*, duo puncta sunt expressa.

Licet in quibusdam Latinis libris, & in Exemplari Sixti V. addatur hîc ℣. 12. *Dixitque David: Ibo & reducam Arcam Dei cum benedictione in domum meam.* Meritò equidem ista omissa sunt in correctione Clem. VIII. quia nedum ab Hebræis, & Chaldæis absunt, sed etiam à Græcis, multisque Latinis. Ob eamdem rationem desertum est etiam istud ℣. 13. *Percutiebat in organis armigatis &*, quamvis hoc etiam in quibusdam græcis reperiatur. Retenta verò sunt illa ℣. 12. *Et erant cum David septem chori, & victima vituli.* Quia ista sunt etiam in græco, atque ita videntur LXX. intellexisse hebræa verba, quæ in Vulgata translata sunt ℣. 13. *Cumque transcendissent, qui portabant Arcam* &c.

℣. 19. *Assaturam bubulæ carnis unam.* Hoc est Bovinæ; qualis caro abundanter

ter

ter aderat ex tot bobus immolatis, istud etiam indicat hebræus per אשפר *Esphar*, q. d. Ignitam, seu assatam *bovis* partem, ab אש *Es. Ignis*, & פר *Phar. Bos.* Mendosum autem est quod passim cum Sixti V. habent antiqui libri hîc, & etiamnum Vulgata I. Par. XVI. 3. *Bubalæ*, pro *Bubulæ*, quasi dicas *Bubalinæ*. Cùm tanta suppeteret Davidi caro *bubula*, cur quæso tot *bubalos* comparasset? Hi enim erant species caprarum sylvestrium, & animalia venatica.

CAPUT VII. VIII. IX.

VII. 15. *Sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie meâ.* Multi latini libri habent *Tua*, conformiter ad textus hebræum, chaldæum, græcum.

VIII. 8. In variis latinis, signanter Sixti V. prout & in paucis græcis hæc addita sunt: *De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo, & mare æneum, & columnas, & altare.* Sed ista sunt modò omissa, juxta exemplar Clem. VIII. neque sunt hujus loci, sed huc translata ex I. Paral. XVIII. 8.

℣. 13. *Cæsis decem & octo millibus.* Ita etiam hebræa, chaldæa, græca; mendosè aliqua latina: *Duodecim millibus.* De hoc ita Auctor quæst. in libros Regum inter opera Hieronymi: *Si quem movet, quod in plerisque Latinorum codicibus invenitur David non decem & octo millia in valle salinarum, sed duodecim millia cecidisse, noverit hoc vitio scriptorum in eisdem codicibus inditum esse.* Prout etiam planè mendosum est, quod in pluribus Latinis hîc additur: *Et in Jebelem ad viginti tria millia*: his enim carent omnes alii textus.

IX. 11. *Comedet super mensam meam.* Sic pariter hebræa & chaldæa, unde in Clementina correctione deserta est lectio multorum librorum, etiam Sixti V. quæ non *Meam* habebat, sed *Tuam*. LXX. Sixtina ἐπὶ τῆς τραπέζης Δαυίδ. *Super mensam David.*

CAPUT X. XIII. XIV.

X. 15. *Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israël.* In aliquibus Vulgatæ libris, signanter in Sixti V. hæc taliter aucta leguntur: *Videntes igitur filii Ammon, quoniam Syrus expavit, & quoniam corruissent.* Sed istud additamentum non est in variis antiquis Latinis, neque in Hebræo, Chaldæo, Græco.

℣. 19. *Expaverunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israël.* Hæc quidem retenta sunt in Bibliis Clem. VIII. sed absunt à multis antiquis Latinis, & ab omnibus Hebræis, Chaldæis, Græcis; non sunt etiam in nova Editione Hieronymi.

XIII. 21. *Et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.*

℣. 27. *Fecerat que Absalom convivium quasi convivium regis.* Utraque hæc absunt à nova Editione Hieronymi, multisque Latinis, & à plerisque græcis, neque inveniuntur in hebræo, aut chaldæo.

℣. 37. *Cunctis diebus.* Ita hebræa & græca; attamen Exemplar Sixti V. & alia multa latina habent *Multis*, quod est

est conforme Chaldaïco textui, seu Paraphrasi.

XIV. 30. *Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni.* Hæc non reperiuntur nisi in aliquibus græcis libris, absunt etiam à multis Latinis, & à nova Editione Hieronymi.

℣. 33. *Nuntiavit ei omnia.* Istud *Omnia* deest in omnibus aliis textibus, & in non paucis Latinis, atque in nova editione Hieronymi.

CAPUT XV.

℣. 7. *Post quadraginta autem annos.* Ita meritò retentum est in Bibliis Clement. VIII. ac deinceps in Vulgata, quia sic habet textus hebræus, chaldæus, græcus (& ab antiquo scripsit auctor quæst. in libros Regum inter opera Hieronymi: *Cave lector plerosque mendosos codices, in quibus scriptum invenitur: Post quatuor (non: post quadraginta) annos.*

Habetur tamen *Quatuor* in Exemplari Sixti V. variisque Latinis, item in textibus Syro & Arabico, *Quatuor* etiam legunt Theodoretus, Hugo, Abulensis, Adrichomius, Hugo Grotius, ac Josephus Flavius lib. 7. Antiq. cap. 8. *Absalom quarto post reconciliationem anno.*

℣. 12. *Accersivit quoque Absalom Achitophel.... cumque immolaret victimas, facta est conjuratio.* In hebræo, chaldæo, græco, variisque latinis sic legitur: *Accersivit...cum immolaret victimas: & facta est conjuratio* &c.

℣. 14. *Ne... impellat super nos ruinam.* Sic habetur in hebræo, chaldæo, græco, non *Impleat*, quod est in Sixti V. multisque latinis.

℣. 18. *Pugnatores validi.* Desiderantur illa in Editione nova Hieronymi, ac variis Vulgatæ libris, prout & in hebræis, græcis, chaldæis.

℣. 20. *Et Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem.* Pro his omnibus tantùm habetur in hebr. עמך חסד ואמת *Immach chesed ve-emeth. Tecum Chesed & Emeth*, ad quæ patet supplendum esse *Sit*, aut *Erit*; vel *Est*, sive *Fuit.* Porrò *Chesed* significat tam *Gratiam*, quàm *Misericordiam. Emeth* verò tam *Veritatem*, quàm *Fidem.* Unde videtur hîc simul & conjunctim posita duplex translatio eorumdem verborum hebraïcorum, eaque explicata, seu suppleta per ea verba, quæ subaudiri debent. Prima est hæc: *Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem*, sive: Hæc tecum *Sit*, & *Erit* Deo dante. Altera: *Tecum fuit*, seu erga me tuam *Ostendisti gratiam & fidem.* Primam aliqui latini libri omittunt cum nova editione Hieronymi.

℣. 26. *Faciat quod bonum est coram se.* Non est malum, quod quidam libri legunt: *Faciat mihi* &c. Etenim sic expressè est in hebræo לי *Li. Mihi*, prout & in chaldæo, ac græco.

CAPUT XVIII. XX. XXI. XXIII.

XVIII. 13. *Tu stares ex adverso?* Vulgatæ multi codices, signanter Hentenii, & Lovaniensium, atque editio nova Hieronymi, hæc verba legunt abso-

absolutè; sed Vulgata Editionis Sixti V. & Clem. VIII. habet, ùt exscripsi, cum signo interrogationis, quod equidem neque in græco est, neque in hebræo, cùm tamen hebræi tale signum habeant, præponendo nimirum primæ interrogationis voci litteram ה *He*. Sensus proinde videtur esse: Tu ipse meus fieres adversarius, & me apud regem accusares.

XX. 18. *Et sic perficiebant*. Ita etiam hebræa התמו *Hethammu. Perfecerunt*. Græca ἐξέλιπον. *Finiebant*. Minùs rectè multa latina, signanter Lovaniensium, & Sixti V. *Proficiebant*.

XXI. 16. *Jesbibenob*. Sic est in hebræo; unde non ritè libri aliqui in tres voces dividunt legentes *Jesbi de Nob*.

℣. 18. *De stirpe Arapha de genere gigantum*. Pro his in Hebræo tantùm est בילדי הרפה *Bilide harapha. De natis* stirpis *Rapha*. Fuit autem *Rapha*, Gigas quidam à quo *Raphaim* posteri, seu stirps quædam Gigantea, inde dicta *Harapha*. Hinc sæpè in Vulgata Hebræum *Raphaim* transfertur *Gigantes*. Videtur proinde hîc idem Hebræum bis versum, semel *De stirpe Arapha*, deinde mox: *De genere gigantum*.

XXIII. 8. *Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedra* &c. Ita legendum, atque interpungendum esse, patet ex Hebræo, Chaldæo, Græco. Mendosum verò est, quod varii Latini, signanter Sixti V. geminant vocem *David*, hoc modo: *Hæc nomina fortium David. David sedens* &c. quasi ipse fuisset ille *Sedens in cathedra sapientissimus*, cùm fuerit alius homo, nempè *Jesbaam*.

III. REGUM.

CAPUT II. IV.

CAp. II. 3. *Observa custodias Domini*. Quæ custodiri, ac servari præcepit Dominus, nempè præcepta ipsius. Etiam ita est in Hebræo, & Græco, quia verò aliqui putarunt hîc *Custodias* non Nomen esse, sed Verbum; non satìs genuinè, quamvis eodem sensu, scripserùnt: *Observa ut custodias mandata Domini*: quomodò etiam habet Exemplar Sixti V.

℣. 28. *Venit nuncius ad Joab*. Mallem legere *Nuncium*, quàm *Nuncius*; siquidem non de persona veniente loquitur propriè Scriptura, sed de fama, ùt est in hebræo שמעה *Schemuha. Auditio, Fama, Rumor*: prout etiam in græco ἀκοὴ. Porrò omninò legendum est *Ad Joab*, legiturque in hebræo, & græco, non verò *Ad Salomonem*, quod ante correctionem Clem. VIII. in omnibus propemodum Latinis erat, etiam in Sixti V.

IV. 2. *Azarias filius Sadoc Sacerdotis*. Hebræum הכהן *Hac-cohen* indifferens est ad Nominativum & Genitivum. Mihi verosimiliùs est legendum esse *Sacerdos*, atque adeò ad *Azariam* referendum, ùt referunt, & legunt LXX. ὁ ἱερεὺς. Ita etiam legunt varia latina, quibus & contextus favet, cùm recenseantur hîc Officiales Salomonis, & nominentur eorum munia. Sic ergo dicitur hîc *Azarias* fuisse *Sacerdos* Salomonis, sicut *Ira Sacerdos* Davidis II. Reg. xx. 26.

Per

Per hoc corruit fundamentum Francisci Lucæ pro Genitivo *Sacerdotis*, nempè, ùt arguit, quòd aliàs vox *Sacerdos* deberet collocari immediatè post vocem *Azarias*: nam hoc tantùm esse deberet si *Azarias Sacerdos* aliam in curia Salomonis functionem obiisset; sed cùm illud *Sacerdos* indicet officium illius speciale, debuit in fine periodi, seu sententiæ collocari.

℣. 32. *Fuerunt carmina ejus quinque & mille.* Sic etiam est in Hebræo *Chamisscha Va-aleph.* Sed LXX. πεντακισχίλιαι. *Quinquies mille*, quod sequuntur Biblia Sixti V. & Lovaniensium, qui non notant ullum Vulgatæ manuscriptum aliter legere; sed hoc non satis exactè, cùm in uno Bibliothecæ nostræ, quod est in forma 8. expresse habeatur: *Quinque & mille.* Ego puto ex πέντε καὶ χίλιαι, *quinque*, & *mille*, quomodò habet editio Vatabli, per inadvertentiam Amanuensium in græcum irrepsisse unicum verbum simile πεντακισχίλιαι. Siquidem etiam Josephus Flavius legit: *Quinque & mille*, quod pariter est in chaldæo, in quo, & hebræo, non est tanta affinitas vocum, ut pro unâ facilè scribatur altera.

CAPUT V. VII.

Cap. V. 6. *Ut præcidant mihi servi tui.* Istud *Servi tui*, nec est in variis Latinis, nec in ullis hebræis, chaldæis, græcis: manifestè tamen in omnibus illis subintelligitur, quod in Vulgata moderna exprimitur, non in Editione nova Hieronymi.

VII. 9. *Extrinsecus usque ad atrium majus.* Ita etiam hebræa, chaldæa, græca. Mendosum proinde erat, quod ante correctionem passim legebatur, etiam in Sixti V. *Intrinsecus.*

℣. 26. *Duo millia Batos capiebat* mare æneum. Nihil hîc aliud additur in antiquis latinis, neque in hebræo, chaldæo, græco; superfluit proinde quod addi solebat ante correctionem Clem. VIII. in variis latinis, signanter Sixti V. *Et tria millia Metretas*, quod huc translatum videtur ex II. Par. IV. 5. ubi etiam est in Hebræo: *Tria millia Batos.* Non sunt ergo hæ *Metretæ* fingendæ minores, quàm *Bati*, sed in libro III. Regum allegatur quantitas aquæ, quæ isti mari æneo solebat imponi, nempè 2000. *Batorum.* At in Paralipomenis determinatur ipsa Maris capacitas, quæ erat 3000. *Batorum*, si fuisset repletum usque ad summum.

℣. 35. *Quædam rotunditas dimidii cubiti.* Ita etiam Hebræa, Chaldæa, Græca; non verò *Unius & dimidii cubiti*, quod habet Editio nova Hieronymi, Exemplar Vaticanum Sixti V. Biblia Lovaniensium, & plura alia Latina.

CAPUT VIII. X. XI.

VIII. 2. *In mense Ethanim.* Sic est in Hebræo אתנים non *Bethanim*, ùt in Bibliis Sixti V. & plerisque aliis Latinis ante correctionem.

℣. 23. *Qui ambulabant.* Ita quidem habetur in Bibliis Vaticanis anni 1593. & in Plantinianis, ac ceteris penè omnibus præcedenti sæculo impressis; sed multò rectiùs Biblia Vatic. Sixti V. 1590. Clem. VIII. 1592. 1598. ac Romana

mana 1624. *Ambulant*, qualiter etiam est in omnibus antiquis, ùt Moguntinis 1472. Colon. 1479. Basil. 1491. itemque in cunctis Bibliis Lovan. ac Parisiens. 1618. & Bambergens. 1693.

Multò, inquam, rectiùs, quia *ambulant* habent omnia planè Vulgatæ exemplaria (etiam Vaticana 1593.) II. Paral. VI. 14. quo loco eadem Salomonis oratio refertur. Deinde utrobique est in Hebræo Participium activum præsentis temporis הלכים *Holechim. Ambulantibus*, seu *Qui ambulant*, sicut eodem versu שמר *Schomer. Custodiens*, vertitur: *Qui custodis*. Carent enim Hebræi Verbo præsentis temporis, pro quo passim usurpant Participium.

Ambulant esse legendum suadet insuper contextus: *Domine Deus, qui custodis pactum, & misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* Quis enim non videt rectiùs hîc dici: *Qui ambulant*, quàm: *Qui ambulabant*? Præsertim cùm præcesserit: *Qui custodis*.

X. 14. *Pondus auri, quod afferebatur Salomoni*. Hebræus אשר בא *Ascher ba. Quod adveniebat.* LXX. τȢ χρυσίȢ ἐληλυθότος. *Auri provenientis*. Unde minùs exactè Lovanienses, aliique multi legunt *Offerebatur*.

XI. 3. *Uxores quasi Reginæ septingentæ.* Non rectè Josephus: *Septuaginta*, quia *Septingentas* numerant omnes textus, qui tamen, prout & aliqui libri Vulgatæ, carent illâ voce similitudinis *Quasi*. In Hebræo est: *Fuerunt ei uxores* שרות *Saroth. Principes*, seu *Principissæ* 700. Nisi fortè *Saroth* hîc meliùs transferretur *Principales*, ùt distinguantur contra *Secundarias*, seu *Concubinas trecentas*.

ỳ. 5. Additur in Exemplari Sixti V. & quibusdam Latinis: *Et Chamos Deum Moabitarum*. Sed hæc meritò sunt omissa in Clem. VIII. cùm non habeantur in Hebræo, Chaldæo, Græco, prout nec in variis Latinis antiquis.

CAPUT XIII. XIV. XV.

XIII. 23. *Stravit asinum suum Prophetæ quem reduxerat.* Multi libri Vulgatæ legunt in Nominativo *Propheta*, etiam Sixti V. 1590. & Clem. VIII. anni 1592. sed in hoc est calamo correctum *Prophetæ*: Unde editio sequens, seu anni 1593. habet rectiùs in Dativo *Prophetæ*, cùm ita sit expressè in Chaldæo, & Hebræo לנביא *Lannabi*, ac in Græco τῷ προφήτῃ. Sed in omnibus illis deest istud *Suum*, quo pariter carent aliqua Latina.

XIV. 3. *Crustulam.* Multi legunt plurali numero *Crustulas*, aut in Neutro *Crustula*. Hebræus habet plurale נקדים *Nikkudim. Puncta*, nimirum *Gaufras* (ùt vertit Arias Montanus) quæ etiamnum cum valliculis, & quasi punctis formari, seu coqui solent, nihilque penè aliud sunt quàm *crusta*.

XV. 18. *Tollens itaque Asa omne argentum.... & dedit illud.* Ex contextu patet, non satis congruè positum esse in Vulgata istud *Et* ante *dedit*, quæ fortè fuit causa, quòd Brugensis textum sine illo adducat, & subdat: *Non est præponenda conjunctio Et.* Hoc verum judico

dico, si retineatur Participium *Tollens*, & accedat consensus Ecclesiæ. Aliàs in Bibliis Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. 1593. prout & in Bambergensibus 1693. expresse habetur: *Et dedit illud* &c. Imò etiam in Hebræo; sed ibi est alia constructio, nam pro *Tollens itaque*, sic est: *Et tulit... & dedit* &c. Interim propter Notam Francisci Lucæ & Plantiniana omnia, & alia passim recentiora, omittunt istud *Et*, quo etiam carent Biblia Lovaniensium.

CAPUT XVI.

℣. 6. 7. *Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: & regnavit Ela filius ejus pro eo. Cùm autem in manu Jehu filii Hanani Propheta verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum ejus, & contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani prophetam.*

Omnia hæc exscripsi, quia necessaria sunt ad enodandam gravem difficultatem, quæ est circa ista ultima verba: *Hoc est Jehu filium Hanani prophetam*; quæ si defendere velimus, supponendus est duplex *Propheta Jehu filius Hanani.*

Siquidem aliquis *Propheta Jehu filius Hanani* (eodem modo, quo hic noster qui arguit Baasam, in Hebræo scriptus יהוא בן־חנני) legitur II. Paral. XIX. 2. occurrisse Regi Josaphat, cùm tamen Josaphat tantùm inceperit regnare anno quarto Achab, atque adeò diu post Baasam, ejusque filium Elam; ita ut non potuerit iste Jehu propheta ab his occidi; inter Elam enim & Achab, medius regnavit Amri annis 12. ùt dicitur hoc capite ℣. 23.

Sed omninò censeo cum pluribus auctoribus, ista verba non esse de textu; sed vel irrepsisse ex indocto marginali scholio, vel ad summum esse explicationem Interpretis, putantis illud *Eum*, ibi: *Occidit eum*, intelligi de *Jehu propheta*.

Motivum meum est, ista verba: *Hoc est Jehu filium Hanani prophetam:* non haberi in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Græco, deesse pariter in multis libris Vulgatæ. Insuper non esse consuetudinem Scripturæ, quòd ita loquatur: *Hoc est* &c. sed ubicumque similis terminus in Vulgata occurrit, ad summum est quoddam prævium additamentum Interpretis explicantis aliquid præcedens. v. g. Gen. XXXV. 18. *Id est, filius doloris*. Exod. XII. 11. *Id est Transitus*. Deut. XXIII. 2. *Hoc est, de scorto natus*.

Huic adde: *Jehu filium Hanani prophetam* reperiri vivum diu post mortem Baasæ filiique ejus Elæ, utpote, sicut dixi, Josaphat Regi occurrentem: nec alius quispiam *Propheta Jehu filius Hanani* admittendus videtur, quàm iste qui & hoc capite prophetavit contra Baasam, & postea adhuc superstes occurrit regi Josaphat, præsertim cùm verba Scripturæ, omissis his addititiis, obvium, atque clarum sensum habeant.

Pro quo nota in Hebræo tantùm esse ועל אשר־הכה אתו *Veal ascher hicca*

bicca otho. Et super (seu *propter*) *hoc percussit eum*, seu *occidit*, qualiter etiam verbotenus LXX. Vulgata autem clariùs: *Ob hanc causam occidit eum.* Hoc verò potest intelligi de Jeroboam, quem Deus cum tota sua posteritate propter ipsius scelera occiderat, & penitùs exterminaverat. Vel potiùs de ipso *Baasa*, quem Deus, pessimis Baasæ operibus irritatus, cùm Baasa nec exemplo punitionis Jeroboam, nec ad correptionem Prophetæ Jehu se emendaret, *ob hanc causam occidit eum*, nempè Deus Baasam, eum peste, aut præmaturâ morte extinguendo.

Hunc puto esse genuinum hujus loci sensum, omissis illis addititiis: *Hoc est Jehu* &c. Neque terreor inani censurâ Patris La Haye dicentis (verbis ex Gaspare Sanctio descriptis) *Audacis esse ingenii, & parum pii* opinionem istam, quæ hæc verba: *Hoc est Jehu* &c. pro sacro textu non admittit.

Certè & ante Editionem Clem. VIII. hæc verba non esse de textu, docuerunt Lyranus, Magdalius, Cajetanus, Vatablus, Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. V. *Jehu.* Et post illam Franciscus Lucas Brugensis, qui laudem reportavit, non censuram, etsi de his verbis notarit: *Hæc Pericope potest ab Interprete esse addita explicationis causâ, quamquam absit à quibusdam libris, similiter Hebræo & Græco.*

CAPUT XVII. XVIII. XX.

XVII. 15. *Et comedit ipse, & illa, & domus ejus: & ex illa die* (℣. 16.) *hydria farinæ non defecit.* Mallem ultimum *Et* omitti, atque sensum absolvi ante vocem *Hydria*; hoc enim indicat distinctio versuum, cùm ante vocem *Hydria* incipiat versus 16. etiam in nostra Vulgata; neque in Hebræo habetur illud *Et*, sed simpliciter: *Et domus ejus dies*, ימים *Jamim*, hoc est *multis diebus*, nempè quamdiu duravit sterilitas, quod *Jamim*, *Dies*, in Vulgata congruè translatum est: *Ex illa die.*

XVIII. 22. *Propheta autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt.* Non est authenticum, quod ex solis paucis Græcis libris additur in nonnullis Latinis: *Prophetæque lucorum quadringenti.*

XX. 32. *Si adhuc vivit frater meus est.* Congruè post *Vivit* poneretur signum interrogationis, nam hæc interrogando dicuntur in Hebræo. Vide dicta Libro I.

℣. 38. *Mutavit aspersione pulveris os, & oculos suos.* Deest in Hebræo, Chaldæo, Græco, & aliquibus Latinis illud *Os &.*

CAPUT XXI.

Vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel. Ita quidem habetur in Bibliis Vaticanis annorum 1592. 1593. 1598. & Romanis 1624. atque in omnibus Vulgatæ libris alibi locorum post annum 1600. impressis, sed pro *qui* corrigendum esse *quæ*, notatur expressè in Indice correctorio Bibliorum 1592. posito ad calcem Bibliorum Vatic. anni 1598. prout & in altero Indice ibidem apposito pro corrigendis Bibliis Vaticanis anni 1598. Idque meritò, verba enim quæ immediatè

diatè sequuntur, nempè hæc: *Juxta palatium Achab*, seu *apud ædem*, ùt est in Hebræo, satìs indicant non de *Naboth*, sed de ipsius *Vinea* dici, quod *erat in Jezrahel*, prout verè fuisse patet ex IV. Reg. IX. 16. juncto ℣. 21.

Proinde rectiùs haberetur in omnibus, quod legunt varii antiqui Vulgatæ libri, signanter Lovaniensium & Sixti V. *Quæ erat in Jezrahel*. Etiam *quæ*, non *qui* habent Biblia in folio Bibliothecæ nostræ Lovaniensis manuscripta penè à quingentis annis, utpote absoluta anno 1238. Porrò lectio hæc est conformis textui Græco: *Vinea una erat Nabutho Jezraëlitæ juxta aream Achab*. Sed textus Hebræus indifferens est ad *Quæ*, & *Qui*; utrumque enim valet אשר *Ascher*. Idem est de Chaldæo: unde non subsistit, quod Tirinus scribit: *Hebraïcè*, *Chaldaïcè*, *Græcè*: *Quæ*. Id enim de solo Græco verum est.

℣. 6. *Dabo tibi vineam meliorem pro ea.* Omninò videtur in verbis Achab subintelligi, non minoris valoris vineam ipsum obtulisse pro vinea Naboth; attamen istud *Meliorem* non habent alii textus, imò eo etiam carent multi libri Latini, ac nova editio Hieronymi. Græcus textus ejus loco supplet *Aliam*.

℣. 20. *Num invenisti me inimicum tibi?* Hanc lectionem totus contextus exigit; unde videtur in Hebræo antea fuisse, & Hieronymum legisse אויבך *Ojebecha. Inimicum tuum*, seu *Inimicantem tibi*, quamvis nunc sit אויבי *Ojebi. Inimice mi*, vel *Inimicus meus*, prout etiam est in Chaldæo, & Græco, atque etiam in aliquibus Latinis. Nova editio operum Hieronymi: *Num invenisti me inimice meus?* Sed hæc, prout & Hebræa, Chaldæa, Græca possunt ita intelligi, ut subaudiatur aliquid, & dicat Achab ad Eliam: Num invenisti me talem, ut justè ac verè mihi dicas: *Ojebi. Inimice mi*, seu *Inimicus meus es*.

CAPUT XXII.

℣. 15. *Ascende & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus regis.* Habetur quidem non *eam*, sed *eum* in Bibliis Vaticanis Sixti V. 1590. atque in Clem. VIII. 1592. 1593. sed in his videtur error Typographicus, meritò sublatus in Bibliis Vaticanis anni 1598. in quibus est *eam*, prout esse legendum monent Indices correctorii pro Bibliis Vatic. 1592. & 1593.

Unde per meram inadvertentiam in Bibliis Romæ impressis anno 1624. iterum irrepsit *eum*. Porrò *eam* legendum docent jam dicta, & monet Lucas Brugensis, atque ita habetur & in Bibliis Plantinianis, & in aliis omnibus impressis ab anno 1603. Congruitas hujus lectionis patet etiam ex ipso textu; loquitur enim Michæas Propheta (quamvis ironicè) de urbe *Ramoth Galaad* tradenda Achab regi, seu ab eo intercipienda. In Hebræo & Græco, prout & in Bibliis Lovaniensium, variisque aliis antiquis, subintellecto tantùm *eam*, habetur: *Tradet Dominus*.

IV. REGUM.

CAPUT IV. VI.

CAp. IV. 23. *Quæ respondit: Vadam.* Hoc optimè correspondet circumstantiis textûs; equidem plerique antiqui libri Vulgatæ habent *Vale*, pro *Vadam*; quod est conforme Hebræo שלום *Schalom*, *Pax*; supple: *Tibi sit*, hoc est: *Vale*, *abeo*. Antiquum Vulgatæ manuscriptum exemplar Bibliothecæ nostræ Lovaniensis utrumque jungit: *Vale, vadam.* In Editione nova Hieronymi tantùm est: *Pax.*

℣. 42. *Panes primitiarum, viginti panes hordeaceos.* Plerique veteres Vulgatæ libri, etiam Sixti V. ex Chaldæo interjiciunt *Et. Panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos*, possetque ita intelligi Vulgata moderna, nisi obstaret Hebræus textus, qui cum græco *Et* illud omittit, minimè omissurus, si fuissent 20. panes hordeacei præter panes primitiarum, id enim exigeret modus loquendi Hebræorum.

VI. 27. *Non te salvat Dominus: unde te possum salvare?* Si hoc modo legamus, sensus erit: Cùm Deus te non juvet, omnesque nos tam dirâ fame affligat, quomodò ego te possum juvare?

Est tamen alia lectio plurimorum codicum Latinorum, signanter Hentenii, & Lovaniensium; nimirum hæc: *Non te salvet Dominus, unde te possum salvare?* Sic etiam est in Editione nova Hieronymi, atque etiam in Græco μὴ σε σώσαι Κύριος. *Ne te salvet Dominus.* Sic pariter textus Hebr. אל יושעך יהוה *Al joschiech Adonaj. Ne te salvam faciat Dominus.* Transfero *Ne*, quia אל *Al*, non est Hebræis simpliciter negantis particula, sed potiùs Dehortantis, Deprecantis, Recusantis. Eodem sensu frequenter sumitur græcum μὴ. Videtur igitur esse efferati regis, ac desperantis dira imprecatio.

Biblia Lovaniensium latina, gallica, flandrica ita interpungunt: *Non: te salvet Dominus*, ut sensus sit: Cùm mulier famelica clamasset: *Salva me Domine mi Rex*, ipse sciens se non posse mulieris inopiæ subvenire, hoc recusaverit, responderitque: *Non*, seu *Nequaquam*, sed *Te salvet Dominus* Deus, qui solus potest. Hunc sensum benè patitur hebræus textus, sed græcus vix, aut ne vix quidem; græca enim constructio non patitur hoc loco interpunctionem post μὴ, *Non*, seu *Ne*; nam tunc inciperet novus sensus per sequens σε, *Te*, quod insolens est græcis.

℣. 32. *Antequam veniret nuncius ille, dixit ad senes.* Interpunctio post *Ille* rectiùs collocaretur ante vocem istam, sicut ponitur in veteri manuscripto Bibliothecæ nostræ Lovaniensis, ita ut *Ille* non referatur ad *nuncium*, sed ad Eliseum dicentem, prout manifestè refertur in hebræo והוא אמר *Vehu amar. Et ille dixit. Antequam veniret nuncius ad eum, & ille dixit.* Eodem modo est in græco.

CAPUT VIII. XI. XII.

VIII. 2. *Diebus multis.* Aliqui libri Latini, omnesque Hebræi, Chaldæi, Græ-

Græci habent: *Septem annis*; ſed quia ſtatim præceſſerat in Vulgata, & mox iterum ſequitur: *Septem annis*, ne idem continuò repeteret Hieronymus, videtur ita mutaſſe.

XI. 6. *Sit ad portam Sur*. Ita etiam hebræa סור *Sur*. Mendum proinde erat, quod ante correctionem Clem. VIII. omnes penè Vulgatæ libri, etiam Sixti V. habebant *Seir*.

ŷ. 14. *Cantores, & tubas propè eum*. Malè libri aliqui pro *Tubis* legunt *Turbas*; nam *Tubas* habent Hebræa, Chaldæa, Græca.

XII. 18. *Universum argentum*. Videtur hîc *Argentum* ſumi pro *Pecunia*, cùm & in Regiis Latinis, & in Hebr. Chaldæo, Græco ſit: *Omne aurum*.

CAPUT XIV. XV. XVI. XIX.

XIV. 17. *Quindecim annis*. Ita legunt omnes textus II. Paral. xxv. 25. Atque etiam hoc loco habetur *Quindecim* in Hebræo, Chaldæo, Græco. Optimè igitur correctum eſt per Clem. VIII. quod ante in omnibus penè Vulgatæ libris legebatur: *Viginti quinque annis*.

XV. 19. *Terram*. ŷ. 20. *Terra*. Meritò ſic reſtitutum eſt ex hebræo, chaldæo, græco, cùm paſſim antea legebatur, etiam in Sixti V. *Therſam*, & *Therſa*. In nova editione Hieronymi eſt ŷ. 19. *Therſam*, ſed ŷ. 20. *Terra*.

XVI. 6. *Idumæi venerunt in Ailam*. Ita & græca, legendumque eſſe in hebræo ארומים *Idumæi*, monent Rabbini, ſeu Maſorethæ ad marginem ſacri textûs, in quo tamen uno apice mutato eſt ארמים *Aromim*. *Syri*, prout etiam in Chaldæo, & aliquibus Vulgatæ, cui lectioni admodum favet contextus. In quamplurimis Vulgatæ libris, prout & in nova Editione Hieronymi habetur: *Idumæi, & Syri*.

XIX. 16. *Ut exprobraret nobis Deum viventem*. Hoc eſt conforme textui Chaldaïco, qui habet: *Ut exprobraret populo Dei viventis*, vel *Deum viventem*. Aliàs in Hebræo, & Græco, ac Bibliis Vulgatæ Regiis, deeſt illud *Nobis*; quo ſublato ſenſus eſt clarior: *Ut exprobraret Deum viventem*.

ŷ. 17. *Terras omnium*. Non habetur in græco, chaldæo, hebræo: *Omnium*; ſed ארצם *Artſam*. *Terram earum*, prout etiam reperitur in quibuſdam Latinis.

CAPUT XXIII. XXV.

XXIII. 4. *Et in luco*. Aliqui Vulgatæ codices, prout & Editio nova Hieronymi, omittunt *In*; quod eſt conforme textibus Hebræo, Chaldæo, Græco לאשרה *La aſchera*. τῷ ἄλσει. *Ipſi luco*. Ex hoc loco lecto ſine *In*, itemque ex IV. Reg. xxi. 7. colligitur, quòd Manaſſes Idolum Veneris, aut Priápi, in, & cum luco fabrefacto, collocaverit in Templo Jeroſolymitano, Joſias autem juſſit omnia, quæ ad cultum illorum Idolorum adhuc ſupererant, amoveri, atque deleri; ût hîc refertur.

ŷ. 15. *Altare, quod erat in Bethel, & excelſum, quod fecerat Jeroboam*. Quamvis copula *Et* non ſit expreſſa in hebræo, chaldæo, græco, tamen in illis ſub-

ſubintelligendam eſſe, atque *Excelſum* ab altari fuiſſe diſtinctum, patet tum quòd hoc ipſo verſu ſequatur in hebræo, ſicut etiam in Vulgata correcta, *Altare illud, & excelſum deſtruxit*, tum quòd hîc *Excelſum* ſit ſubſtantivum, non Adjectivum *Altaris*, quia hoc in hebræo eſt maſculinum מזבח *Mizbeach*, at במה *Bama. Excelſum* femininum. Mendosè igitur Lovanienſes hoc poſteriori loco habent ſine copula: *Altare illud excelſum*. Deinde non rectè notant *Et* iſtud priori loco deeſſe in hebræo, cum, ùt dixi, virtualiter habeatur.

℣. 34. *Pharao... Joachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus eſt ibi*. Illa: *Et mortuus eſt ibi*, omittuntur in editione nova Hieronymi, item in Exemplari Vaticano Sixti V. variiſque antiquis Vulgatæ libris, atque etiam in Bibliis Lovanienſium, qui ſaltem notare debuiſſent iſta in græco textu haberi, prout & in hebræo וימת שם *Vajjamoth ſcham*.

XXV. 19. *Sexaginta viros*. Rectiſſimè in Clem. VIII. ſubſtituti ſunt *Sexaginta* viri, pro *Sex*, ùt antea erat in omnibus penè Vulgatæ libris, etiam in Sixti V. nam *Sexaginta* habent nedum hebræi ששים *Schiſchim*, ſed etiam Chaldæi, & Græci.

I. PARALIPOMENON.

CAPUT I. III.

PLurimi libri Vulgatæ, præſertim manuſcripti, atque etiam Editio nova Hieron. item Biblia Regia, ac prætereà hebræa, & græca, carent his, quæ in Vulgata correcta habentur ℣. 32. *Filii autem Dadan: Aſſurim, & Latuſſim, & Laomim*. In aliquibus tamen græcis habentur, & aliunde conveniunt cum Gen. xxv. 3. ex quo loco huc tranſlata videntur.

III. 22. *Et Saphat, ſex numero*. Ita omnes omnium linguarum textus, niſi quòd in variis antiquis libris Vulgatæ, atque etiam in exemplari Vaticano Sixti V. poſt *Saphat* addatur: *Et Seſa*, quam lectionem ſi ſequaris, invenies ſex: *Hattus, Jegaal, Baria, Naaria, Saphat, Seſa*; cùm aliàs dicantur *Sex*, ubi tantummodò quinque allegantur.

Sed dicendum eſt, unius filiorum Semejæ nomen antiquitùs excidiſſe, vel omiſſum eſſe, aut potiùs patrem *Semeja* connumerari. Iſtud autem: *Et Seſa* ſuperfluere, tenent omnes Doctores, hunc locum tractantes. Ratio eſt, quòd eo careant alii textus omnes, niſi quòd Hebræus poſt *Saphat*, ſine copula *Et* habeat ששה quod poteſt pronuntiari *Seſa*, ſed hebraïcè ſignificat *Sex*, qualiter hîc eſſe ſumendum conſtat ex eo, quòd omnes textus habeant *Sex*, etiam illi Latini libri, qui addunt *Seſa*; adeòque ſumenda eſt ea vox hebræa appellativè.

Deinde ſi filii nomen eſſet, adderetur illud in hebræo per copulam *Et*, ſeu ו quæ copula eſt antepoſita aliis nominibus filiorum ibi recenſitorum, non huic voci ששה Denique quòd numerum exprimat, patet ex vicinis, in quibus poſt enumeratos, exprimitur numerus ℣. 20. *Quinque*. ℣. 23. *Tres*. ℣. 24. *Septem*.

CA-

CAPUT VI. VII. VIII.

VI. 57. *Civitates ad confugiendum Hebron, & Lobna* &c. Passim in omnibus libris Vulgatæ ponitur comma ante vocem *Hebron*, quod hîc à codice Vaticano Clem. VIII. anni 1592. abesse, factum puto mero casu, nempè ex eo, quòd per vocem *Confugiendum* finiatur linea, ita ut spatium pro commate desit; unde tam in Codice Vaticano Sixti V. 1590. quàm Clem. VIII. anni 1593. expresse ponitur comma post vocem *Hebron*. Equidem in codice illo anni 1592. benè deest ista interpunctio, quam & in illo libro, & in aliis optarem poni post vocem: *Civitates*; nam istud: *Ad confugiendum* solam Hebron afficit, non *Lobnam*, & sequentes. Idem dicendum ad ℣. 67. *Urbes ad confugiendum, Sichem.* Ubi etiam comma tollendum ante *Sichem*, & collocandum post *Urbes*. Vide dicta ad Josuë XX.

VII. 7. *Vrai.* Rectiùs *Urai* dissyllabum, prout & *Ulam* ℣. 16. 17. & Cap. seq. ℣. 39. 40. Vide dicto Libro I.

VIII. 11. *Mehusim genuit Abitob.* Mallem legi duabus vocibus: *De Husim*, vel: *Ex Husim*, quàm unâ: *Mehusim*; Etenim non videtur *Mehusim* fuisse vir aliquis de Tribu Benjamin, de quo nihil præcessit; sed *Husim* femina fuit uxor *Saharaïm*, quam (ùt dicitur ℣. 8.) Saharaïmus repudiavit; tamen antequam repudiasset, *De*, seu *Ex* illa *Husim genuit Abitob.*

Istud hîc asseritur, prout benè notavit Lyranus, atque ita habet expresse textus Græcus: Καὶ ἐκ τῆς Ὡσὶν ἐγέννησε τὸν Ἀβιτώλ. *Et ex Osin genuit Abitol.* In græco textu uxor Saharaïmi ℣. 8. etiam inflexâ voce vocata fuerat Ὡσὶν, *Osin*, non *Husim*. Taliter etiam omninò videtur transferendus hebræus textus ומחשים *Et ex Husim*, vel: *Et de Husim*, qualiter vertunt Pagninus, Arias, aliique.

℣. 40. *Usque ad centum quinquaginta.* Notat hîc Franciscus Lucas: *Non subjicias* MILLIA, *quod prodigi quidam*, & quidem valdè multi, atque etiam Codex Sixti V. legentes: *Centum quinquaginta millia.* Sed *Millia* omittunt Hebræa, Græca, & meliores Latini libri, signanter Vulgata nunc correcta, nec ullatenus est verosimile posteros *Ulami*, à paucis tunc annis mortui, fuisse 150000. Lege textum.

CAPUT XI. XII. XIV.

XI. 14. *Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum: cumque percussissent Philisthæos.* Ita in plurali habet etiam Hebræus textus, quamvis plurimi Latini libri, cum editione nova Hieronymi, legant in singulari: *Hic stetit, defendit, percussit*, quod est conforme græco textui.

XII. 6. *De Carehim.* Fortè Hieronymus transtulit: *De Corehim*, seu: *De Coritis*, ùt est in Hebræo הקרחים *Hak-Korehim. Coritæ.* LXX. Κορῖται, hi etenim fuerunt posteri *Core.*

℣. 20. *Principes millium in Manasse.* Hoc est *Principes familiarum.* Eodem modo habetur in Hebræo, & Græco, non *Principes militum*, prout non rectè habetur in multis libris Vulgatæ, signanter Sixti V.

XIV. 2. *Cognovitque David quòd confirmasset eum Dominus.* Meritò in Vulgata omittitur modò vox *Eò*, quæ dissentientibus textibus hebræo, & græco, passim erat in Latino, etiam Sixti V. *Cognovitque David eò quòd confirmasset* &c. Potuisset pariter eadem vox omitti

℣. 8. *Audientes Philisthiim eò quòd unctus esset David*, quia etiam ibidem deest in hebræo, & græco; non tamen ibi adeò sensum alterat, ac fortassis idcircò propter constantem Latinam lectionem est retenta.

CAPUT XVI. XVIII.

XVI. 3. *Carnis bubalæ.* Videtur legendum *Bubulæ* (ùt est in editione nova Hieronymi) hoc est Bovinæ. Vide dicta II. Reg. VI. 19.

XVIII. 16. *Achimelech filius Abiathar.* Ita scribitur in aliis textibus tum hîc, tum alibi sæpiùs in hebræo אחימלך *Ahimelech*, sive *Achimelech*, qui hîc in variis libris Latinis, paucisque Græcis, atque etiam in Hebræo אבימלך *Abimelech.* Fortè appellabatur utroque nomine affini; nisi hîc in hebræo, & ex eo in aliquibus græcis & latinis, irrepserit mendum, quod varii tenent, signanter à Lapide, qui tamen pro ratione mutati per exscriptionem nominis, non rectè dicit: *Affines enim, & vicinæ sunt Hebraïcæ litteræ* ב *&* כ. Ista enim affinitas & vicinitas hîc nihil facit ad rem, cùm in hebræo nomine אחימלך non sit כ sed ח. Porrò cùm hebræa littera ח à translatoribus nunc per simplex *h* reddatur, nunc per *ch*, indifferens est sive hoc nomen scribas *Achimelech* (ùt scribitur in Vulgata I. Reg. XXII. & alibi) sive *Ahimelech*, prout hîc scribendum est, quandoquidem ita sit in utroque exemplari Vaticano Clem. VIII. 1592. & 1593. in Sixto V. 1590. atque etiam in editione nova Hieronymi.

CAPUT XXI. XXIII.

XXI. 5. *Quadringenta.* Ita etiam hebræa, & græca; est proinde mendosum, quod *Trecenta* legant varii Vulgatæ libri; imò *Omnes* Latini codices versionis Hieronymianæ, *quos inspexi*, ait Notator Edit. novæ Hieron. ideò etiam *Trecenta* ponens in Editione illa.

℣. 12. *Aut tribus annis famem.* Cùm sic etiam reperiatur in hebræo & græco, patet non rectè varios Vulgatæ libros, signanter Hentenii, & Lovaniensium habere: *Pestilentiam.* Alios: *Pestilentiam famis.*

℣. 30. *Nimio enim fuerat in timore perterritus.* Ita per hebraïsmum constanter Biblia Vaticana tum Sixti V. 1590. tum Clementis VIII. item Plantiniana 1603. 1618. & alia penè omnia. Quapropter miror sine *In* hæc verba referre Brugensem, & notare: *Non præponas nomini* TIMORE *præpositionem* IN; quæ equidem non præponitur in hebræo & græco, prout nec in multis Vulgatæ libris tum ante, tum post correctionem Clementinam editis.

XXIII. 3. *A triginta annis.* Antea passim habebatur in Vulgata, etiam Sixti V. *A viginti annis*, sed non rectè, ùt constat ex hebræo, & græco, in quibus est *Triginta.*

℣. 5.

℣. 5. *Et totidem Psalta.* Exigit Grammaticalis constructio, itemque textus hebræus, & græcus, ùt *Psalta* dicatur, non *Psaltes*, quod legunt Biblia Lovaniensium, & Sixti V.

℣. 29. *Et ad lagana azyma, & sartaginem, & ad torrendum.* Biblia Lovaniensium, & Sixti V. interponunt *Et* unum superfluum: *Et ad lagana, & azyma*, cùm sit in hebræo: *Ad lagana azymorum* (ùt etiam habet manuscriptum Vulgatæ Bibliothecæ nostræ Lovaniensis) seu *infermentatorum.* Similiter LXX. *In*, seu *ad lagana infermentata*, seu Azymas placentas.

Et ad torrendum. Hebr. ולמרבכת *Velammurbacheth. Et ad frixam*, vel *Tostam*, aut etiam: *Ad frixorium.* Unde sensu non discrepant plurimi Latini codices, qui cum Editione nova Hieronymi, habent: *Et ad ferventem similam.* Quam esse genuinam Vulgatæ lectionem, contendit Lucas Brugensis in Notationibus: Agitur enim hîc de *simila frixa*, aut *tosta.*

CAP. XXV. XXVI. XXVIII. XXIX.

XXV. 2. *Sub manu Asaph prophetantis.* Ita in singulari textus hebræus הנבא *Hannibba.* LXX. τȣ̃ προφήτȣ. Non *Prophetantes*, quod passim habent veteres libri, signanter Lovaniensium, & Sixti V.

Idem notandum ℣. 5. *Isti filii Heman videntis regis.* Pro quo difformiter ad hebræos, & græcos, multi libri latini, imò & Sixti V. in plurali *Videntes.*

XXVI. 28. *Omnes, qui sanctificaverant ea.* Præferenda est hæc lectio, cùm in hebræo sit, & in græco: *Omnis sanctificans*, seu *Qui sanctificaverit.* Deserta meritò illa multorum latinorum, signanter Lovaniensium, & Sixti V. *Omnesque sanctificaverant ea.*

XXVIII. 6. *Ædificabit domum meam, & atria mea.* Ita etiam græca & hebræa, non *Altaria*, ùt mendosè varii Vulgatæ libri.

XXIX. 6. *Principes possessionum Regis.* Mendosum est, quod legunt multi Vulgatæ codices: *Principes principum possessionum Regis.* Nam in hebræo est: *Principes operis*, seu negotii *Regis.* LXX. *Præfecti operum.*

II. PARALIPOMENON.

CAPUT II. IV. V.

CAp. II. Duo valdè notanda sunt ℣. 10. *Vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.* In primis omnes penè Vulgatæ libri ante correctionem Clem. VIII. etiam Lovaniensium, & Sixti V. omittunt illa: *Vini viginti millia metretas.* Cùm tamen expressè habeatur in hebræo & græco: *Vini Batos*, seu Metretas *viginti mille.*

Alterum est, quòd etiamnum Vulgata habeat: *Olei Sata viginti millia*, cùm certum sit fuisse quantitatem triplò majorem; nam tria Sata faciunt unum *Ephi*, seu *Batum*; at fuisse olei *Batos*, seu *Metretas* 20000. satìs constat ex hebræo, qui textus etiam de oleo habet: *Semen Battim esrim eleph. Olei Batos viginti millia.* LXX. etiam ùt supra de vino: 20000. μέτρων. *Metretas*, quæ *Batis* æquivalebant.

IV. 13. *Malogranata quoque quadringenta.* Hic numerus etiam habetur in hebræo, & græco; unde multum deficiunt varii Vulgatæ libri, qui pro *Quadringentis* legunt: *Quadraginta.*

V. 14. *Nec possent Sacerdotes stare.* Hoc importat hebræum ולא *Velo*, & græcum Καὶ οὐκ, non verò: *Ne possent* &c. quod habetur in Bibliis Lovaniensium, & Sixti V.

CAPUT VI. XI. XIII.

VI. 16. *Si custodierint filii tui vias suas.* Sic etiam LXX. & hebræa דרכם *Darcam. Viam suam.* Antea passim erat in Vulgata, etiam Sixti V. *Vias meas.*

XI. 4. *Revertatur unusquisque in domum suam, quia meâ hoc gestum est voluntate.* Cùm hæc etiam in græco & hebræo habeantur, non rectè ab aliquibus latinis omittuntur.

XIII. 3. Abias Rex Juda in exercitu suo dicitur habuisse: *Viros bellicosissimos, & electorum, quadringenta millia: Jeroboam instruxit econtra aciem octingenta millia virorum.* Tot Pugnatorum millia in una Israëlitica gente aliquibus incredibilia visa sunt, qui propterea non correxerunt, sed corruperunt textum, in Vulgata scribentes priori loco: *Quadraginta millia,* posteriori: *Octoginta millia,* atque ita habent plerique libri antiqui, & hos secutus codex Vaticanus Sixti V. Sed, ùt dixi, mendosè, nam in hebræo est: *Quatuor centena millia*; item: *Octies centena millia.* Eundem numerum exprimunt textus Græcus, Syriacus, Arabicus &c. Nec adeò incredibilis erat hic numerus, cùm in una Tribu Juda numeraverit Joab II. Reg. XXIV. 9. *Quingenta millia pugnatorum.* Cui Tribui tempore Abiæ accessio facta erat tum integræ Tribus Benjamin, tum plurimorum Israëlitarum ex aliis Tribubus II. Paral. XI. 14. & 16.

Similiter II. Paral. XIV. 8. *Habuit Asa in exercitu suo... de Juda trecenta millia, de Benjamin verò... ducenta octoginta millia.* Item Josaphat habuit in solo Regno Judæ milites 1160000. hoc est *Undecies centena millia, & sexaginta millia,* ùt constat ex II. Paral. XVII. ubi additur ℣. 19. *Hi omnes erant ad manum Regis,* seu parati ad bellum, *exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis in universo Juda.* Considerandum est, illis temporibus omnes penè subditos viribus valentes, ingruente bello, ad militiam procedere solitos.

℣. 17. *Corruerunt vulnerati ex Israël quingenta millia virorum fortium.* Ita etiam Hebr. Græc. Syr. Arab. Quapropter mendosum est, quod habent multi Latini libri, cum Sixti V. *Quinquaginta millia:* Illi nimirum libri sic habent, qui ℣. 3. legunt *Quadraginta,* & *Octoginta.*

CAP. XIV. XV. XVI. XVII. XIX.

XIV. 8. *Octoginta.* Cùm ita sit etiam in Hebræo, & Græco, non est legendum: *Septuaginta,* quod habent varii Vulgatæ libri.

XV. 1. & 8. *Oded.* עודד ὠδήδ. Non scribitur exactè in quibusdam Latinis, in novâ Editione Hieronymi, & Codice Sixti V. *Obed.*

℣. 19.

℣. 19. *Usque ad trigesimum quintum.* Varii omittunt *Quintum.* Aliqui *Trigesimum.* Neutrum esse omittendum patet ex hebræo, & græco.

XVI. 13. *Anno quadragesimo primo.* In hebræo expressè habetur: *Quadragesimo & uno.* Mendum proinde est, quod quidam Latini, cum aliquibus Græcis omittant: *Unum*, seu *Primum.*

XVII. 8. *Thobiam, & Thobadoniam.* Exactiùs scriberetur *Tobiam, & Tobadoniam*, qualiter scripserunt LXX; nam utriusque nominis prima littera est in hebræo ט quæ valet simplex *T*, non *Th*.

XIX. 11. *Et erit Dominus vobiscum in bonis.* Multi libri Vulgatæ, & nova editio Hieronymi legunt: *Et erit Dominus cum bonis*, quod magis accedit ad hebræum: עם הטוב *Im hat-tob. Cum bono*, nempè unoquoque. Ita etiam LXX.

CAPUT XX. XXIII.

XX. 24. *Juda cùm venisset ad speculam.* Ita legendum esse, non verò *Speluncam*, quod in multis Vulgatæ libris est, patet ex hebræo מצפה *Mitsphe. Specula*, item ex græco Σκοπια, Locus, è quo procul speculari possumus.

℣. 34. *Quæ digessit in libros Regum Israël.* Videtur errore typographico irrepsisse plurale *Libros*, primùm in prima Biblia Hentenii anni 1547; & exinde in sequentia tum ipsius, tum Lovaniensium, tum Vaticana &c. Hoc tantò magis fit verisimile, quòd Lovanienses non notent ullum Vulgatæ codicem manuscriptum, aut originalis linguæ textum aliter legere; cùm tamen anteriora Biblia Vulgatæ & impressa, & manuscripta, quantùm scio, omnia, habeant singulare *Libro*, prout etiam singulare reperitur in Hebræo, & Græco.

XXIII. 11. *Imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem.* Ad hæc ita Franciscus Lucas: Tametsi multi Latinorum codicum omittant illud: *Et testimonium*, quidam verò ejus loco omittant id quod sequitur: *Dederuntque in manu ejus tenendam legem*; neutrum tamen omittendum censuerunt Correctores, ùt unum alterius, id est posterius prioris expositionem. Ita ille. In Hebræo & Græco tantùm est: *Et testimonium.* Sed hoc non fuit aliud, quàm liber Legis, quem Regi Joas in manu tenendum dederunt, tali ritu ipsum puerulum inaugurantes.

CAP. XXV. XXVI. XXVIII. XXIX. XXX.

XXV. 5. *Invenitque trecenta millia juvenum.* Eundem numerum exprimunt textus hebræus & græcus, non *Triginta millia*, quod habebant omnes penè Vulgatæ libri, etiam Sixti V.

XXVI. 17. *Sacerdotes Domini octoginta.* Tot quoque numerantur in hebræo & græco; mendum proinde est in aliquibus latinis legentibus: *Septuaginta.*

XXVIII. 9. *Nomine Oded.* Ita per duplex *d* scribi debere docent hebræa & græca, non *Obed*, ùt passim erat in latinis, signanter Sixti V.

XXIX. 3. *Ipse anno, & mense primo*

regni sui. Benè reflectendum est, ut scribatur *Ipse*, non *Ipso*, quod in plurimis Vulgatæ libris invenitur. In hebræo est הוא בשנה *Hu basschana. Ipse in anno* &c.

XXX. 3. *Non enim potuerant facere in tempore suo.* Etiam in hebræo & græco est: *Potuerant*, non: *Occurrerant*, quod est in Bibliis Lovaniensium, Sixti V. & plurium aliorum.

℣. 7. *Qui tradidit eos.* Non est, inquit Franciscus Lucas, mutandum *Qui* relativum, cum *Et* conjunctione. Ita ipse. Attamen si sequamur hebræa & græca, legemus: *Et tradidit eos.* Ita enim in illis est.

CAP. XXXI. XXXII. XXXIV. XXXVI.

XXXI. 13. *Ad quos omnia pertinebant.* Hæc in aliquibus latinis desunt, neque leguntur in græco, aut hebræo.

XXXII. 29. *Et urbes ædificavit sibi.* Sic etiam absque numero urbium est in hebræo, & græco. Nescio undenam in codice Vaticano Sixti V. & antiquioribus Vulgatæ libris penè omnibus irrepserit: *Et urbes sex ædificavit.* Nisi fortè pro עשה *Asa. Fecit, Fabricavit*, putaverint aliqui voce hebræâ simili quoad scriptionem, fuisse in hebræo ששה *Schissa. Sex.*

XXXIV. 4. *Super tumulos eorum.* Aliqui similitudine vocis decepti, scripserunt *Cumulos*; sed in hebræo est קברים *Kebarim. Sepulchra.* In græco Μνημάτων. *Monumenta*, nimirum *Sepulchralia.*

XXXVI. 10. *Regem verò constituit Sedeciam patruum ejus.* Sedeciam fuisse *Patruum*, non *Fratrem* Joachini, seu Jechoniæ, cui successit in regno, habent omnes omninò textus IV. Reg. XXIV. 17. atque etiam hoc loco plurimi libri Vulgatæ, insuper constanter græcus textus ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. *Fratrem patris ejus.* Unde videtur sic etiam fuisse primitùs in hebræo textu hoc loco, nempè vel דודו *Dodo. Patruum*, vel אחי אביו *Achi abiu. Fratrem patris ejus.* Quamvis nunc tantùm habeat אחיו *Achiu. Fratrem ejus.*

Verosimiliter tamen Hagiographus hebræus *Fratrem* posuit pro Consanguineo, nempè *Patruo*, quomodò Gen. XXIX. 15. Laban avunculus Jacobi, Jacobum *fratrem* appellat: *Num quia frater meus es gratìs servies mihi?* Est hoc admodum probabile, atque etiam *Fratrem* (hoc sensu) habent varii libri Vulgatæ à Lovaniensibus indicati, item editio nova Hieronymi, ubi in notis additis dicitur ita esse in manuscriptis plerisque antiquioribus, quibus usus est, & quos enumerat Auctor.

I. ESDRÆ.

CAPUT I.

VAsa Templi Jerosolymitani à Cyro restituta referuntur ℣. 8. *Per manum Mithridatis filii Gazabar.* Istud *Filii* non habetur in ullo textu præter Vulgatam: nomen verò *Gazabar* non videtur esse proprium patris Mithridatis, sed ipsius Mithridatis nomen appellativum, seu officii; sicut in hoc, & sequenti libro Quidam *Reum* sæpiùs appel-

appellatur *Beëlteëm*: *Reum Beelteëm*. Vide IV. 7. quòd sic pariter ipse Mithridates fuerit הגזבר *Hag-gazabar*, hoc est Thesaurarius, ùt post Josephum Flavium explicat Lyranus, aliique.

Suadet idipsum, quòd, ùt dixi, desit in hebræo nomen *Filii*, item quòd isti nomini *Gazabar* præponatur Articulus præpositivus, sive ה littera, quæ non solet in hebræa lingua præponi nominibus propriis personarum. Denique *Thesaurus* Persicè, & Chaldaïcè vocatur *Gaza*, unde *Gazabar*. Hæc autem vox Persica, videtur Cyri Persici Regis ministro tributa, cui Thesaurorum cura demandata erat, ùt ex hac historia colligitur. Nec usquam alibi in hebræo textu reperitur hæc vox, nam non, nisi unico hoc loco, illam Concordantiæ Hebraïcè exhibent; unde non subsistit, quod hîc scribit Tirinus: *In aliis Scripturæ locis idem verbum Hebræum Gazabar, non ùt proprium nomen, sed ùt appellativum pro Thesaurario usurpatur*. In Græco est Μιθραδάτȣ γασβαρηνȣ̃.

CAPUT II.

℣. 6. *Duo millia octingenti duodecim*. Idem præcisè numerus habetur in hebræo & græco; unde mendosi sunt libri, qui legunt *Nongenti*, pro *Octingentis*. Prout etiam malè legunt aliqui ℣. 16. *Nongenti octo*, pro *Nonaginta octo*, ùt est in Hebræo, Græco, &c.

℣. 66. *Equi eorum septingenti triginta sex*. Meritò sic correctum est, cùm eundem numerum exprimant hebræa, & græca, imò etiam liber II. Esdr. VII. 68. Antea passim in Vulgata legebatur, etiam in Sixti V. *Sexcenti triginta sex*.

℣. 69. *Auri solidos sexaginta millia & mille*. Ita pariter græca: *Sex Myriades & mille*. Item hebræa: *Sexies decem millia & mille*. Deficiebat antea Vulgata, etiam Sixti V. legens: *Quadraginta millia & mille*. De quo ita Franciscus Lucas in Notationibus: *Sic Latini codices habent scripti, quos consuluimus, omnes, impressi penè omnes*. Præfert tamen, & meritò lectionem modernam. In codice manuscripto in 4. Bibliothecæ nostræ habetur CCCC *milia, & mille*, hoc est *Quadringenta milia & mille*. Quod nimium excedit.

Mendum de 41000. irrepsit, quòd transpositis litteris numeralibus, pro LX. scriptum sit XL. vel potiùs audaciâ scioli alicujus, putantis hîc mendosè scribi *Sexaginta*, cùm II. Esdr. VII. à ℣. 70. tota summa auri collecta, sc. Nehemiæ 1000. Principum 20000. & reliqui populi 20000. tantùm efficiat solidos, seu drachmas 41000.

Ad quod respondeo, vel aliam esse istam oblationem, quæ refertur II. Esdr. VII. (cùm nec in argènto donato summa conveniat, circa quam tamen in loco, quem tractamus, omnes codices concordant) vel si sit eadem historia, dicendum, quòd ad illa speciatim enumerata à Nehemia II. Esdr. VII. accesserint deinceps alia 20000. quæ Esdras hîc connumerat, unamque summam totalem refert. Sicut idem etiam Alii dicere debent de summa argenti oblati, quæ ab Esdra hîc asseritur major, quàm ibi à Nehemia numeretur.

CAPUT III. IV.

III. 7. *Ad mare Joppe.* Perinde est sive hebræum יפוא legas indeclinabiliter *Joppe*, sive genitivo casu *Joppes*, ùt habet Codex Sixti V. & LXX. Ἰόππης. Sed minùs genuinum est, quod habent Biblia Lovaniensium in Accusativo: *Ad mare Joppen.*

ỳ. 12. *Qui viderant templum priùs cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum.* Interpunctio ante *Et hoc* rectiùs ibidem sublata, collocaretur ante *Cùm*; ita enim omisso *Et* habet hebræus textus: *In fundari*, seu *Cùm fundaretur hoc templum.* Edit. nova Hieron. *Qui viderant templum priùs, quàm fundatum esset hoc templum* &c. Vide dicta libro præcedenti.

IV. 7. *Scripsit Beselam Mithridates, & Thabeel.* Interpretes LXX. Hebræum בשלם *Beselam*, vel *Beschalem*, acceperunt tamquam vocem appellativam, qualiter sumpta significat *In pace*, ùt ipsi transtulerunt ἐν εἰρήνῃ. Eodem sensu, Lyrano teste, accipiunt Judæi, transtuleruntque Xantes Pagninus, & Arias Montanus, nempè illos Judæorum hostes, ac si nihil mali molirentur, dolosè, & quasi pacificè scripsisse.

ỳ. 23. *Reum Beelteëm.* Hìc quidem in hebræo omittitur cognomen istius *Reum*, nempè *Beelteem*; sed additur in græco, ipsique passim aliis Scripturæ locis in omnibus textibus tribuitur, signanter hoc capite ỳ. 8. *Reum Beelteem, & Samsai* &c. Porrò videtur potiùs nomen appellativum, quàm proprium; significat enim Dominum, Principem, vel Præfectum Rationis, & Sapientiæ, q. d. primus Consiliarius Regis בעל־טעם *Beel*, vel *Baal. Dominus*, & *Taam*, vel *Teëm. Ratio, Consilium* &c.

CAPUT VI. VIII.

VI. 15. *Sextus regni Darii regis.* Ita meritò est restitutum in Editione secundâ Vaticanâ Clementis VIII. nempè anni 1593. Sic enim præcisè habetur in chaldæo, & græco. Unde ita habent modò recentiores Vulgatæ editiones, cùm, omissâ voce *Regni*, legerent: *Sextus Darii regis*, non sola Biblia Lovaniensium, sed pleraque alia Latina; ipsaque Vaticana tum Sixti V. 1590. tum Clem. VIII. 1592. Index equidem correctorius pro Bibliis 1592. monet addendum esse *Regni.*

VIII. 3. *De filiis Sechenia, filiis Pharos.* Non sine causa sublatum est *Et* medium, quòd antea passim erat in Vulgata, etiam Sixti V. *De filiis Sechenia, & de filiis Pharos*; nam copula illa deest in Hebræo, & Græcis plerisque. Ambo habent: *De filiis Sechenia, de filiis Pharos*, quod postremum videtur additum ad distinctionem alterius *Sechenia*, de quo ỳ. 5. LXX. Sixtina addunt Καὶ *Et.*

ỳ. 14. *Zachur.* Videtur Hieronymus pro ב *b* legisse litteram simillimam כ *ch*, & ר *r* pro affini ד *d*; nam & modo in hebræo est, & LXX. legerunt זבוד *Zabud*, Ζαβοὺδ, non זכור *Zachur*, Ζαχοὺρ.

CA-

CAPUT IX. X.

IX. 8. *Ut daretur nobis paxillus.* Hoc est parvus palus. Pro hâc unâ voce ex inadvertentia exscribentium in quàm plurimis Vulgatæ codicibus irrepserant duæ: *Pax illius*; sed in hebræo non est שלמו *Schelomo. Pax illius*, sed יתד *Jathed. Clavus, Paxillus* ad aliquid firmiter tenendum. Similiter in græco non est εἰρήνη ἀυτȣ̃, sed στήριγμα. *Firmamentum, Fulcimentum.*

℣. 9. *Ut... daret nobis sepem*, seu murum, qui cingebat Jerusalem, & tutos reddebat Judæos. Ita etiam LXX. φραγμὸν, *Sepem*, & hebræus textus גדר *Gader*, non בטח *Betach*, aut ἐλπίδα, *Spem*, ùt legit Lyranus, & irrepserat in plerisque libris Vulgatæ, erasâ unâ litterulâ vocis *Sepem.*

X. 34. *Vel.* Viri nomen est Dissyllabum, ùt patet ex hebræo אואל & græco ὀυὴλ, rectiùsque scriberetur *Uel*, prout est impressum in nova editione operum S. Hieronymi.

II. ESDRÆ.

CAPUT II. III.

CAp. II. 8. *Ut tegere possim portas turris domûs, & muros civitatis, & domum, quam ingressus fuero.* Ita etiam est in græco, atque hebræo; ac propterea præstat sic legere, quàm: *Ut tegere possim portas Templi, turres domûs* &c. qualiter legunt Lovanienses, & alii permulti: At Codex Sixti V. *Portas Templi, turres, domus.*

III. 6. *Ipsi texerunt eam.* Dicitur à *Tegere*, atque ita, sive *Contignaverunt*, habetur in hebræo, & græco, non verò *Texuerunt*, quasi à *Texere*, quod legitur mendosè in Bibliis Sixti V. 1590. & Lovaniensium: eademque verba hebræa & græca, quæ habentur hoc ℣. 6. etiam in Bibliis Sixti V. benè translata sunt, & impressa ℣. 3. *Texerunt.*

℣. 30. *Scruta vendentium.* Solebat in Vulgatæ libris penè universis haberi *Scuta*, seu Arma *vendentium*; sed congruè substitutum est *Scruta*, hoc est omnifaria veteramenta, quia de *Scutis*, seu armis, nihil est in hebræo, aut græco; sed in hebræo רכלים *Rochelim. Negotiatores.* LXX. Sixtina Ῥωποπῶλαι, à πώλης, *Venditor*, & ῥῶψ *Merx exigui momenti.* Porrò Interpretes LXX. utpote temporibus Esdræ vicini, & Jerosolymæ multùm versati, optimè norant, quales *Mercatores* in illa urbis parte habitabant.

℣. 31. *Inter cœnaculum.* Hebræa בין *Been. Inter.* LXX. ἀναμέσον. *Intermediè.* Quapropter non rectè plures Vulgatæ libri pro *Inter*, habent: *Usque ad.*

Ibidem: *Aurifices.* Hebr. צרפים *Tsorephim. Fusores, Conflatores*, quorum præstantiores sunt *Aurifices.* LXX. tamen verterunt χαλκεῖς, *Ærarii fabri.* Lectio communis antiqua Vulgatæ, etiam Sixti V. habet: *Artifices.*

CAPUT VI. VII.

VI. 2. *In viculis in campo Ono.* Sic etiam est in hebræo & græco. Addo verba Estii: Miror quid potuerit oscitantia librariorum; nempè hîc duplex

 irrep-

irrepserat error, nam sic pridem legebatur (atque etiam invenitur apud V. Bedam, & Lyranum, qui tamen notavit mendum) *In vitulis in campo uno.* Quasi vitulorum, seu taurorum oblatione, in aperto campo, pro securitate utriusque voluerint fœdus sanciri. Sed rectè corrigunt Sixtina (intelligit Estius *Clementina*) Biblia tam ex hebræo, quàm ex LXX. nempè ut sensus sit: Percutiamus fœdus in viculis, seu locis, quæ sunt in campo, seu planitie, quæ vocatur *Ono.* Ita Estius. Biblia Sixti V. 1590. habent: *In vitulis in campo Ono.*

VII. 12. *Mille ducenti quinquaginta quatuor.* In hebræo & græco numerantur quoque *Ducenti*, non *Octingenti*, prout antea erat in multis Vulgatæ libris, etiam Sixti V.

℣. 21. *Filii Hezeciæ nonaginta octo.* Non plures allegant textus hebræus, & græcus; unde in Bibliis Clem. VIII. correctum est, quod antea in Sixti V. & quibusdam aliis legebatur: *Nongenti octo.*

℣. 66. *Quadraginta duo millia trecenti sexaginta.* Ita pariter est in hebræo, & græco, non *Sexcenti*, quod passim antea erat in Vulgata, etiam Sixti V.

Post ℣. 69. alio charactere interponuntur in Vulgatâ quædam verba, quæ tamen juxta Omnes non sunt de textu Scripturæ, sed tantùm aliqua Nota, forsitan ab ipso Hieronymo interposita, neque reperiuntur illa verba in hebræo aut græco, omittuntur etiam in nova editione Hieronymi, & in Vaticano codice Vulgatæ Sixti V. Franciscus Lucas putat, quòd congruentiùs ponerentur post finem totius capitis septimi; imò qui Notas apposuit, ediditque novam Hieronymi Editionem testatur in aliquibus manuscriptis ista verba interponi post ℣. 2. Cap. VIII.

CAPUT VIII. IX. X. XI.

VIII. 6. *Benedixit Esdras Domino Deo magno.* Ita quoque hebræa & græca, non *Voce magnâ*, ùt ante correctionem Clem. VIII. omnes penè Vulgatæ libri, etiam Sixti V.

IX. 35. *Ipsi in regnis suis.* Non est in græco, aut hebræo additum: *Bonis*, quod plerique libri veteres in Vulgata adjiciunt.

X. 1. *Nehemias, Athersatha.* Superfluit illa interpunctio media, & sensum variat, eâ enim interpositâ viderentur alii esse homines *Nehemias*, & *Athersatha*, præsertim si attendas totum contextum; at *Nehemias ipse est Athersatha*, alio nomine dictus, prout etiam in hebræo, asseritur Cap. VIII. 9.

Porrò התרשתא *Hat-thersatha*, videtur fuisse *Nehemiæ* cognomen, seu potiùs nomen officii; nam שתה hebraïcè, seu chaldaïcè שתא *Satha*, significat *Bibere*, item *Potum.* תר *Thar* verò pro שר *Sar. Principem, Præpositum, Præfectum*, mutato ש *S.* in ת *T* quod usitatissimum est Chaldæis. Denique ה *h*, sive *a* nomini præpositum, est merus Articulus, hîc dignitatem, sive officium indicans, q. d. *Hic Pincerna Regis*, seu *Pocillator. Den schencker*, qualem fuisse Nehemiam constat ex II. Esdr. II. 1. Hæc est mea propria

pria ſpeculatio, quam libenter ſubjicio criſi doctiorum.

XI. 6. *Sexaginta octo viri fortes.* Legebatur antea paſſim in Vulgata: *Sexaginta novem*; ſed minùs rectè, quia etiam in hebræo & græco numerantur *Sexaginta octo* tantùm.

℣. 35. *Lod & Ono.* Defectuosè Lovanienſes, ac plerique alii omiſerunt urbem *Lod*, quam expreſsè adducunt tum græca, tum hebræa לד ואונו *Lod ve-Ono.*

TOBIAS.

CAPUT III. VI. VIII. XII.

CAp. III. 21. *In correptione.* In Scriptura frequenter ſumuntur pro iiſdem *Correptio*, & *Correctio*, quod hîc legitur in Vaticanis Sixti V. 1590. ſed mendoſum eſt, quod Biblia Hentenii, & Lovanienſium habent: *In corruptione*; non enim hoc aptè cohæret cum aliis verbis ſacri textûs. In græco multa deſiderantur ex hoc libro, ſignanter hic verſus 21.

VI. 9. *Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Hæc injuriâ abſunt à multis libris antiquis, cùm etiam in græcis reperiantur. Hebræa hîc, & in libro Judith non adduco, quia genuina non exſtant, & ea, quæ circumferuntur, parvæ ſunt authoritatis.

VIII. 9. *Accipio ſororem meam conjugem.* Notant Lovanienſes iſtud *Conjugem* à 13. Latinis Manuſcriptis abeſſe, itemque à græcis: equidem meritò illud retinuerunt Correctores, quia maniſeſtè ſubintelligitur in illis, in quibus non exprimitur, & in græcis indicatur per circumſtantias & pronomen: Α'δελφὴν μȣ ταύτην. *Sororem meam hanc.*

XII. 9. *Eleëmoſyna... facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Iſtud *Miſericordiam &* omittunt valdè multi libri Vulgatæ, omittunt etiam græci.

JUDITH.

CAPUT I. VIII.

CAp. I. 2. *Fecit muros ejus in latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta.* Plerique veteres Vulgatæ libri, ſignanter Lovanienſium, Altitudini *Septuaginta*, Latitudini verò *Triginta* cubitos tribuunt. Græcus textus etiam Altitudini τὸ ὕψος aſſignat ἑβδομήκοντα *Septuaginta*, at Latitudini πεντήκοντα. *Quinquaginta*, variaque addit, quæ nec ſunt in Vulgata, nec multùm Authentica.

VIII. 1. *Filii Simeon, filii Ruben.* S. Fulgentius, Bellarminus, Serrarius, Magrius, & quidam alii, cenſent hîc pro *Ruben* ſubſtituendum eſſe *Iſraël*, ſicut habetur in græco, conſtatque ex Cap. IX. 2. Judith fuiſſe de Tribu *Simeonis*; Simeon autem non *Rubeni*, ſed *Iſraëlis* filius fuit. Alii dicunt *Simeonem*, & *Rubenum* hîc in Vulgata recenſitos, non fuiſſe immediatos Jacobi filios, ſed aliquos poſteriores, quorum proavus fuit Simeon Patriarcha filius Jacobi.

CAPUT X. XVI.

X. 3. *Unxit se myro optimo.* Sic omninò legendum est, atque etiam legitur in græco μύρῳ, hoc est *Unguento*, non *Myrto*, ùt vulgò legitur, inquit Franciscus Lucas.

℣. 5. *Imposuit itaque Abra sua ascoperam.* Hoc est *Peram coriaceam*, quam significat græcum ἀσκοπήρα, quod plerique non rectè legunt *Ascopam*, quæ vox nihil significat græcè, aut latinè.

Ibidem: *Palathas.* Sic etiam est in græco; sunt autem *Palatha* massa caricarum, seu ficorum siccarum, ac compactarum. Lovanienses Aliique multi mendosè legunt transpositis litteris *Lapates.*

XVI. 2. *Exaltate, & invocate nomen ejus.* Ita & græca ὑψῶτε, quod meliùs huic loco convenit, quàm *Exultate*, qualiter habent passim antiquiores Vulgatæ libri, etiam Sixti V.

ESTHER.

CAPUT I.

VErs. 6. *Aërii coloris & carbasini.* Pro duplici hoc colore in hebræo est tantùm una vox כרפס *Carpas*, quæ nusquam alibi reperitur in hebræo textu. Interpres noster videtur pro colore *Aëreo* sumpsisse, ut sequens *Carbasini* per hoc explicaret (etenim *Aërii* legendum est, non *Aërei*, ùt pauca habent exemplaria) intelligit porrò cæruleum ad albedinem deflectentem, qualem exhibet cœlum sudum. Rabbini *Carpas* explicant *Viridem.* Alii cum LXX. *Candidum*, habent enim Βυσσίνοις, καὶ Καρπασίνοις. Pro *albo* seu *candido* colore facit, quòd tam in Hebræo, quàm in Vulgata sequatur, *Ac Hyacinthini*, qui etiam cæruleus est, seu *Aërius.*

Cùm רפס hebraïcè significet in passivo *Conculcari*, *humiliari*, quidni hìc ubi de coloribus agitur, significet humilem, ac conculcari solitam *violam*? Itaque כ, seu prima littera vocis כרפס sumatur ùt præfixa, quomodò valet *Sicut*, *Quasi.* Tunc sensus erit: *Coloris* כרפס *Quasi viola* floris, hoc est *violacei.* Ita videtur sumpsisse Hieronymus, cùm vertat *Aërii.* Hæc mea est speculatio, de qua judicent doctiores. Vide quæ habentur infra libro 3. ad Exod. xxxv. 23.

Porrò cùm & in hebræo sit *Carpas*, & in græco Καρπασίνοις, existimant varii rectiùs in Vulgata scriptum fuisse *Carpasini*, quàm *Carbasini*; sed variæ linguæ variant in similibus nominibus facilè litteram unam.

CAPUT II. III. IV.

II. 7. *Qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissa.* Vide quæ circa hunc locum notavi libro præcedenti. Solùm verbo repeto, vel *Fratrem* dici pro *Consanguineo* (quod Hebræis familiare) tum hìc, tum ℣. 15. Vel potiùs excidisse vocem *Patris*, & legendum: *Filiæ fratris patris sui*, prout in terminis habet græcus textus. Idem, nempè *Patruum*, significat Hebræum atque Chaldæum דוד *Dod.*

℣. 12. *Oleo ungerentur Myrrhino.* Sic

etiam

etiam est in hebræo מר *Mor*, & græco σμυρνίνῳ, atque adeò benè deserta antiqua communior Vulgatæ lectio: *Oleo myrtino*, seu de *Myrto* arbore, quam tamen lectionem retinuit editor novus operum S. Hieronymi, qui & in notis suis ait: *Optimè legunt manuscripti omnes Myrtino*; sed ipse illud *Optimè* non probat optimè.

III. 15. *Cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus*. In variis Vulgatæ libris omittitur vox Judæis, quæ pariter deest in Hebræis, Chaldæis, Græcis. Eâdem etiam caret editio nova Hieronymi.

IV. 16. *Orate pro me*. Hoc indubiè Esther requisivit, ùt de jejunio statim additur in omnibus textibus: *Non comedatis* &c. Attamen in hebræo non habetur *Orate*, sed *Jejunate* צומו *Tsumu*, quomodò etiam est in Græco, & Chaldæo.

CAPUT VIII. XI.

VIII. 1. *Quod esset patruus suus*. Mallem legere *Patruëlis*, propter dicta Cap. II. 7. tum hoc, tum præcedenti libro.

℣. 4. *Sceptrum aureum protendit manu*; seu *Extendit* ad Estherem, ùt est in hebræo, neque adeò hîc congruit verbum *Protendit*, quod habent Lovanienses.

℣. 11. *Et spolia eorum diriperent*. Cùm ista sint etiam in Hebræo & Chaldæo, non erant omittenda in Vulgatæ libris, tum Sixti V. tum aliis passim omnibus, quamvis LXX. compendio utentes illa non ita expresſè habeant.

XI. Integer primus versus hujus capitis: *Anno quarto* &c. multò congruentiùs fuisset positus pro ultimo versu Capitis X. quàm pro primo Capitis XI. Est enim aliquod additamentum libri Esther, à quodam incerto Auctore adjectum, ùt ex ipsis verbis patet, illudque S. Hieronymus etiam adscripsit, quia in fine Vulgatæ istud pro clausula libri additum invenerat, sicut ipse dicit in Nota, hîc in Vulgata posita ante Capitis X. versum quartum.

Versus autem secundus Capitis XI. in Vulgata solebat esse, atque ordine historiæ est, ipsum libri Esther initium, quod constat ex illis, quæ hîc ante ℣. 2. Hieronymus adnotavit.

CAPUT XV. XVI.

XV. 1. *Et mandavit ei (haud dubium quin esset Mardochæus.)* Ita, nempè *Esset*, non *Esther*, habetur in omnibus Bibliis Vaticanis Clem. VIII. nempè 1592. 1593. 1598. item in Romanis 1624. Coloniensibus 1666. & 1679. ac Parisiensibus 1691. Denique in variis Vulgatæ libris Correctionem Clementinam præcedentibus; communis tamen lectio tum præcedentium hanc correctionem, tum sequentium librorum habet *Esther*, ita: *Haud dubium quin Esther Mardochæus*. De quo ita Franciscus Lucas in libro *Romanæ Correct.*: *Nomen proprium Esther, cave mutes in verbum substantivum Esset*. Sed miror hanc ipsius cautelam, cùm ex hoc ipso ejus libello constet Franciscum usum fuisse editione Vaticanâ Clem. VIII. anni 1593. in qua, ùt dixi, oculisque propriis

priis iteratò perſpexi, habetur expreſsè *Eſſet*, non *Eſther*.

Interim, meo judicio, parùm refert utrovis modo legatur, cùm hæc verba non videantur eſſe de textu. Unde omittuntur in Exemplari Vaticano Sixti V. quod eſt anni 1590. in quo ſolùm eſt: *Et mandavit ei Mardochæus*. In nova autem operum Hieronymi Editione habetur iſta Parentheſis: *Haud dubium quin Eſther Mardochæus*, altero, ſeu curſivo charactere, ùt notetur non eſſe de textu, quod etiam puto poſt Petrum Lanſſelium, Marianæ continuatorem, & Didacum Celadam. Hic ait: Haud dubium, quin hanc Parentheſim Hieronymus addiderit, cùm ea in Græcis codicibus non habeatur (addo ego: Neque in ullis aliis) habetur autem hoc Mardochæi mandatum Cap. IV. 8. unde neceſſe non fuit, ut inibi diceretur quòd Eſtheri hæc Mardochæus mandavit, ibi enim fiebat expreſſa Mardochæi mentio, atque adeò ſupervacaneum foret id expreſſiſſe, ſecus hoc loco, ùt notavit Mariana. Ita Celada.

Hieronymus ergo illa addidit, quia hæc à reliquo textu (utpote in Hebræo non reperta) reſecavit, & ad calcem libri tranſtulit, itaque ex abrupto incipiens: *Et mandavit ei*, voluit hac parentheſi Hieronymus explicare Quis cui mandavit, nempè Mardochæus Eſtheri; quapropter mihi magìs veroſimile videtur Hieronymum ſcripſiſſe *Eſther*, quàm *Eſſet*.

℣. 4. *Die autem tertio depoſuit veſtimenta ornatûs ſui, & circumdata eſt gloriâ ſuâ*. Videtur hæc ſententia ſe ipſam evertere, quomodò enim *depoſuit veſtimenta ornatûs, & circumdata eſt gloriâ ſuâ*, ſeu veſtibus glorioſis?

Reſpondeo hìc per *Veſtes ornatus ſui* vel intelligi veſtes ſimplices & humiles, quibus ordinariè Eſther *ornabatur*, ſeu induebatur. Vel hìc irrepſit *Ornatus*, pro *Oratus* (hoc eſt *Orationis*) quâ voce utitur inter alios Hieronymus Præfat. in libros Didymi de Spiritu Sancto à ſe verſos.

Porrò veſtimenta orationis ſunt veſtimenta lugubria, qualia decent orantem ac ſupplicem, de quibus dictum fuerat Cap. XIV. 2. *Cumque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta veſtimenta ſuſcepit*. Hæc illic Eſther ſuſcepiſſe, hìc depoſuiſſe narratur. Hoc confirmat Græcus textus, cujus aliqui libri habent *Depoſuit veſtimenta τοῦ πένθους. Luctus*. Aliqui verò τῆς θεραπείας, *Servitutis*, ſive *Cultus*, nempè Religionis & orationis, quemadmodùm legimus Baruch IV. 20. *Saccum obſecrationis*.

XVI. 5. *Mendaciorum cuniculis conentur ſubvertere*. In variis Vulgatæ libris malè ſcriptum eſt *Funiculis* pro *Cuniculis*. In Græco eſt: *Pravitatis mendacio fraude decipientium*.

J O B.

CAPUT I. III. V.

JOb ℣. 5. *Offerebat holocauſta pro ſingulis filiis ſuis*. Lovanienſes aliique, ſignanter nova Editio Hieronymi, legunt *Per ſingulos*; ſed moderna lectio magìs

magìs est consona textui græco & hebræo: *Juxta numerum omnium eorum.*

℣. 21. *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Hæc à Latinis Regiis absunt, item à Chaldæo, & Hebræo; sed S. Gregorius illa legit, & habentur in Græco.

℣. 22. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis.* S. Gregorius cum multis Latinis libris, Græcisque Sixtinis, item Hebræo, ac Chaldæo textu hîc omittunt: *Labiis suis*, quod tamen omnes legunt Cap. II. 10. atque etiam hoc loco aliqui Græci libri.

III. 9. *Expectet lucem, & non videat.* Ita etiam in singulari est in Hebræo, atque Græco; loquitur proinde Job de die nativitatis suæ, non verò de stellis, ad quas referre debebat lectio mendosa, sed antea Vulgatæ libris communior: *Expectent lucem, & non videant.*

℣. 18. *Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.* Vox *Quondam* non habetur quidem in hebræo, chaldæo, græco, & aliquibus latinis, attamen est in illis, ùt sic loquar, virtualiter; nam agitur de talibus, qui in vita sua, atque adeò *Quondam* vincti fuerant; sed nunc beneficio mortis ab illis vinculis liberati, *sine molestia* erant, erepti ab exactoribus, & tortoribus; unde *Quondam* non solùm legitur, sed etiam exponitur ab Hieronymo, & Gregorio.

V. 2. *Verè stultum interficit iracundia.* Passim antea legebatur in Vulgata: *Virum stultum.* Minùs rectè, quandoquidem in chaldæo & hebræo sit rationalis כי *Ci. Quia.* In græco Καὶ γὰρ, *Etenim.*

CAPUT VI. VII. VIII.

VI. 5. *Numquid rugiet onager.* Hebraïcè הינהק *Hajinhak. Numquid rudet?* Mendum proinde est, quod ex similitudine Latinæ vocis in quibusdam libris irrepsit *Fugiet.*

℣. 6. Legitur in multis Vulgatæ libris, imò etiam à S. Gregorio, *Anima enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur.* Sed in Exemplaribus Vaticanis Sixti V. & Clem. VIII. istud omissum est, ac deinceps in omnibus editionibus posterioribus; neque reperitur in hebræo, chaldæo, græco. Videtur huc ab aliquibus translatum ex Proverb. XXVII. 7.

℣. 17. *Ut incaluerit, solventur de loco suo.* Hoc est: *Adveniente æstu*, seu *calore*, ùt est in LXX. Θέρμης γενομένης, *Calore facto*, seu *existente*. Hebr. בחמו *Bechummo. In calefiendo eo*, nempè *Tempore.* Cùm tempus, seu aura facta fuerit calida. Proindè minùs rectè varii Vulgatæ libri, signanter Sixti V. legunt in plurali: *Ut incaluerint.*

VII. 2. *Sicut servus desiderat umbram.* La Haye tum in textu, tum in variis lectionibus, tum in Concordia, legit *Sicut cervus*; sed credo ita per inadvertentiam esse impressum, cùm nullum præter ipsius librum repererim, qui *Cervus* habeat, atque etiam in Hebræo est עבד *Ebed. Servus* homo.

VIII. 16. *Humectus videtur antequam veniat sol, & in ortu suo germen ejus egredietur.* Ita etiam *In ortu suo* varii antiqui libri habent, legeruntque Hieronymus & Gregorius; attamen in hebræo, chaldæo,

dæo, græco, atque in aliquibus latinis est: *In horto suo.* אל גנתו *Al gannatho.*

CAPUT XI. XV.

XI. 6. *Intelligeres quòd multò minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.* Pro *Ab eo* legunt varii Vulgatæ libri cum S. Gregorio: *A Deo*, qualiter etiam est in hebræo, chaldæo, græco: sensus tamen idem est utrovis modo legas.

℣. 10. *Quis contradicet ei?* Sequitur in aliquibus Latinis codicibus: *Vel quis dicere ei potest: Cur ita facis?* Hæc porrò vel huc translata sunt ex Cap. IX. 12. vel addita ex translatione LXX. priora verba sic Paraphrasticè explicantium.

XV. 22. *Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem.* Etiam Hieronymus, & Gregorius legunt: *Ad lucem*, quod tamen abest à multis Latinis, atque ab omnibus græcis, chaldæis, hebræis; sed hi equidem manifestè subintelligunt.

℣. 32. *Manus ejus arescent.* Chaldæa, & græca habent: *Ramus ejus arescet*, quod etiam significat per metaphoram hebræum כפתו *Cippatho*; quamvis hebræum istud verbum significet propriè *Volam* manûs, atque adeò id, quod Vulgata habet.

CAPUT XVI. XVII. XVIII.

XVI. 16. *Operui cinere carnem meam.* Sensum benè transtulit Hieronymus; attamen ipse in Commentario (aut potiùs V. Beda, qui eorum auctor videtur) legit: *Cornu meum*, qualiter est in hebræo קרני *Karni.* Chaldæus vertit *Gloriam.* LXX. *Robur.*

XVII. 9. *Tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.* Multi Vulgatæ libri veteres legunt *Mundus*, quæ lectio hîc magìs congruere videtur, præsertim cùm ita habeatur in græco Καθαρὸς. In hebræo טהר־ידים *Tehor jadaïm. Mundus manibus.*

XVIII. 11. *Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus.* In Vulgata passim legebatur antea, & etiamnum legitur in Editione nova Hieronymi, voce *Eum* repetitâ: *Et involvent eum pedes ejus*; sed istud *Eum* Gregorius, Beda, aliique antiqui Vulgatæ libri, itemque Græcus, atque Chaldæus textus omittunt; imò, si rectè explicetur, etiam hebræus; habet enim והפיצהו לרגליו *Vehephitsuhu leraglau. Et involvent eum ad pedes ejus.* Hoc est: *Involvent ejus pedes*, nempè ipsæ *formidines.* Si verò legas, sicuti antea minùs rectè erat: *Et involvent eum pedes ejus*, alienus nascetur sensus, nempè pedibus propriis involvendum esse impium.

CAPUT XIX.

℣. 19. *Quem maximè diligebam, aversatus est me.* Non multùm quidem sensu discrepat, sed equidem magìs genuinam puto esse lectionem variorum Vulgatæ librorum: *Adversatus est mihi.* Ita enim est in græco, & chaldæo plurali numero, prout etiam in hebræo נהפכו בי *Nehpechu bi. Facti sunt mihi contrarii*, seu *Adversarii.*

℣. 22.

℣. 22. *Quare... carnibus meis saturamini?* In Hebræo, Chaldæo, Græco est interrogatio contradictoria: *Quare carnibus meis non saturamini?* Sed facilè reducitur ad eundem sensum: Cur vestris in me insolentiis, & mordacibus dicteriis, me, quasi nunquam saturi, vivum consumitis, indeque vos indesinenter satiatis?

℣. 24. *Vel celte sculpantur in silice.* Nihil de *Celte* habetur in græco, sed neque in hebræo, ubi pro *Vel celte*, est לָעַד *Laad*, quæ vox significat *Ad semper*, hoc est: Ad perpetuam rei memoriam, ùt quoad sensum verbum *Laad* transfertur in Vulgata aliis 20. locis, quibus in hebræo habetur, excepto Isai. xxx. 8. quo loco illud Hieronymus transtulit: *In testimonium*, quod etiam verbotenus significare potest, nam ל valet *In*, seu *Ad*; עַד verò etiam *Testimonium* significat.

Imò varii codices Latini, signanter Lovaniensium habent: *Vel certè*, quæ lectio quoad sensum convenit translationi ejusdem verbi *Laad* Isa. xxx. 8. ùt statim vidimus.

Eandem multis probat Franciscus Lucas in suis Notationibus, cujus pervetustum correctorium habet: *Vel certè sculpantur. Non est ibi Celte pro instrumento ferreo.* Item Biblia exactissima à Fratribus S. Dominici correcta, tempore, ac jussu B. Jordani Generalis, hoc est ab annis propè 500. In illis ita notatur: *Quidam malè habent* CELTE, *id est cicello, quod est instrumentum calandi, id est sculpendi lapides, quia antiqui habent* CERTE' *adverbium affirmandi, & Hebræus habet* FIRME', *vel* FIRMITER. Ita illi. Magdalius Gaudanus: *Legi debet: Vel certè sculpantur in silice, & hoc magis concordat cum Hebræo.*

Noster Franciscus Titelmannus *Celte*, ùt indoctam, & barbaram lectionem rejicit, quæ Bonaventuræ, Thomæ, Lyrano, & qui iis superiores sunt Enarratoribus incognita fuerit: versum autem ab Hieronymo asserit: *Certè.* Hentenius, & Parisienses in suorum singuli Bibliorum textu, expulso *Celte*, receperunt *Certè.* Et sanè, inquit Franciscus Lucas, etiam nostra antiquiora & correctiora sunt exemplaria, quæ *Certè* legunt, quibus accedunt Moguntina, Quenteliana, & Complutensia Biblia.

Denique, attentis præmissis, *Certè* legendum esse, non *Celte*, insinuat ipsa scriptio vocis *Celte*; etenim de *Stylo* scriptorio præcessit: *Stylo ferreo*, & si de stylo scriptorio, vel sculptorio ageretur, non esset scribendum *Celte*, sed *Calte*; nam à *Calando* dicitur *Caltes*, aut potiùs *Calum*, hoc est *Stylus*, seu instrumentum aptum, ut illo in dura materia sculpantur litteræ, aut aliæ figuræ.

Quidquid interim sit de legitima hujus loci in Vulgata lectione, non rectè in Concordantiis Biblicis *Celte* hujus loci indicatur per vocem *Celtis*; siquidem *Celtis* nihil Latinè significat, nisi arborem quamdam græcè dictam λωτός. Puto ego in Vulgata *Celte* relictum, quòd ita Gregorius Magnus legisse videatur, atque etiam legant plura antiquissima manuscripta, ùt osten-

ostendit Pineda, qui pariter antiquum vocis *Celte* usum demonstrat.

ỳ. 26. *In carne mea videbo Deum meum.* Aliqui Vulgatæ libri addunt: *Salvatorem.* Ita Sixti V. *Deum salvatorem meum.* Sed in Hebræo nihil est nisi *Deum*, prout etiam *Meum*, & *Salvatorem* omittit nova editio operum Hieronymi.

CAPUT XXI. XXII. XXIV.

XXI. 3. *Sustinete me, & ego loquar.* Hoc est exactius, quàm istud commune antiquioribus libris: *Sustinete me ut & ego loquar*; nam illud *ut* non est in hebræo, græco, aut chaldæo.

ỳ. 15. *Quis est Omnipotens ut serviamus ei?* Multi Vulgatæ libri, atque etiam editio nova Hieronymi, legunt *Quid*, non *Quis*, conformiter ad græcum, chaldæum, hebræumque, in quo non est מי *Mi. Quis?* sed מה שדי *Ma Sadaj. Quid Omnipotens?* supple *Est.*

XXII. 12. *An non cogitas quòd Deus excelsior cælo sit?* Etiam in græco est Μὴ οὐχὶ, *An non*; prout & in hebræo הלא *Ha'o? Nonne?* Proinde minùs rectè legebatur passim ante correctionem Romanam: *An cogitas?*

XXIV. 10. *Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.* In quibusdam Vulgatæ libris est: *Nudum incedere fecerunt absque vestitu*, &c. Hoc verbotenùs videtur correspondere hebræo, chaldæo, græco. Moderna tamen Vulgatæ lectio majorem energiam habet, patiturque illum sensum etiam hebræus textus, præsertim modicissimâ litterarum factâ mutatione; imò solâ transpositione; si enim pro ערום הלכו *Arom hillechu. Nudum incedere fecerunt*, legas ערום הולך *Arom holech*, erit: *Nudo incedenti* &c.

CAPUT XXV. XXVIII. XXX.

XXV. 3. *Super quem non surget lumen illius?* Ita etiam S Gregorius, & Biblia Regia Latina, item Sixti V. Eodemque modo est in hebræo, chaldæo, græco; cùm tamen priores latini libri plerique pro *Surget*, habeant: *Fulget.*

XXVIII. 7. *Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Sic est in hebræo, & græco; non verò: *Nec intuitus est oculos vulturis*, sicut legitur à quibusdam antiquis, & habetur in aliquibus Vulgatæ libris.

XXX. 12. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illicò surrexerunt.* Multa Latina habent: *Orientis calamitatis.* aliqua: *Orientes calamitates.* Sed S. Gregorius, S. Thomas, V. Beda, Lyranus, Richelius, Antiquum Correctorium apud Franciscum Lucam, legunt ita, ùt modo Vulgata habet. LXX. ἐπὶ δεξιῶν βλαστοῦ, *Super*, vel *A dextris germinis.* In hebræo est על־ימין פרחח יקומו *Al jamin pirchach jakumu. Ad, Super*, vel *A dextra pirchach surgent*, posito futuro pro præterito, vel præsenti.

Est autem *Pircha* propriè *Germen*, seu id, quod recenter pullulat, sive in plantis, sive in animalibus, sive in aliis rebus; sed tunc scribitur cum uno tantùm ח, & habet in fine ה hìc autem est duplex ח. Unde videtur verbum compositum in hac locutione Poëtica, &

& Syro-Hebræa (quâ liber Job ſcriptus eſt) ex פרחח *Pircha. Germen, Pullulans*; & חוח *Choach*, ſive *Choch*, quod ſignificat *Spinam*, item *Compedem*, atque adeò Metaphoricè, ſive Poëticè *Calamitatem*, *Afflictiones* &c.

Hæc mea ſpeculatio eſt, quam prudentiorum judicio ſubmitto; interim ſi hæc probetur, habebitur ſenſus Vulgatæ quomodocumque legatur. Primò Juxta modernam Vulgatæ lectionem: *Ad dextram orientis*, ſeu germinantis & pullulantis in me adverſitatis, *calamitates meæ illicò ſurrexerunt*. Juxta aliam lectionem: *Ad dexteram orientis*, ſeu pullulantis *calamitatis meæ, illicò ſurrexerunt* in me adverſarii mei. Denique juxta tertiam lectionem: *Ad dexteram orientes*, ſeu *prorumpentes calamitates meæ illicò ſurgent*, ſurgunt, ſurrexerunt.

℣. 28. *Conſurgens, in turba clamabam*. Ita etiam V. Beda, & S. Gregorius, atque etiam LXX. ἐν ἐκκλησίᾳ. Item chaldæa, & hebræa בקהל *Bakkahal In Cœtu, in congregatione, in Eccleſia. In turba*. Mendoſum proinde eſt, quod plerique libri veteres Vulgatæ habent: *In tuba*. Alii: *In terra*, alii: *In tenebris*.

CAPUT XXXI. XXXIII.

XXXI. 7. *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum*. Sic etiam eſt in hebræo, chaldæo, græco, & apud V. Bedam. At cum S. Gregorio legunt omnes paſſim veteres Vulgatæ libri, item Sixti V. *Si ſecutus eſt oculus meus cor meum*.

℣. 19. *Si deſpexi pereuntem* præ frigore, *eo quòd non habuerit indumentum*. Habetur in græco, chaldæo, hebræo expreſsè אובד *Obed. Periens. Qui perit*. Non *Prætereuntem*, quod mendosè legunt Latina Regia, aliique aliquot Vulgatæ libri poſt S. Gregorium.

℣. 35. *Quis mihi tribuat auditorem?* LXX. & Hebræa: *Audientem me*. Unde non rectè aliqui Vulgatæ libri habent: *Adjutorem*.

XXXIII. 7. *Et eloquentia mea non ſit tibi gravis*. Ita plerique libri Vulgatæ; aliqui tamen habent: *Et eloquium meum non ſit tibi grave*. Sed neutrum videtur eſſe in hebræo, ubi eſt ואכפי *Veachpi*. quod LXX. vertunt: *Et manus mea*. Hoc placet hebraïzantibus; eſt enim כף *Chaph. Vola* manûs, præpoſita autem videtur littera א dialecto Syrâ, ſicuti Job XXXI. 22. אזרועי *Ezrohi. Brachium meum*, pro זרועי *Zerohi*. Hoc tamen ſatis contortum videtur: Unde forſitan Hieronymus legit ſeparatim ואך פי *Veach pi. Attamen os meum*, ſeu *Verba oris mei*. Vel certè Hieronymus eleganter per *Manum*, ſeu *Volam*, juxta phraſim hebræam intellexit vim dicendi, ſive Eloquentiam, quâ ſe plurimum præſtare jactabat Eliu, qui hæc dixiſſe refertur.

℣. 23. *Si fuerit pro eò Angelus loquens, unus de millibus*, hoc eſt plurimis. Eodem modo vertunt LXX. & quidam alii, poſſuntque ita rectè transferri hebræa: *Melits echad minni aleph*. Quæ tamen verba etiam poſſunt verti: *Eloquens unum ex* (vel *de*) *mille*. Prout legunt V. Beda, Gregorius, Editio nova Hieronymi, & varii libri Vulgatæ.

Non eſt tamen dubitandum, quin mer-

mendum sit in illis libris, qui pro *Milibus*, seu *Milibus*, habent: *Similibus*, de quo antiquissimum Correctorium apud Franciscum Lucam in suis Notationibus: *Loquens unus de milibus. Hebraus, & Gracus, & antiqui libri habent* Milibus, *& habent* Unus. *Gregorius exponit*: De similibus, *tamen in Biblia, quâ usus est, vidi* De milibus. Sed fieri facilè potuit, quòd *Bibliam illam*, cùm in Job commentaria scriberet, aut non habuerit Gregorius, aut non consuluerit, aut denique consultam neglexerit.

CAPUT XXXIV. XXXVI.

XXXIV. 37. *Quia addit super peccata sua blasphemiam.* In hebræo est expressè כי *Ki, Quia*; non אשר *Ascher, Qui*. Etiam circumstantiæ textûs suadent legendum *Quia*; unde non est genuinum, quod plurimi Vulgatæ libri cum Sixti V. habent: *Qui*.

XXXVI. 7. *Et illi eriguntur.* Non exprimitur quidem in hebræo, chaldæo, græco pronomen *Illi*; manifestè tamen includitur in verbo ויגבהו *Vajigbahu. Et erecti sunt*, sed ponitur præteritum, pro præsenti: *Attolluntur, Elevantur*; nullatenus autem in textibus illis est adverbium *Illic*, quod pro *Illi* habent permulti codices Vulgatæ, etiam Sixti V.

℣. 27. *Qui aufert stillas pluviæ.* Similitudo vocum, inquit Franciscus Lucas, quosdam errare fecit, ita ut pro *Stillas*, quod est *Guttas*, legerent *Stellas*, quod est Sidera. Hebraïcè enim legitur: *Nitphe maïm. Stillas aquarum.* LXX. *Stilla pluviæ.* Ita etiam Chaldæus habet, & legunt Gregorius, Beda, Thomas, Lyranus.

CAPUT XXXVIII. XLI.

XXXVIII. 41. *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quòd non habeant cibos?* Ita etiam est in græco πλανώμενοι. *Vagantes, Errantes.* Item in hebræo יתעו *Itthu. Oberrabunt, Vagabuntur.* Mendosum proinde est, quod ex similitudine vocis irrepsit in quosdam Latinos libros, signanter Sixti V. *Vagientes*, pro *Vagantes*.

XLI. 14. *Mittet contra eum fulmina.* Ita quamplurimi libri Vulgatæ, omnesque penè Commentatores, & Scriptores: Aliqui tamen Codices habent cum Sixti V. *Flumina.* Utrumque est ad rem, ab Interprete verò vel *Flumina*, vel (quod communis lectio verosimilius reddit) *Fulmina*, suppletum est ad verbum *Fundet*, hoc est magnâ vi, atque impetu emittet; sed in hebræo non additur quid fundet Deus contra eum, nempè Leviathan, seu Belluam marinam.

PSALMI.

PSALM. I.

Vers. 5. *Ideò non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.* Futurum *Resurgent* tam est in græco Ἀναστήσονται, quàm in hebræo יקמו *Jakumu.* Minùs proinde originali respondet, quod est in plerisque libris

libris antiquis, & Sixti V. præsens *Resurgiat*.

Idem dicendum de voce *Consilio* per *S.* scriptâ in quamplurimis Vulgatæ codicibus, nempè multò rectiùs per *C.* scribi *Concilio*, quod patet ex hebræo בעדת *Baadath. In cœtu, Senatu, Concilio.*

At ℣. 1. scribendum est per *S. Consilium*, est enim ibi in hebræo בעצת *Baatsath. In consultatione, Deliberatione, Consilio.* Utroque loco est in græco βȣλὴ, quod tam *Consilium*, quàm *Concilium* significat.

PSALM. V.

℣. 9. *Dirige in conspectu tuo viam meam.* De hoc loco ita scribit S. Hieronymus Epist. 135. ad Suniam & Fretellam. *Sola* κοινὴ (nempè Lucianea) *editio ita habet, nec LXX. nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotio; denique in Hebræo ita scriptum reperi* (atque etiamnum reperitur) לפני דרכך *Lephanaj dareccha, quod omnes voce simili transtulerunt. In conspectu meo viam tuam*: qualiter etiam est in multis Vulgatæ libris manuscriptis, atque in variis græcis; ita etiam legerunt Chrysostomus, Arnobius, Bruno & Dionysius Carthusiani. Ipse Hieronymus transtulit: *Dirige ante faciem meam viam tuam.*

Attamen sic ùt Vulgata moderna, legerunt Appollinaris, Augustinus, Beda, Cassiodorus, Haymo; & ita habent varii Codices Græci, item textus Arabicus, & Æthiopicus, quasi in Hebræo esset לפניך דרכי *Lephanecha darci. Ante faciem tuam viam meam.* Sensus equidem utriusque lectionis idem est: Via enim nostra in conspectu Dei dirigitur, quando via, seu voluntas, & lex Dei ante conspectum nostrum recta est, hoc est, nobis cognita, probata, atque executioni mandata.

℣. 13. *Domine, ùt scuto bonæ voluntatis tuæ.* Plurimi libri latini omittunt *Tuæ*, quod pariter reticent hebræi, chaldæi, græci, neque transtulit Hieronymus.

PSALM. VII. IX. X.

Ps. VII. 10. *Consumetur nequitia peccatorum.* Fortè legendum est in Imperativo, seu Optativo *Consummetur* (hoc est deficiat, compleatur, finem accipiat) qualiter legit Augustinus, ac transtulit Hieronymus, post LXX. Συντελεσθήτω. In hebræo est יגמר־נא רע רשעים *Igmor na ra reschaim.* Hoc propriè sonat: *Consumatur* (vel *Consummetur*) *nunc* (vel *Obsecro*) *malum*, seu *malitia impiorum.*

Alii vertunt *Consumat nunc obsecro nequitia impios*, quasi verbum גמר *Gamar*, nedum neutrum esset, sed etiam Activum, quod tamen probari non posse, asserit Coccejus. Etiam Rabbi David Kimhi in Radicibus, hujus verbi usum intransitivum præfert. Transtuli porrò נא *Na. Nunc*, & *Obsecro*, quia hæc hebræa vox æquivalet Adverbio *Nunc*, atque etiam est Interjectio optantis, aut deprecantis.

Ps. IX. 14. *Orphano tu eris adjutor.* In variis latinis libris est *Eras*, quod magis verbaliter correspondet græco, chal-

dæo, atque hebræo, in quo est præteritum חייתה *Hajitha. Fuisti*, sive *Factus es*, ùt transtulit Hieronymus. Sed utriusque lectionis idem est sensus: Ita enim pupillorum Deus factus est adjutor, ut esse non desinat, nec desinet.

Ps. X. 7. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Præcedenti libro probavimus interpunctionem meritò collocari, ante vocem *Ignis*. Hîc insuper notandum, à quamplurimis latinis libris omitti utrumque *Et*, sed minùs genuinè, cum hoc exprimant textus hebræus, chaldæus, græcus.

PSALM. XIII.

Sepulchrum patens est guttur eorum: 2. linguis suis dolosè agebant, 3. Venenum aspidum sub labiis eorum. 4. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: 5. veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. 6. Contritio & infelicitas in viis eorum, 7. & viam pacis non cognoverunt: 8. non est timor Dei ante oculos eorum. Hæc omnia desunt in textibus hebræo, chaldæo, & Syro. Unde censet Hieronymus in Psalm. XIII. *Apostolum de Deuteronomio ac Psalterio, & ceteris Scripturarum locis hoc testimonium texuisse.* nempè Paulum Rom. III. conglomeratim varia Scripturæ testimonia adduxisse; Quemdam verò minùs consideratè ex Apostoli loco, omnia hæc in Psalmum XIII. transcripsisse, eo quòd priora verba Apostoli, ex hoc psalmo erant, nempè illa: *Non est qui faciat bonum* &c. Idem censuit *Origenes*, in Cap. III. Rom. *V. Beda* in Act. I. *Cassiodorus*, *Haymo*, & varii alii. Non leguntur etiam in aliquibus Græcis.

Invenitur autem prima sententia, & secunda Psalm. X. II. tertia Psalm. CXXXIX. 4. quarta Psalm. IX. altero versu 7. quinta, sexta, septima Isai. LIX. 7. 8. octava Psal. XXXV. 2.

Interim Ecclesia omnia hæc retinuit in Psalmo XIII. eo quòd ab antiquissimo tempore ita habuerint Psalteria tum Græca pleraque, tum Latina omnia, item textus Arabicus atque Æthiopicus, & exponantur ab Augustino, Ruffino, variisque aliis Antiquioribus. Item quia illa equidem sunt S. Scripturæ partes quædam.

Quòd verò reperiantur in quodam vetusto codice Hebræo Ecclesiæ Anglicanæ, parùm considerandum est, cùm videantur ibidem de industria interposita, nec hebræa verba illa satis hebraïca sint, neque juxta hebraïcam Grammaticam scripta, ùt ab aliis notatum est, signanter à Bellarmino, qui tamen non rectè urget, quod ibi in hebræo sit: *Quorum os dolus, & amaritudo implevit*, addens non solere hebræos verbum ad finem sententiæ collocare; nam ita collocant frequenter, signanter in Psalmis, ùt patet Psalm. LXXXVIII. *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ubi verbum אשירה *Aschira. Cantabo* claudit sensum; prout & תן *Ten. Da.* Psal. LXXI. *Deus judicium tuum regi Da.* Denique in illo ipso Psalterio Anglicano asseritur hos versus *in Hebræo non haberi*, quod ipse, exemplari fortè viso, deprehendi, inquit Matthæus Polus in Synopsi Crit.

PS.

PSALM. XVI.

℣. 13. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Hoc eſt: A reſiſtentibus dexteræ tuæ, ſeu voluntati, & operibus tuis, aufer poteſtatem nocendi, quam eis dediſti, & quâ abutuntur. Varii libri Latini habent in ablativo abſoluto: *Frameâ tuâ.* His conſonant hebræa: *Palleta naphſchi meraſcha charbecha mimhim jodcha*: Quæ ritè vertes: *Erue ab impio animam meam gladio tuo, ab inimicis manu tua.* S. Hieronymus vertit: *Ab impio, qui eſt gladius tuus* &c. Hæc lectio etiam continetur in iiſdem verbis hebraïcis.

℣. 14. *Saturati ſunt filiis.* Ita etiam græca, ſignanter Complutenſia. Hieronymus: *Saturabuntur filiis.* Hoc propriè ſignificat hebr. ישבעו בנים *Jisbehu banim*, quod tamen etiam verti poteſt: *Saturabuntur filii*, prout Quidam legunt, ac vertunt Pagninus, & Arias Montanus.

Sed multùm aberrat Editio græca Sixtina, ſubſtituens pro υἱῶν *Filiorum*, vocem ſimillimam ὑῶν *Porcorum*; item aliqui græci Codices ὑείων *Suillarum*, ſeu *Porcinarum*, nempè carnium. Hoc mendum ſecutus eſt Apollinaris: *Impleti porcellis.* Item Arabicus textus: *Carne porcorum ſaturati ſunt filii eorum.* Editio nova Pſalterii ab Hieronymo correcti, ſine aſteriſcis: *Saturati ſunt porcinâ.* Auguſtinus meminit hujus lectionis; ſed meritò præfert eam, quæ habet *filiis*; nam hebræum בנים *Banim*, unicè *filios* ſignificat, non *Porcos.*

PSAL. XXI. XXVI.

XXI. *Deus Deus meus reſpice in me*, ſive *Intende mihi*, πρόσχες μοι, quod ab Interpretibus LXX. eſt additum, neque eſt in hebræo, aut chaldæo, & abſque iſto additamento allegavit Chriſtus, ùt referunt Matthæus, Marcus, Lucas.

℣. 17. *Concilium malignantium.* Ita ſcribendum eſſe, non verò *Conſilium*, ùt paſſim eſt in antiquioribus Vulgatæ libris, patet ex græco Συναγωγὴ, & hebræo עדת *Aadath. Conventus, Cœtus, Concilium.*

℣. 32. *Annunciabunt cæli juſtitiam ejus.* Plurimi Latini Codices omittunt *Cæli*, quâ voce carent etiam textus hebræus, chaldæus, græcus, item tranſlatio Hieronymi de hebræo, multique Pſalmorum Commentatores, neque aliquid de cælis præceſſit.

XXVI. 4. *Ut videam voluptatem Domini.* Ita etiam LXX. τερπνότητα. *Jucunditatem*, *Voluptatem.* Hebr. נעם *Noam.. Delectationem*, *Pulchritudinem.* Chaldæus, *Amœnitatem.* Syrus, *Suavitatem.* Arabicus, *Hilaritatem.* Hieronymus, *Pulchritudinem.* Inſigne igitur mendum ſuſtulerunt Romani correctores ſub Clemente VIII. cùm antea in omnibus penè Vulgatæ Pſalteriis, & Codicibus, etiam Sixti V. legeretur, unâ litterâ mutatâ, *Voluntatem*; qualiter etiam legerunt antiqui Scriptores in Pſalmos fermè cuncti; Auguſtinus tamen, & Ruffinus benè habent *Voluptatem*, quod etiam reperitur in Miſſali Romano, ante correctionem Clementinam edito.

PSAL. XXVII. XXXIII.

XXVII. 3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus:* Etiam hoc loco justissimè Correctores Romani amoverunt inolitum mendum, quod in Vulgatam irrepserat, & remanserat in Editione Sixti V. nempè *Tradas*: etenim *Trahas* habent Hebræa, Chaldæa, Græca, Arabica, Æthiopica.

℣. 5. *Et in opera manuum ejus destrues illos.* Mallem omitti *In* retentum ex hebraïsmo, quo dicitur: *Intelligere in opera*, pro *Intelligere opera*. Deinde interpunctio rectiùs poneretur ante *Destrues*, prout collocaverunt Lovanienses. Tunc planus esset sensus: *Quoniam non intellexerunt opera Dei, & opera manuum ejus: Destrues illos* &c. Hunc sensum clarè exprimunt hebræa, chaldæa, græca. Vide dicta libro præcedenti.

XXXIII. In titulo: *Achimelech.* Ante correctionem factam per Clementem VIII. Latini codices passim omnes, signanter Sixti V. habebant: *Abimelech*, qualiter etiam modò est in hebræo, & apud Interpretes LXX. Porrò *Abimelech* fuisse nomen commune regum Palestinæ docent multi, colligiturque ex Gen. xx. 1. & xxvi. 16. Erat autem *Achis* (de quo in titulo hujus Psalmi agi, solidè probat Lorinus) Rex Palestinæ, sive urbis *Geth*, I. Reg. xxi. 10.

Lorinus equidem putat hîc in hebræum textum irrepsisse mendum, ac pro אכיש מלך *Achis melech. Achis rex*, aut potiùs per Syncopen אבי־מלך *Achimelech*, scriptum esse אבי־מלך *Abimelech*, mutatâ litterâ כ in simillimam ב. Unde titulum hujus Psalmi vertendo Symmachus, & Theodotio transtulerunt *Achimelech*, similique modo explicavit Augustinus.

PSAL. XXXIV. XXXVI. XL.

XXXIV. 11. *Quæ ignorabam.* Ita etiam plerique veteres libri latini cum Augustino, textibusque chaldæo, & hebræo לא ידעתי *Lo jadahti. Non scivi*, sive *Nesciebam*, ùt Hieronymus transtulit; hebræa enim lingua tantùm unum præteritum habet, quod pro circumstantiis servit perfecto, imperfecto, & plusquam perfecto. Græcum ὀυκ ἐγίνωσκον, ambiguum est ad *Ignorabam*, & *Ignorabant*, qualiter aliqui latini hoc loco legunt, sed malè, ùt ex aliis textibus patet.

XXXVI. 14. *Ut dejiciant pauperem.* Ita etiam græca. Aliqui latini, signanter Sixt. V. legunt *Decipiant*; sed in hebræo est להפיל *Le happil. Ut cadere faciant.*

XL. 7. *Et loquebatur in idipsum. Adversum me susurrabant* &c. Punctum in Vulgata positum post *In idipsum*, rectiùs ante istas voces collocaretur, prout factum in Bibliis Lovaniensibus, hoc modo: *Et loquebatur: In idipsum adversum me susurrabant.* Seu *Simul, Pariter, Inter se*, ùt significat hebræum יחד *Jachad.*

Istud quod dixi suadet distinctio versuum, nam versus octavus, etiam in nostra Vulgata, incipit ante *In idipsum*, atque adeò illud *In idipsum* sensu jungendum est cum sequentibus, non cum

cum præcedentibus. Deinde etiam ita transtulit Hieronymus: *Egrediens foras detrahet. Simul adversum me murmurabant omnes odientes me.* Insuper Editio nova Hieronymi in Psalterio sine Obeliscis habet: *Et loquebantur, simul in unum susurrabant.*

PSALM. XLI. XLIV.

XLI. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Verbum *Sitiendi*, & vocum affinitas, occasionem dederunt insignis mendi, quo inoleverat in latinis Psalteriis, & Vulgatæ codicibus passim omnibus, etiam in Sixti V. *Fontem*, pro *Fortem*, ùt meritò restitutum est in Bibliis Clementis VIII. Etenim in græco est ἰσχυρὸν. *Fortem, Robustum, Validum.* Hoc etiam significat, quod in hebræo est אל *El.*

XLIV. 12. *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Omnia propemodum antiqua exemplaria latina omittunt vocem *Deus*, quæ pariter deest in hebræo, chaldæo, græco. Imò pro *Dominus tuus* est in hebræo אדניך *Adonaich*, quod nomen *Adon*, etiam in Scriptura tribuitur puro homini, ùt patet ex Gen. XXIV. 51. XXXIX. 16. XLIV. 8. Exod. XXI. 4.

Unde potuisset hîc in Vulgata omitti vox *Deus*, ne Judæi dicant nos falsificare Scripturæ textum, ut probemus Messiæ Divinitatem, quam ipsi negant. Interim etiam S. Hieronymus in sua Psalterii Versione posuit: *Dominus Deus tuus*, tum claritatis causâ, tum quia per alia hujus psalmi verba sufficienter Divinitas Christi comprobatur.

℣. 18. *Memores erunt nominis tui.* Ita quoque legit Psalterium Romanum, item varii antiqui libri latini cum Arnobio, Augustino, Beda, Cassiodoro, Pampolitano, Commentario Hieronymi, & quibusdam Græcis. Communiùs tamen antiqui codices Vulgatæ legunt in singulari: *Memor ero*, sive *Recordabor*, ùt transtulit Hieronymus, & est in hebræo אזכירה *Azcira*, ita etiam textus græcus, & chaldæus.

Ego tamen noto, verbum hoc hebræum esse in forma Hiphil, atque adeò significare duplicem actionem, nempè *Memorabo*, seu *Recordari faciam*, scilicet homines alios, ac consequenter illi *Memores erunt*, me ipsis annunciante nomen tuum.

PSALM. XLVI. LI.

XLVI. 10. *Quoniam Dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.* Teste Francisco Lucâ, multis videtur antiquitùs in Vulgata fuisse *Dei*, at ab ignorantibus putatum plurale, atque ita mutatum in *Dii.* Itaque existimant legendum esse in genitivo singulari: *Dei*, quomodò genuinè hîc transfertur hebræum לאלהים *Lelohim*, & transtulèrunt LXX. τοῦ Θεοῦ. In Hieronymi tamen versione de hebræo etiam modò legitur plurali Nominativo *Dii*, quod ex nostra Vulgata corruptum arbitratur Franciscus Lucas in Notationibus, optans in Vulgata restitui *Dei.*

LI. In titulo Psalmi: *Achimelech.* Ita etiam scribitur nomen hujus summi Sacerdotis in hebræo, & chaldæo tum hîc, tum alibi passim in Scriptura אחימלך Vide quæ hoc libro

 dixi

dixi ad I. Paralip. XVIII. 16. fol. 186.

Proinde mendosum est, quòd in variis Vulgatæ libris, signanter Sixti V. scribatur *Abimelech*, prout etiam legunt plerique Commentatores latini, & græci aliqui.

℣. 6. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.* Varii Vulgatæ libri habent: *Linguam dolosam*, qualiter legit S. Augustinus, & transtulit Hieronymus, atque etiam LXX. γλῶσσαν δολίαν. Ita quoque potest intelligi moderna Vulgata, si istud *Lingua dolosa* sumatur tamquam in ablativo absoluto positum. Hebræum *Leschon mirma*, est indifferens ad Vocativum, & Accusativum.

PSAL. LII. LIV. LVIII.

In titulo Psalmi LII. prudenter restitutum est in Bibliis Clementis VIII. *Maeleth*, cùm hoc sit conforme hebræo, & græco; non verò *Amaleth*, quod passim antea erat in Vulgata, aut *Amalech*, qualiter aliqui Codices habent, signanter Sixti V.

LIV. 4. *Declinaverunt in me iniquitates.* Plures Vulgatæ libri, & Commentatores habent in singulari: *Iniquitatem*, quod præeligerem: tum quia sic etiam est in hebræo, chaldæo, & græcis melioribus, tum quia tollit ambiguitatem, quæ nunc est in nostra lectione. Vide dicta libro præcedenti.

LVIII. 17. *Exultabo manè misericordiam tuam.* Sic quoque transtulit Hieronymus, & LXX. In hebræo est ארנן *Arannen. Præ gaudio exultans cantabo.* Præstat ergo legere *Exultabo* quàm *Exaltabo*, ùt multi Latini libri, signanter Sixti V.

PSALM. LXI.

℣. 5. *Cucurri in siti.* Græcum ἔδραμον indifferenter significat *Cucurri*, & *Cucurrerunt*; at nulla quoad numerum est ambiguitas in hebræo ירצו quod omnes Interpretes vertunt in plurali, qualem numerum unicè indicat. Ita etiam legerunt *Ambrosius*, *Augustinus*, aliique. *Hieronymus*, & quidam alii vertunt: *Placuerunt sibi in mendacio*, quia legerunt hebræum verbum ita, sicut & modò punctatum est יִרְצוּ *Jirtsu. Complacebunt sibi*; sed omnes Interpretes censuerunt hìc futurum poni pro præterito, aut Imperfecto. At si legatur iisdem quidem litteris, sed aliis punctis יָרֻצוּ *Jarutsu*, erit *Current*, sive *Cucurrerunt.* כָּזָב *Cazab* significat *Mendacium* (ùt varii hìc vertunt) item *Defectum*, & ita etiam *Sitim*, ùt Vulgata.

PSAL. LXII. LXIV. LXV.

Ps. LXII. In titulo *Idumææ* positum videtur, pro *Judææ*, ùt est in hebræo, chaldæo, multis manuscriptis latinis, & plerisque græcis; in aliquibus tamen legitur *Idumææ*, qualiter etiam est in Augustino.

LXIV. 9. *Exitus matutini & vespere delectabis.* Istud *Vespere* satiùs scriberetur per diphthongum *Vesperæ* à Nominativo *Vespera.* Ita enim sumenda esse hæc verba patet ex hebræo, chaldæo, græco. Vide dicta libro I. fol. 56.

LXV. 17. *Exaltavi sub lingua mea.* In græco est ὕψωσα. *Exaltavi.* In hebræo

bræo רומם *Romam. Exaltatus est* per linguam meam: unde non est genuinum, quod habebant plerique Vulgatæ libri, etiam Sixti V. *Exultavi.*

PS. LXXVII. LXXIX. LXXX.

LXXVII. 9. *Filii Ephrem.* Rectiùs *Ephraïm*, qualiter alibi semper in Scriptura vocantur, & hìc scribuntur in hebræo, & græco. Si ex illo *a* & *i* facias diphthongum, erit *Ephram.*

℣. 45. *Misit in eos cœnomyiam*, hoc est *Muscam communem*, seu *Omne genus muscarum*, ùt idem verbum ערב *Arob* in Vulgata transtulit Hieronymus Exod. VIII. 21. Docet expressè Hieronymus Epist. 135. scribendum esse Κοινομυῖαν, *Cœnomyiam. Communem muscam*, non Κυνομυῖαν, *Cynomyiam. Caninam muscam*, ùt nunc irrepsit in græcum, & ex græco in varios Vulgatæ codices, signanter Sixti V.

LXXIX. 17. *Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultûs tui peribunt.* Post *Suffossa* congruè poneretur interpunctio; nam debet ibidem subaudiri *est*, nempè vinea tua, ùt constat ex hebræo, & dictis libro præcedenti.

LXXX. 7. *Manus ejus in cophino servierunt.* Ita etiam LXX. Hi ergo legerunt: *Capphau middur taabodena.* תעברנה At modò est in hebræo voce simillimâ תעברנה *Taaborena. Volæ*, seu *manus ejus à cophino recesserunt*, seu *transierunt*, hoc est liberatæ sunt, quod videtur magis conforme hebræo מדוד *Middur*, quod potiùs *A cophino*, quàm *In cophino* significat; item illi, quod præcessit: *Divertit ab oneribus dorsum ejus.*

PS. LXXXVIII. XCI. XCIV.

LXXXVIII. 40. *Evertisti testamentum servi tui.* Ita etiam legunt Augustinus, Beda, Haymo, Remigius, Bruno, Theodoretus, & plurimi antiqui Vulgatæ libri, idque meritò, nam sic est in græco, & in hebræo נארת *Nearta. Evertisti, Dejecisti, Detestatus es.* Idem verbum quoad sensum transtulit Hieronymus Thren. II. 7. *Maledixit*, nusquam verò alibi habetur in hebræo, in quo, & in græco aliud verbum est hoc Psalmo ℣. 44. pro *Avertisti adjutorium gladii ejus*, nempè תשיב *Taschib. Recedere fecisti, Amovisti, Avertisti.* Unde non erat genuinum, quod à pluribus antea hìc ℣. 40. legebatur *Avertisti*, qualiter etiam legit Cassiodorus, & nova editio Psalterii inter opera Hieronymi, nempè illa, quæ est sine Asteriscis, alia verò habet *Evertisti.*

XCI. 4. *In decachordo, Psalterio.* Ut suppleretur defectus copulativæ particulæ *Et*, quæ hìc habetur in hebræo, Correctores sub Clemente VIII. meritò apposuerunt mediam interpunctionem, quæ aliàs passim aberat à libris Vulgatæ, etiam Sixti V. Vide si placet meum Dictionarium Scripturisticum secundæ editionis Voce *Decachordum.*

XCIV. 9. *Probaverunt me, & viderunt opera mea.* Istud *Me* exprimitur in hebræo בחנוני *Bechanuni*, & in quibusdam græcis ἐδοκίμασάν με. Igitur non debuerat omitti in omnibus penè antiquis Vulgatæ libris, atque etiam in Sixti V.

PSALM. CIV.

℣. 30. *Edidit terra eorum ranas.* Hanc esse antiquam, & genuinam lectionem testatur Hieronymus Epist. 135. Unde meritò in Bibliis Sixti V. & Clem. VIII est retenta: est etiam conformis tum græco, tum hebræo textui, qui habet שרץ *Scharats*, quod significat ingenti multitudine gignere, summâ copiâ producere, consonat quoque textus chaldaïcus; in omnibus autem his tribus omittitur copula *Et*, atque adeò mendum est, quod ab antiquo in plurimos Vulgatæ libros ex affinitate vocum pro *Edidit* irrepserat: *Et dedit*, qualiter etiam legerunt Prosper, & Augustinus.

℣. 31. *Venit cœnomyia.* Ita legendum esse docuimus supra ad Psal. LXXVII. 45. Non *Cynomyia*, ùt mendosè varii libri, etiam Sixti V.

PSALM. CV.

℣. 38. *Et infecta est terra in sanguinibus.* De hoc loco ita scribit Franciscus Lucas in Notationibus. Latinorum Codicum quidam habent: *Et infecta est terra in sanguinibus.* Alii: *Et interfecta est terra in sanguinibus.* Inter expositores Nicolaus Lyranus, & Petrus Herentalensis, item Raynerius, Jansenius Gand. Genebrardus, Titelmannus, Martinus Alphonsus legunt *Infecta.* Arnobius Prosper, & Cassiodorus *Interfecta.* Augustinus: *Putaremus*, inquit, *hìc scriptoris errorem esse, atque eum diceremus pro eo quod est* Infecta, *fecisse* Interfecta, *nisi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit, atque ita esse scriptum*: Interfecta est terra in sanguinibus, *inspectis Græcis codicibus videremus.* Καὶ ἐφονοκτονήθη ἡ γῆ ἐν τοῖς αἵμασι. Græcè autem φονοκτονεῖν denotat *Interficere.*

Quamobrem verosimile est *Interfecta* Interpretem transtulisse. Neque id videtur ab Hieronymo veteris editionis Castigatore in *Infecta* mutatum, cùm ùt plerique, ita & integerrimi quique, eorum librorum, quos ex Hieronymi emendatione habemus, *Interfecta* legant.

Nos id sanè in nostris exemplaribus animadvertimus. Sed & Epanorthotes, & Reverendissimus Lindanus hoc ipsum in suis codicibus observasse videntur; hic enim legit, ille legendum docet *Interfecta.* Complures etiam posteriorum temporum ad hunc modum legunt Haymo, Beda, Remigius, Petrus Lombardus, Gilbertus Porretanus, Turrecremata, Ludolphus, uterque Bruno, Pampolytanus, Hugo Carensis, Rykelius, Pastura, Valentia.

Intelligunt autem istud post Augustinum, per Metonymiam, de terræ habitatoribus, qui interfecerunt trucidaruntque animas suas, effundendo Idolisque offerendo sanguinem filiorum & filiarum suarum. Ceterùm de terra ipsa non malè intelligitur; fit enim populi peccatis terra sterilis, & quasi mortua, quæ non parit, quos solita est, fructus. Concludit proinde Franciscus Lucas: Hæc igitur nostræ editionis germana videtur lectio: *Et interfecta est terra in sanguinibus.*

Ego econtrariò verosimiliùs habeo in

in Vulgatam ab antiquo irrepsisse ex *Infecta* vocem affinem *Interfecta*, atque adeò justissimè postliminio reductam veram lectionem. Hoc suadet primò Editio nova operum Hieronymi, in qua utrumque Psalterium Vulgatæ ab Hieronymo castigatum, nempè tam hoc quod est cum Asteriscis & obeliscis, quàm illud, quod istis caret, habet *Infecta*, non *Interfecta*.

Secundò quòd Hieronymus in suâ de hebræo translatione Psalmorum verterit *Polluta*, & scribens in Isa. LVII. legerit *Infecta*. Tertiò quod Arabicus textus habeat: *Contaminata est terra*. Chaldæus autem: *Et maculata est terra peccatis homicidii*. Denique hoc magis significat hebræum verbum תחנף *Techenaph*; nam Radix חנף *Chanaph* potiùs significat *Polluere*, *Maculare*, *Inficere*, quàm *Interficere*, ùt patet ex variis Scripturæ locis, signanter Num. XXXV. 33. in quo est eadem vox חנף *Chanaph*, quam eo loco Latinus Interpres *Polluere*, & *Maculare* transtulit. *Ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur*. Item Jerem. III. 1. 2. 9. &c.

Quoad græcam vocem, ipse Franciscus Lucas fatetur vocem ἐφονοκτονήθη non minùs rectè transferri *Infecta*, nam quamquam φονοκτονεῖν *Interficere* denotet, nonnumquam tamen pro *Inficere*, idque cæde præsertim, ponitur. Exemplum est Numer. XXXV. 33. Καὶ οὐ μὴ φονοκτονήσητε τὴν γῆν, ἐφ' ἧς ὑμεῖς κατοικεῖτε ἐπ' αὐτῆς, τὸ γὰρ αἷμα τοῦτο φονοκτονεῖ τὴν γῆν. *Et ne polluatis terram, in qua habitatis, hic enim sanguis terram polluit*.

Multi itaque Interpretes ex græco vertunt: *Et infecta est terra in sanguinibus*. Quin & Euthymius græcus enarrator notare videtur ἐφονοκτονήθη hoc in loco idem esse, quod *cæde infecta*. Videtur, inquam, nam ambigere nonnihil facit versio. Denique græcus Poëta Apollinaris hoc isto modo accepisse videtur, sic namque canit: αἵματι δ' ὀλλυμένων ἐρυθραίνετο πάντοθεν αἶα. *Sanguine cæsorum rubefacta est undique terra*. Contaminationem quoque, seu pollutionem, atque adeò *infectionem* explicant Basilius, Theodoretus, Chrysostomus, aliique Græci.

Rectè igitur & juxta græcos, & juxta hebraïcos libros legitur: *Et infecta est terra in sanguinibus*, quomodò tria Romani Psalterii Antigrapha concorditer legunt.

Isaiæ XXIV. 5. eadem est in Vulgatâ antiquâ lectionis varietas. Quidam typis excusorum Codicum cum nunc correctâ Vulgatâ habent: *Et terra infecta est ab habitatoribus suis*. Quidam cum plerisque omnibus manuscriptis nostris (inquit Franciscus Lucas) *Et interfecta est* &c. atque est hebraïcè vox eadem חנפה *Chanaph*, quam eo loco Chaldæus & LXX. reddiderunt *Peccavit*, seu *Impiè egit*.

PSALM. CVI. CVII.

CVI. 40. *Effusa est contemptio super principes*. Ita etiam hebræa בוז *Buz*. *Contemptus*, *Despectio*. Græca verò ἐξουδένωσις. *Annihilatio*, *Nihilipensio*. Ac proinde rectissimè sublatum est insigne mendum, quod omnes penè Vulgatæ

gatæ libros occupabat, etiam Sixti V. nempè *Contentio*, quod inoleverat ex vocum affinitate, præsertim si cum exactioribus Grammaticis omisso *p* scribas *Contemtio*.

CVII. 3. *Exurge gloria mea.* Solebat hoc abesse ab omnibus fermè Vulgatæ libris, quamvis modò reperiatur in Clementis VIII. De eo ita Hieronymus Epist. 135. *In Græco dicitis esse:* Exurge gloria mea, *quod dicitis in Latino non esse. Rectè in illo Psalmo non habetur, quia nec apud Hebræos, nec apud ullum Interpretem reperitur, sed habetur in quinquagesimo sexto Psalmo .. de quo mihi videtur à quodam in istum locum esse translatum.* In sola græca Lucianæa inveniebatur; nam deest etiam in græcis LXXII. Interpretum. Omittitur etiam in utroque Psalterio novæ editionis operum Hieronymi.

PSAL. CXVII. CXVIII.

CXVII. 25. *O Domine salvum me fac.* Pronomen *Me* à variis latinis omittitur, prout & à V. Beda in suo Commentario, neque est in græco, hebræo, chaldæo, in quibus est, *O Domine salva nunc*, sive *Obsecro*. Euthymius non subaudit *Me*, sed *populum tuum*, Chrysostomus eos, qui Christi beneficiis fruuntur. Titelmannus, Varlenius, aliique *Me* hîc superfluere existimant, Jansenius Gandensis etiam sensui obesse pronuntiat, intelligit enim populi esse vocem, à Deo Regi suo Messiæ salutem faustaque omnia precantis, quomodò constat esse dictum Matth. XXI. 9.

CXVIII. 46. *Loquebar in testimoniis tuis.* Sic etiam transtulit Hieronymus, nempè *In*, non *De*. In hebræo quoque, & græco est *In*, בעדתיך *Beedothecha*. ἐν τοῖς μαρτυρίοις σου, qualiter legunt omnes passim antiqui Vulgatæ libri, ut proinde hoc meritò sit relictum, tum in Bibliis Sixti V. de anno 1590. tum in prima Editione correcta Clem. VIII. nimirum illa, quæ edita est Romæ anno 1592. quamvis Exemplaria Vaticana impressa 1593. & 1598. habeant: *De testimoniis*, prout etiam Biblia Plantiniana anni 1645. & Coloniensia 1666. ac 1679. Hoc tamen ex inadvertentia eorum, qui prælo intendebant, factum reor ex inolita consuetudine sic psallendi, cùm ita etiam habeant omnes passim libri Chorales, & utrumque Psalterium novæ editionis operum Hieronymi. Interim legendum esse *In testimoniis* monent Indices Correctorii pro Bibliis Vaticanis ann 1593. & 1598.

PSALM. CXXXI.

℣. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam.* Ante correctionem Clementinam omnes penè Vulgatæ libri, etiam Sixti V. habebant *Eum*, prout legit Hilarius, sed meritò est restitutum *Eam*; sic enim, seu *Ab ea*, transtulit Hieronymus, sic est in græco αὐτὴν, non αὐτὸν, sic denique habetur in hebræo ממנה *Mimmenna. Ab ipsa.*

℣. 15. *Viduam ejus benedicens benedicam.* S. Hieronymus in Quæstionibus hebraïcis ad illa Gen. XLV. 22. *Quibus dedit Joseph... cibaria in itinere*; sic scribit:

bit: *Verbum* צידה *Tſeda, quod hic omnes ore conſono ἐπισιτισμὸν, id eſt Cibaria, vel Sitarcia interpretati ſunt, in Pſalterio quoque habetur, ubi noſtri legunt: Viduam ejus benedicens benedicam, licet in pleriſque codicibus pro Vidua, hoc eſt χήραν, nonnulli legant Θήραν. In Hebræo habetur* צידה *Tſeda, id eſt: Cibaria ejus benedicens benedicam. Porrò Θήραν Venationem magis poteſt ſonare, quàm fruges, tametſi moris ſit Ægyptiorum Θήραν etiam Far vocare, quod nunc corruptè Atheran nuncupant.*

Idem in Commentario hujus Pſalmi: *Pro Vidua, id eſt* χήρα, *& Hebræa volumina, & ipſi* LXX. *Θήραν habent, ſed propter novitatem verbi, & unius litteræ demutationem, paulatim obtinuit, ut pro* Θήρα *legeretur* χήρα, *maximè quia in ſequenti verſiculo Pauperes ſequebantur.* Θήρα *Symmachus, & Aquila Cibaria interpretati ſunt.*

Alii Interpretes verterunt hebræum *Tſeda. Cibum, Victum, Eſcas, Annonam, Viaticum.* Item *Venationem*, prout etiam tranſtulit Hieronymus in Verſione Pſalterii. Exod. XII. 39. Hieronymus, & LXX. verterunt *Pulmentum*, quo loco, ſicut & pluribus aliis illa vox hebræa ſumitur pro *Cibo*, ſive *Eſca*.

Nuſquam autem in toto Hebræo textu accipitur pro *Vidua*, quæ conſtanter in hebræo vocatur אלמנה *Almana*; unde, ſalvo meliori judicio, omninò exiſtimo cum S. Hieronymo, & omnibus paſſim Interpretibus, atque Commentatoribus, eſſe hîc antiquum mendum, tum in aliquibus græcis, tum in latinis Vulgatæ omnibus, quod tamen relictum fuit in Vulgata, quia ea tam antiqua lectio eſt tum latinorum, tum græcorum. Ita enim ab antiquo præter Vulgatam, & aliquos græcos codices, legerunt Hilarius, Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus, Chryſoſtomus, Apollinarius, &c.

In græco quidem, ùt notat Hieronymus, ex Θ factum videtur χ. Inde forſitan ex græco χήραν *Viduam*, idem nomen irrepſit in latinum, niſi (quod parùm veroſimile) ex *Victum* factum ſit *Viduam*. Mentitur autem Calvinus, dum jactanter aſſerit hoc mendum neminem ante ſe advertiſſe; cujus dicti falſitas patet ex Hieronymi verbis allegatis.

Pro defenſione noſtræ Vulgatæ notat La Haye vocem צידה *Tſeda*, non ſolùm poſſe derivari à verbo צוד *Tſud. Venari, Cibum quærere*, aut *parare*; ſed etiam à radice צדה *Tſada*, quæ quandoque ſignificat *Deſolari*, præſertim in paſſivo, ùt eſt illud Sophon. III. 6. *Deſolatæ ſunt civitates* נצדו *Nitſdu*, atque adeò ab hac radice poterit *Vidua* dici *Tſeda*, q. d. *Deſolata*, juxta illud I. Timot. V. 5. *Verè vidua eſt, & deſolata.*

Sed hæc magis ingenioſa ſunt, quàm vera; nam nuſquam alibi in hebræo textu *Tſeda* reperitur pro *Vidua*, imò nec pro *Deſolata*. Neque hebræa grammatica patitur à צדה *Tſada* dicere צידה *Tſeda*. Si autem ex verbo *Tſada* in paſſivo fieret participium *Deſolata*, deberet dici non *Tſeda*, ſed נצדה *Nitſda*, aut certè צדויה *Tſeduja*. Denique cum frequentiſſimè in Vulgata occurrant voces *Deſolari*, *Deſolatus*,

tus, *Desolatio*, nusquam his in hebræo respondet verbum *Tsada*, sed ubique aliud quodpiam, excepto Sophon. III. 6. ubi verbum *Nitsdu* Hieronymus vertit *Desolatæ sunt*, sensum magis, quàm verba sequens, nam *Nitsdu* verbotenus significat: *Insidias passæ sunt*, seu *Insidiis captæ sunt* civitates; nisi forsitan ad verbum צוד *Tsud* reflexerit Hieronymus, ac dicere voluerit: *Quasi venatione captæ sunt*, & *Expilatæ*, atque hoc sensu *Desolatæ*. Aliàs nullum puto adduci posse exemplum, in quo vel *Tsud*, vel *Tsada* significat *Desolare*, aut in passivo *Desolari*.

PS. CXXXV. CXXXVI. CXXXVIII.

CXXXV. ℣. ult. *Confitemini Domino Dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus*. Absunt hæc à Bibliis Regiis Latinis, omittuntur ab Hilario, & à S. Hieronymo in sua translatione, nec sunt in hebræo, chaldæo, græco. Augustinus tamen, & Hieronymus in Commentariis super Psalmos (si tamen sint sui) illa legunt, prout & latina Psalteria passim omnia antiqua & nova.

CXXXVI. 9. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram*. Non est legendum cum multis Vulgatæ libris, signanter Sixti V. *Suos*, nam meliores habent *Tuos*, quod etiam est in græco, & hebræo: *Olalaich. Infantes tuos*.

CXXXVIII. 20. *Accipient in vanitate civitates tuas*. Etiam hîc benè restitutum est *Tuas*, pro *Suas*, quomodò passim antea legebatur, etiam in Sixti V. Etenim *Tuas* habetur in hebræo, chaldæo, græco.

PSAL. CXLIV. CXLIX.

CXLIV. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Hic totus versus omninò est admittendus, licet modò desit in hebræo, & chaldæo, & in translatione Hieronymi, quia ex tunc de hebræo exciderat; habetur autem in omnibus Græcis, Latinis, Syris, Arabicis. De Hebræo excidisse specialiter probat, quòd omnes istius Psalmi versus in hebræo sint Acrostichi, seu incipiant per litteras ordine Alphabetico invicem sequentes; cùm verò versus 13. incipiat per מ *m* מלכותך *Malchuthecha. Regnum tuum*, post quem ordine alphabetico deberet sequi נ *n*, omissâ litterâ istâ incipit versus 14. per sequentem in hebræo Alphabeto post נ *n*, nempè per ס *s* סומך *Somech. Fulciens. Allevat* &c. Excidit igitur versus medius incipiens per נ *n*, qualis est iste: *Fidelis* &c. נאמן יהוה בכל־דבריו וקדוש בכל־מעשיו *Neëman Adonaj becol debarau, vekados becol maasau. Fidelis Dominus* &c.

CXLIX. 2. *Filii Sion exultent in Rege suo*. Etiam in hebræo est בני *Bene. Filii*, non בנות *Banoth. Filiæ*. Similiter in græco υἱοὶ. Unde non rectè plurimi Vulgatæ libri, signanter Sixti V. *Filiæ*.

℣. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum*. Ita meritò restitutum est ex hebræo, & græco, pro eo quod veteres Vulgatæ Codices, cum Sixti V. passim habebant *Exultationes*.

PRO-

PROVERBIA.

CAPUT III. IV.

IN hoc libro sunt varia in Vulgata addita ex translatione græca LXX. quæ Hieronymus cùm in Hebræo non repererat, etiam non transtulerat. Pro his nota, quæ supra diximus ad I. Reg. IV. fol. 168.

Cap. III. 9. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* In Bibliis Lovaniensium omittitur istud *Da ei*; notatur tamen ad marginem, quædam manuscripta habere: *Da pauperibus*; quod etiam habent Biblia Sixti V. legiturque à V. Beda, Lyrano, Hugone de S. Victore, Dionysio Carthus.

In hebræo, & græco non habetur: *Da pauperibus*, nec *Da ei*; sed videtur subintelligi id, quod præcessit, quasi repetitum: *Honora Dominum*. Omninò verò agi videtur de oblationibus faciendis Deo, & dandis Sacerdotibus, atque adeò *Deo* in ipsis, quibus juxta Legem primitiæ debebantur.

Potest nihilominùs istud: *Da pauperibus*, commodè subintelligi juxta varios præclaros Auctores, vel in quantùm ipsi Sacerdotes, & Levitæ possunt censeri nomine pauperum, quia nullam possessionem habebant præter decimas, & alia dona sacra; vel in quantùm Deo dantur, isque honoratur per ea, quæ dantur pauperibus ex ipsius amore, animoque honorandi eum; pauperibus autem optima quæque dari consulit, imò tantùm non præcipit Deus Numer. XVIII. 29.

℣. 35. *Stultorum exaltatio, ignominia.* Mendosum erat, quod omnes passim Vulgatæ libri antea habebant voce simili *Exultatio*; nam & hebræa, & græca Exaltationem denotant.

IV. 13. *Quia ipsa est vita tua.* Hoc est: Per hanc obtinebis vitam, & conservabis. In græco & hebræo est expresè *Vita*, non *Via*, ùt penè omnes ante correctionem Clementinam Vulgatæ libri habebant, etiam Sixti V.

℣. 27. *Vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.* Hæc omnia desunt quidem in hebræo, sed reperiuntur in græco, & antiquis libris latinis, atque exponuntur à V. Beda.

CAPUT V. VI. X.

Cap. V. 2. *Ne attendas fallaciæ mulieris.* Nec ista sunt in hebræo, aut chaldæo, sed retenta ex græco, variis latinis, & lectione V. Bedæ.

VI. 11. *Si verò impiger fueris, veniet ùt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* His quoque carent hebræa, chaldæa, & varia græca; sed quædam habent tum græca, tùm latina, leguntùrque à V. Bedâ.

X. 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes.* Notant Lovanienses quindecim manuscripta latina his verbis carere, quibus etiam carent Regia, hebræa, chaldæa, græca.

CAPUT XII.

℣. 11. *Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.* In Sixti V. est *Morationibus.* Sunt autem hæc de græco sumpta, neque reperiuntur in hebræo, chaldæo, variisque latinis. Porrò ita legendum esse constat ex græco, non autem ùt passim antea erat in Vulgata: *Qui suavis est vivit in moderationibus, in suis monitionibus relinquit contumeliam.*

℣. 12. *Desiderium impii munimentum est pessimorum.* Antea vix Codex Vulgatæ erat, qui non haberet *Monimentum*, vel *Monumentum*, ùt etiam Sixti V. sed meritò restitutum *Munimentum*; istud enim significat hebræum מצוד *Metsud*, chaldæum *Metsudetha*, græcum ὀχύρωμα.

℣. 17. *Qui quod novit loquitur, index justitiæ est.* Sic etiam chaldæa, & hebræa *Jaggid tsedek, Indicabit justitiam.* LXX. *Annunciat.* Igitur legendum *Index*, non *Judex*, ùt inoleverat in multis Vulgatæ libris, signanter Sixti V.

CAPUT XIII. XIV. XV.

XIII. 13. *Anima dolosa errant in peccatis: justi autem misericordes sunt, & miserantur.* Hæc omittuntur ab hebræis, chaldæis, græcis aliquibus, multisque latinis, aliqua tamen græca, & latina ista legunt post versum nonum hujus Capitis.

XIV. 9. *Stultus illudet peccatum.* Ita passim antiqui Vulgatæ libri, ut consonet huic Cap. X. 23. *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Aut hoc sensu, quòd cùm arguitur de commisso peccato, istud palliet, neget, excuset, eludat. Ariàs Montanus vertit: *Stultorum quisque palliabit delictum.* Pagninus: *Stultus loquetur verba delicti.* At Biblia Complutensia, & quædam antiqua manuscripta legunt: *Stultis illudet peccatum*, quomodò etiam transtulit Aquila, & habet Editio Sixti V. atque huc trahunt plerique Interpretes.

In hebr. est אוילים יליץ אשם *Evilim jalits ascham.* Ubi *Evilim* est plurale *Stulti*, vel *Stultis*; verbum autem *Jalits* singulare, prout & vox *Ascham. Delictum*; atque adeò videtur hebræo textui magìs conformis lectio Sixti V. *Stultis illudet peccatum*, præsertim cùm etiam in nostro textu sequatur: *Et inter justos commorabitur gratia.* Verbum *Jalits* est manifestè futurum tertiæ personæ singularis numeri, à verbo ליץ *Luts. Deridere, Illudere, Tergiversari, Artificiosè loqui.*

℣. 15. *Filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via ejus.* Absunt hæc ab hebræis, chaldæis, græcis variis, & aliquibus latinis, sed græci, latinique multi habent ista Cap. XIII. 13.

Æquale præterpropter est judicium de ℣. 21. *Qui credit in Domino, misericordiam diligit.*

XV. 5. *In abundanti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.* Inveniuntur ista in solis græcis, & aliquibus latinis antiquis.

℣. 27. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis à malo.* Hæc in solis græcis hoc loco leguntur; ab omnibus verò Cap. XVI. 6.

CA-

CAPUT XVI. XVII. XVIII.

Cap. XVI. Græca sola, & pauca latina habent ista ℣. 5. *Initium via bona, facere justitiam: accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare hostias.*

℣. 11. *Opera ejus omnes lapides sacculi.* Ita, consonantibus græcis, hebræa כיס *Cis. Sacculus, Marsupium, Crumena*, non עולם *Olam. Saculi*, quod ex similitudine vocis *Succuli*, in omnibus propemodum latinis libris inoleverat, jam à temporibus Bedæ, cùm & ipse ita legat.

℣. 13. *Diligetur.* Sic esse scribendum constat ex hebræo & græco, non voce simillimâ: *Dirigetur*, ùt omnes passim antiqui Vulgatæ codices.

XVII. 16. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui evitat discere, incidet in mala.* Hæc ex solis græcis hausta sunt.

℣. 19. *Qui exaltat ostium.* Vocem *Ostium*, quam habent hebræa, chaldæa, græca, Amanuensium incuria diviserat in duas voces: *Os suum*, ùt mendosè passim antea legebatur in Vulgata, etiam Sixti V.

XVIII. 8. *Pigrum dejicit timor: animæ autem effeminatorum esurient.* Ista quoque in græcis solummodò inveniuntur, prout & hæc ℣. 22. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & impius.* In Codice Vaticano Sixti V. habetur *Stultus est, & insipiens*, qualiter legunt etiam varia Latina antiquiora; sed rectiùs legitur *Impius*, cùm ita sit in græco ἀσεβής. Item sic legit Hieronymus in Cap. xix. Matthæi. Deinde cùm præcesserit *Stultus*, non videtur repetendum *Insipiens.*

CAPUT XIX. XX. XXII.

XIX. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem.* Ita legendum esse docent hebræa, chaldæa, græca; non *Fugit*, quod antea inoleverat in plerisque latinis, etiam Sixti V.

XX. 25. *Ruina est homini devorare sanctos, & post vota retractare.* Hanc esse genuinam lectionem patet ex hebræo *Jala kodes. Deglutiet, Absorbebit, Devorabit*, id quod *Sanctum* est; non *Devotare*, ùt Biblia Sixti V. vel *Denotare*, aut *Devocare*, ùt aliqui Vulgatæ libri.

Qui notas adjecit novæ editioni operum Hieronymi dicit omnes manuscriptos codices habere: *Et post vota tractare*, seu Contingere; unde sic posuit in textu, non *Retractare*, quod tamen eodem sensu posset accipi, q. d. *Iterum tractare*, sibi usuique suo rursùs applicare. Sensus est *Ruina*, seu *Laqueus* est, si ea, quæ quis sanctificavit, & promisit Deo, retractatâ promissione, aut voto ipsemet deglutiat, & consumat; seu *tractet* sibi rursùs vendicando.

XXII. 9. *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.* Sunt ex græco solo.

CAPUT XXIV. XXV. XXVI.

XXIV. 16. *Septies enim cadet justus, & resurget.* Ita de verbo ad verbum est in hebræo & græco, non verò: *Septies in die cadit* &c. prout ex antiquo mendo etiamnum multi malè allegant, &

 habe-

habetur quoque in Codice Sixti V.

XXV. 10. *Gratia & amicitia liberant: quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.* Et hæc ex solo Græco textu recepta sunt in Vulgatam, & ista ℣. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.*

XXVI. 2. *Sicut avis ad alia transvolans.* Ita hebræa, non: *Ad alta*, ùt legunt plerique Vulgatæ libri, etiam Sixti V.

℣. 26. *Revelabitur malitia ejus in concilio.* Malè plerique Vulgatæ libri: *In consilio*; nam in hebræo est בקהל *Bekahal. In congregatione.* In græco ἐν συνεδρίῳ. *In consessu.*

CAPUT XXVII. XXVIII. XXIX.

XXVII. 11. *Ut possis exprobranti respondere sermonem.* Ita etiam in secundâ personâ habent Biblia mea manuscripta, & varia impressa latina; in hebræo autem (cui consonant textus Syrus, & Chaldæus) est ואשיבה חרפי דבר *Veaschiba chorepi dabar.* Hoc Franciscus Lucas, & Cornelius à Lapide dicunt significare: *Et respondebo probris me afficienti*, quomodò etiam transtulerunt Pagninus, & Arias Montanus, atque ita haberetur lectio Bibliorum Lovanien. & Sixti V. *Ut possim exprobranti respondere.*

Ego interim noto hebr. אשיבה *Aschiba* (cùm sit in forma *Hiphil*) ad litteram significare *Reverti faciam*, nempè *Verbum*, sive *Sermonem*; unde puto hîc ex circumstantiis significare quidem *Respondebo*, sed non tam ego ipsa Sapientia per me, quàm potiùs *Reverti faciam sermonem*, seu *Respondere faciam* te fili mi.

Sensus igitur videtur esse: *Ut ego respondeam per te*, sive: *Ut tu possis per me instructus respondere calumniantibus me*, hoc est Sapientiam. Hinc etiam in secunda persona transtulerunt LXX. ἀπόστρεψον, *Averte*, sive *Depelle*, utique sapienter respondendo à me instructus.

℣. 16. *Vocabit.* Ita patenter hebræa יקרא *Ikra*, & græca καλεῖται. Proinde minùs rectè Editio Sixti V. *Evacuabit*, aliique aliqui Vulgatæ codices: *Evacuet.*

℣. 21. *Cor iniqui inquirit mala; cor autem rectum inquirit scientiam.* Hæc sunt suppleta ex solis græcis.

XXVIII. 8. *Qui coacervat divitias usuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.* Ex hebræo, & græco constat ita esse interpungendum, non verò translato commate post *Liberali*, ùt legunt multi latini, & Biblia Sixti V.

XXIX. 27. *Verbum custodiens filius extra perditionem erit.* Ista nequidem in græco habentur hoc loco, leguntur tamen in aliquibus græcis ad finem Capitis XXIV.

CAPUT XXX.

℣. 19. *Viam viri in adolescentia.* Eodem modo habetur in græco νεότητι, sed si legas νεάνιδι erit *Adolescentula*, quomodò legunt varia latina, videturque magìs probabilis lectio, cùm hebræa etiam sic habeant: *Derech geber bealma. Viam viri* (fortis ac robusti, quem significat hebræum *Geber*) *in virgine*, utique manente tali. Atque adeò videtur

Pro-

Prophetia de Christo (ab instanti conceptionis perfecto viro) in, & ex Virgine nascituro, juxta illud Jerem. XXXI. 22. *Femina circumdabit virum.* Vide Lyranum, & Jansenium Gandensem.

℣. 31. *Nec est Rex, qui resistat ei.* Hebr. וּמֶלֶךְ אַל קוּם עִמּוֹ *Umelech al kum immo. Et Rex non surgens cum eo.* Hoc est: Nemo Regi audet resistere. Hinc quædam Latina habent: *Et Rex, nec est qui resistat ei.* Biblia verò Sixti V. *Et Rex, cui non est qui resistat ei.* Hanc esse genuinam Vulgatæ lectionem docet Lyranus cum aliis pluribus, mihique placet vel ex eo, quòd in textu præcesserit: *Tria sunt quæ benè gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter,* cùm tamen, si modernam Vulgatæ lectionem sequamur, tria tantùm allegentur: *Leo, Gallus, Aries.* At in lectione Hebræo textui conformi, additur quartum, nempè *Rex.* Hebræo consonant Chaldæus, & Græcus.

ECCLESIASTES.

CAPUT II. X.

CAp. II. 1. *Dixi ego in corde meo.* Hebræa אָמַרְתִּי אֲנִי *Amarti ani.* Græca εἶπον ἐγώ. In utrisque exprimitur *Ego,* nec habetur *Ergo,* quod est in variis Vulgatæ libris, & in Bibliis Sixti V. 1590.

X. 1. *Pretiosior est sapientia & gloria, parva & ad tempus stultitia.* Ita interpungendum esse, & legendum in Ablativo absoluto *Sapientiâ & gloriâ* ex Hebræo textu demonstravi libro præcedenti; unde mendosè Aliqui: *Parvaque gloria.* Varii Codices hîc varia alia menda habent.

℣. 19. *In risum faciunt panem, & vinum ut epulentur viventes.* Legendum est *In risum,* & *Viventes,* ùt patet ex hebræo לִשְׂחוֹק *Lischok. Ad risum.* LXX. εἰς γέλωτα. Item חַיִּים *Chajim.* ζῶντας *Viventes.* Non *In Risu.* Non *Bibentes,* quod ultimum in omnibus penè Vulgatæ libris irrepserat.

CAPUT XI. XII.

XI. 2. *Da partem septem, nec non & octo.* Ita legendum esse constat ex hebræo & græco, ex quibus patet illud *Septem* esse in vim Dativi casûs, ùt ostendi libro 1. Qui cum Sixti V. legunt *Partes,* magnam dant ansam accipiendi illud *septem* & *octo* in Accusativo.

XII. 11. *Quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.* Varii libri hîc habent *Concilium.* In Hebræo est אֲסֻפּוֹת *Asuppoth,* hoc est *Collectiones,* q. d. Sententias morales & doctrinales magistri ac sapientes collegerunt, atque congregarunt, edocti à Pastore omniumque uno Doctore, & Rectore Deo. LXX. Συνθεμάτων. Per *Compositiones,* vel *Conjunctiones.*

℣. 14. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Aliqui legunt *Reatu,* sed hoc spurium est, inquit Franciscus Lucas; siquidem est in hebræo נֶעְלָם *Neblam. Absconditum* (ùt se transtulisse dicit Hieronymus in Comm.) seu *Occultum, Ignoratum, Erratum,* nempè ab operante, quod benè exposuerunt LXX. vertentes παρεωραμένῳ. Partici-

pium passivum propriè significans *Inconsideratum*, *Non-animadversum*, *Neglectum*, atque adeò *Erratum* ex eo, quòd quis non advertat ad ea, quæ agere debet, & advertere, quod Flandricè diceremus: *Daer niet op gelet en is*. Talis *Erratus*, sive tale *Erratum*. Gallicè vocatur *Megarde*, poteftque esse *Neglectus* tum boni, quod faciendum aut procurandum est, tum mali, quod omittendum, aut impediendum; atque adeò optimè Vulgata habet *Errato*. Hieronymo teste *Symmachus & LXX. Interpretati sunt*: *De omni contemptu*, *vel certè*: *De omni ignoratu*.

CANTICA.

CAPUT I. II.

CAp. I. 3. *In odorem unguentorum tuorum*. Hæc ex LXX. Interpretibus ab antiquo sunt addita, atque à S. Gregorio Magno exposita, licet desint in Hebræo, & in paucis Latinis, omittuntur etiam in editione nova Hieronymi.

II. 10. *Columba mea*. Idem dicendum de his, habentur tamen in dicta nova editione operum Hieronymi.

℣. 13. *Surge amica mea*. Monet quidem Franciscus Lucas non esse hoc loco interponendum verbum *Propera*, illudque omittunt Gregorius, Beda, Bernardus, Thomas, Richelius. Sed cur minùs hoc loco, quo addit Editio Sixti V. & multi Vulgatæ libri cum Hugone Cardinali, quàm ℣. 10? Certè hîc, nempè ℣. 13. æquè ùt ℣. 10. additur in græco Ἀνάστα, ἐλθὲ ἡ πλησίον μου. *Surge*, *veni* (seu *propera*) *propinqua mea* sive *cognata*. Similiter in hebræo est קוּמִי לְכִי רַעְיָתִי *Kumi lechi rajati*, quod ita pronunciatum significat: *Surge veni* (seu *vade*, sive *propera*) *amica mea*, vel *socia*.

Dico *Ita pronunciatum*, quia in hebræo litteræ לכי nunc aliis punctis sunt affectæ, hoc modo לְכִי ut sonent *Lach*, hoc est *Tibi*. *Surge tibi amica mea*, qui est modus consuetus loquendi hebræorum, ùt patet tum hoc versu, tum ℣. 10. quibus locis pro *Et veni*, est in hebræo וּלְכִי לָךְ *Ulchi lach*. *Et veni tibi*, seu *Vade tibi*. Similiter ubi Vulgata nostra habet Gen. XII. 1. *Egredere*, est in hebræo לֶךְ־לְךָ *Lech lecha*. *Vade tibi* Abraham.

Prætendunt quidem Masorethæ, seu Rabbini, hoc versu 13. esse in hebræo textu mendum, ac pro לכי *Lechi*, *Abi*, *vade*, *veni*, *propera* femina, legendum esse omissâ litterâ י Jod. לך *Lach*. *Tibi*, qualiter corrigendum esse, seu legendum ipsi Rabbini scribunt ad marginem sacri textûs. Sed dico illos hoc infundatè asserere; cùm foret corruptio textûs non facilè nata fieri, nempè ut ex לך factum fuisset לכי quomodò ipsis Rabbinis Masorethis fatentibus habent pleraque, si non omnia, exemplaria hebræa.

Deinde ex LXX. Interpretibus vertentibus ἐλθὲ *Veni*, *Propera*, patet ipsos 300. circiter ante Christum annis legisse לכי *Lechi*. *Propera*, non לך *Lach*. *Tibi*, quod substituendum volunt Rabbini.

Probabiliùs Rabbini dicerent, & Catho-

tholici dicere possunt pro lectione modernâ Vulgatæ, verè hîc esse à Salomone scriptum לכי *Lachi*; sed pro *Lach. Tibi*, additâ nimirum in fine vocis litterâ י *i*, quæ ita sæpiùs additur in hebræo meri ornamenti, & quasi elegantiæ causâ.

Miror ego in Bibliis Clementis VIII. esse omissum ℣. 13. *Propera*, & tamen retentum ℣. 10. Cùm meâ opinione ℣. 10. majorem patiatur difficultatem; hîc enim, seu ℣. 13. est ita in hebræo קומי לכי quod simpliciter sonat: *Kumi lechi. Surge, propera.* Ibi autem, seu ℣. 10. קומי לך quod non potest sonare aliter, quàm *Kumi lach. Surge tibi.*

Quòd si ℣. 10. retentum est *Propera* propter LXX. Interpretes ita legentes, multò magìs videtur legendum ℣. 13. cùm ibidem & hebræa, & græca, & varia latina sic habeant, nempè: *Surge, propera.* Hæc interim ex propria speculatione proposita, subjicio doctiorum judicio, præsertim S. R. Ecclesiæ.

℣. 17. *Super montes Bether.* Meritò Romani Correctores, pro *Bethel*, quod legebant passim omnes Vulgatæ libri, etiam Sixti V. Restituerunt *Bether*, ita enim est in hebræo בתר Ita quoque legisse LXX. ex eo constat, quòd verterint: *Super montes κοιλωμάτων cavitatum*, seu *cavernosos*; Hoc siquidem significat hebræum *Bether*, non verò *Bethel*.

CAPUT VI. VII. VIII.

In Bibliis Sixti V. & Clem. VIII. prudentissimè sublatum est antiquum mendum, quo legebatur Cap. VI. 12. & VII. 1. *Sunamitis*, pro eo, quod legi debet *Sulamitis*, id est *Pacifica*. Ita siquidem utroque loco est in hebræo שולמית *Sulammith*. Occupat idem mendum multos Codices græcos.

VIII. 1. *Et jam me nemo despiciat.* Puto S. Hieronymum transtulisse unâ voce *Etiam*, prout est in aliquibus Vulgatæ codicibus; nam in hebræo est גם *Gam. Etiam*; nihil verò de *Jam*, hoc est: *Nunc*, prout nec in græco, in quo est καίγε. *Et quidem*, *Et certè*.

SAPIENTIA.

CAPUT I. II.

Ante correctionem Clementinam erat in omnibus penè Vulgatæ libris, etiam Sixti V. Cap. I. 6. *Maledictum*, pro *Maledicum*, ùt benè restitutum est ex græco βλάσφημον.

II. 3. *Quâ extinctâ* scintillâ, *cinis erit corpus nostrum.* Ita restitutum est ex græco, & paucis Latinis Codicibus, cùm antea legeretur in multis: *Quia extinctus cinis est corpus nostrum.* In aliis: *Quia extinctus cinis erit corpus nostrum.*

℣. 11. *Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ.* Sic esse scribendum docet græcum Δικαιοσύνης, non *Injustitiæ*, ùt ante correctionem erat in plerisque Vulgatæ libris, signanter Sixti V.

CAPUT III. IV.

III. 3. *Et quod à nobis est iter* per mortem *exterminium* esse justorum, existimatum est ab impiis. Ita intelligendum esse patet ex græco, atque adeò meritò

ritò sublatum id, quod ante hæc verba erat in omnibus propemodum Vulgatæ codicibus: *Et ab itinere justo abierunt in exterminium.* Sive, ùt in Bibliis Sixti V. *Et quod ab itinere justo abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminium.*

IV. 6. *Ex iniquis enim somnis filii, qui nascuntur.* In universis fermè Vulgatæ libris ante correctionem Clementinam habebatur: *Ex iniquis enim omnes filii, qui nascuntur*; qualiter etiam est in Codice Sixti V. Sed pro *Omnes* prudenter correctum est ex græco ὕπνοις, *Somnis*, quæ vox ibi ponitur pro Concubitu.

CAPUT VI.

Melior est sapientia quàm vires: & vir prudens quàm fortis. Illa non habentur hîc in græco, desunt quoque in quibusdam latinis. Inveniuntur tamen in græco Eccli. IX. 18. quo loco omittuntur in latino.

℣. 11. *Qui enim custodierint justa justè, justificabuntur.* Sive, ùt est in græco: *Qui enim custodierint sanctè sancta, sanctificabuntur.* Ex his manifestum evadit interpunctionem in textu latino collocandum esse post *Justè*, non post *Justa*, ac proinde mendosam fuisse tum interpunctionem, tum lectionem quamplurimorum librorum, atque etiam Codicis Sixti V. *Qui enim custodierint justitiam, justè judicabuntur.*

Sequitur: *Et qui didicerint ista.* Ita expressè græca ἀυτὰ: unde non satìs legitimè ante correctionem Clementis VIII. passim legebatur non *Ista*, sed *Justa*, etiam in Bibliis Sixti V.

CAPUT VII. VIII.

VII. 18. *Commutationes temporum.* Varii Vulgatæ libri hîc varia addunt. Codex Vaticanus Sixti V. pro his legit: *Consummationes temporum, morum mutationes, & divisiones temporum.* Videtur autem hæc editio continere duplicem translationem ejusdem græcæ vocis τρόπων, hæc enim & *Mores*, & *Mutationes* potest interpretari.

℣. 22. *Quem nihil vetat, benefaciens.* Hæ duæ sunt Spiritûs S. proprietates, quæ græcè exprimuntur: Ἀ'κώλυτον. *Inimpedibilis*, hoc est, quem nemo possit impedire, ne id, quod vult, faciat. Item Ε'υεργετικὸν. *Benefactivum*, seu *Beneficum.* Defectuosum proinde est, quòd duas has proprietates in unam confundant, imò sensum distrahant plerique Vulgatæ libri cum Sixti V. legentes: *Qui nihil vetat benefacere.*

VIII. 17. *Immortalitas est in cognatione sapientiæ.* Sic etiam præcisè Græca; unde non est genuinum, quod omnes passim Vulgatæ libri, & Biblia Sixti V. pro *Cognatione* habuerunt *Cogitatione*, hoc est Meditatione, prout etiam, quod plerique legebant *Immortalis.* Hoc primitùs videtur fuisse in Editione Vaticanâ Sixti V. 1590. Sed per chartulam impressam, priori voci pulte superimpositam, est modò correctum, seu substitutum: *Immortalitas.*

CAPUT X.

℣. 3. *Per iram homicidii fraterni deperiit.* Meritò restitutum est *Fraterni*, pro eo, quod varii antiqui Vulgatæ libri,

bri,

bri, cum Sixti V. habent *Fraternitas*, aliqui *Fraternitatis:* siquidem in græco est ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς. *Fratricidialibus disperiit furoribus.*

℣. 5. *In consensu nequitiæ.* Græcum πονηρία, *Nequitiam* significat, non *Superbiam.* Sequitur: *Cùm se Nationes contulissent.* Huic benè concordant græca: ἐθνῶν συγχυθέντων. *Gentium confusarum*, seu *simul-mixtarum*, sive *congregatarum.* Nec illis benè congruit istud *Superbia*, neque *Extulissent*, quod cum variis latinis habet Editio Sixti V. *In consensu superbiæ, cùm se nationes extulissent.*

Eodem ℣. 5. *In filii misericordia fortem custodivit* Deus Abrahamum, nempè ut fortiter vinceret misericordem, seu *viscerosam* (ùt est in Græco) dilectionem erga filium suum Isaac, cùmque offerre paratus esset. Hunc sensum etiam græca habent, in quibus est Genitivus singularis τέκνου *Nati*, sive *Filii:* ac proinde non est genuinum, quod legitur in Vulgatæ libris antiquis passim omnibus, & in Codice Sixti V. *Filiis*, & in plerisque *Misericordiam*, hoc modo: *In filiis misericordiam fortem custodivit.*

CAPUT XII.

℣. 2. *Eos, qui exerrant partibus corripis.* Gr. κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις. *Paulatim, sensim*, seu *per parvas partes corripis*, sive *arguis*, leviter ac moderatè punis, ut ad pœnitentiam invitentur. Eodem modo potest intelligi lectio Sixti V. *Eos, qui errant ex partibus corripis.* Sed interpunctio, quæ est in Bibliis Lovaniensium nec sensui quadrat, nec græco textui; ita enim habent: *Eos qui exerrant partibus, corripis.*

℣. 15. *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute.* Ita de verbo ad verbum est in græco, exceptâ copulâ *Quoque.* Erronea proinde, & planè deserenda est lectio multorum manuscriptorum codicum latinorum, in quibus est: *Ipsum qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas à tua virtute.*

℣. 17. *Horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.* Pro *Qui te nesciunt*, aliqui Vulgatæ libri legunt: *Qui te sciunt*, qualiter etiam est in græco: *In scientibus audaciam arguis.*

℣. 27. *In quibus enim patientes indignabantur.* Sic etiam græca ἐφ' οἷς γὰρ αὐτοὶ πάσχοντες ἠγανάκτουν. Plerique Vulgatæ libri duplicem horum verborum translationem continent, habent enim: *In his enim quæ patiebantur, molestè ferebant: in quibus patientes indignabantur.* Biblia Sixti V. *In his enim, quæ patiebantur, molestè ferebant, in quibus autem patientes indignabantur.*

CAPUT XIII. XIV. XVI.

XIII. 11. *Vas utile in conversationem vitæ.* Et græcum χρήσιμον, & ipsæ circumstantiæ textûs convincunt, esse mendosum, quod in variis latinis habetur *Inutile.*

XIV. 4. *Etiamsi sine arte aliquis adeat mare.* Meritò sic correctum est ex græco ἄνευ τέχνης. *Sine arte*, pro eò, quod transpositis litteris erat in plerisque libris Vulgatæ, prout & in Codice Sixti V. *Sine rate.*

℣. 14. *Advenit.* Ita legendum non *Adinvenit*, ùt Sixti V. aliique antiqui permulti; nam in græco est: *Ingressa est.*

XVI. 11. *Examinabantur.* Biblia Sixti V. multique alii Vulgatæ libri habent: *Exterminabantur.* In Græco est: *Instimulabantur*, seu *Extimulabantur*, quasi stimulis, & aculeis instigabantur.

℣. 14. *Homo autem occidit quidem per malitiam.* Superfluum est, nec in Græco reperitur, quod & Lovaniensium, & Sixti V. Biblia, & penè omnia alia addunt: *Animam suam*; unde meritò est omissum in correctis.

℣. 21. *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Hoc est conforme Græco textui, in quo est: *Substantia etenim tua tuam in filios ostendebat dulcedinem.* Deflectit verò id, quod est in antiquis variis Vulgatæ libris, & in Sixti V. *Substantiam enim tuam & dulcedinem.*

℣. 25. Manna *Omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant.* Seu *Ad petentium*, sive *orantium voluntatem*, ùt est in Græco, in quo etiam est singulare *Deserviebat*, seu *Deservivit*; unde non est genuinum, quod legitur in variis Vulgatæ libris, & in Bibliis Sixti V. *Deserviebant*, item: *Desiderati sunt.*

CAPUT XVII.

℣. 12. *Majorem computat inscientiam ejus causæ.* Hoc est *Ignorantiam*, seu *Nescientiam* τὴν ἄγνοιαν, ùt est in Græco. Variè hìc deflectunt varii antiqui libri Vulgatæ, dum alii pro *Inscientiam*, habent *Potentiam*, alii *Scientiam*, omissâ syllabâ priori, quod etiam est in Bibliis Sixti V. In Codice primæ editionis Vaticanæ post correctionem Clementis VIII. nempè anni 1592. non satìs exactè est impressum, nam spatiolo intermediè relicto, videretur esse duabus vocibus *In scientiam*, quod credo ansam dedisse, ut Typothetæ secundæ editionis Vaticanæ, nempè anni 1593. item tertiæ 1598. clarè in duas voces illa separaverint: *In scientiam.* Hoc tamen tamquam mendum habuerunt omnes posteriores Typographi, Plantiniani, Parisini, Colonienses, Lugdunenses, unâ voce imprimentes: *Inscientiam*; jure sanè meritissimo, ùt vidimus, cui adde, quòd unâ voce *inscientiam* esse legendum moneant Indices correctorii pro Bibliis Vaticanis annorum 1592. 1593. 1598.

CAPUT XVIII. XIX.

XVIII. 2. *Et ut esset differentia, donum petebant.* Ita communiter etiam antiqui Vulgatæ libri; unde non videtur genuina lectio, quòd aliqui habeant: *Te Dominum*, aut *Deum petebant.* In græco est Καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο. Quod potest verti: *Et differendi gratiâ orabant.* Item: *Et differendi gratiam petebant*, seu oratione postulabant. Ita Interpres Vulgatæ intellexit.

℣. 9. *Patrum jam decantantes laudes.* Sic etiam est in græco πατέρων ἤδη. Minùs rectum est, quod legitur in plerisque antiquis libris, & in Bibliis Sixti V. *Patri omnium*, pro *Patrum jam.*

℣. 13. *Non credentes propter veneficia*, (seu *præstigias*) quæ contra vera Moysis

sis miracula, faciebant Magi Pharaonis. *Veneficia* malè transformarunt permulti Vulgatæ libri in *Beneficia*, reclamante græco textu, qui habet φαρμακείας.

Ibidem: *Spoponderunt populum Dei esse*. Una à variis antiquis Vulgatæ libris interjecta vocula *Se*, multùm alterabat sensum: *Spoponderunt se populum Dei esse*: Meritò proinde *Se* istud sublatum est, cùm sit in Græco: Ægyptii *confessi sunt Dei filium esse* Hebræum *populum*.

℣. 22. *Nec armatura potentia*, sive ut in Græco est: *Non armorum efficacia*. Plerique antiqui Vulgatæ libri habent: *Nec armatura potentia*, quomodò etiam est in Bibliis Sixti V.

XIX. 2. *Consequebantur illos pœnitentiâ acti*. Hoc est Hebræos insequebantur Ægyptii μεταμεληθέντες, *Pœnitentes*, seu Contristati, quòd illos abire permisissent. Patet igitur non esse genuinum, quod plerique antiqui codices, & Biblia Sixti V. legunt: *Consequebantur illos pœnitentia actus*.

ECCLESIASTICUS.

IN Prologo: *Dicentes & scribentes doctissimos fieri*. Cùm sic etiam sit in Græco, meritò in Bibliis Clem. VIII. est mutatum, quod antea passim legebatur, etiam in Sixti V. *Discentes*, pro *Dicentes*.

Illorum periti facti, seu effecti. Ut ita legatur exigunt græca τῶν ἔνοχοι γενόμενοι, non verò *Periti fieri*, ùt antea erat in multis, signanter Sixti V.

CAPUT I.

℣. 16. *Cum electis feminis graditur*. In Græco nulla est de *Feminis* mentio; sed ita habetur: *Cum semine* σπέρματος *eorum fidem habebit*. Hoc est, Credet se illis, & adhærebit, atque adeò gradietur, quâ eâdem phrasi dicitur Psal. LXXVII. 8. *Non est creditus cum Deo spiritus ejus*. Hinc quidam Vulgatæ codices pro *Graditur* habent *Creditur*.

Ex Græco autem videtur in Vulgata pro *Feminis* legendum *Seminis*, q. d. Cum iis, qui ex semine fidelium electi sunt. Porrò facillimum fuit vocem *seminis* mutari in *feminis*, sed in Græco nulla lapsûs est occasio, quia nec ulla vocum similitudo.

℣. 24. *Scientiam, & intellectum prudentiæ sapientia compartietur*. Ita omnes omninò Vulgatæ libri editi ante annum 1664. Estque conforme Græco ἐξώμβρισεν. *Distillavit*, *Depluit*. Quasi pluviam abundanter communicabit. Proinde non est ullatenus dubitandum quin *Compatietur* pro *Compartietur* per mendum omissâ litterâ *r* irrepserit in Biblia Plantiniana anni 1664. prout & in quædam alia Recentiora.

CAPUT III. IV. V.

III. 10. *Honora patrem tuum*, *ut superveniat tibi benedictio ab eo*: nempè à patre tuo. Ita benè restitutum est ex Syro, & Græcis Romanis παρ' αὐτοῦ, etsi Complutensia habeant παρ' ἀνθρώπων, *Ab hominibus*. Antea & in Sixti V. & in aliis passim legebatur *A Deo* pro *Ab eo*.

℣. 30. *Frutex enim peccati radicabitur in illis.* In Græco pariter ἐῤῥίζωκεν *Radices egit.* Non rectè veteres plerique libri cum Bibliis Sixti V. legunt oppositum: *Eradicabitur.*

IV. 32. *Nec coneris contra ictum fluvii.* Errarunt Aliqui legentes: *Contra ictum fulminis*; etenim in græco est: *Ne vim inferas cursui fluminis.*

V. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Multi libri antiqui habent, & Jansenius Gandensis, Glossa, Aliique legendum autumant: *De propitiatu peccati*, quod certè magìs est conforme Græco textui: *De propitiatione ne sis securus, ut apponas peccata peccatis.* Hæc porrò possunt intelligi tum de propitiatione, quam tibi persuades esse factam, tum, & maximè, de propitiatione fienda, de quâ reverà stultè securus est, qui de hac præsumens peccata peccatis accumulat.

CAPUT VII.

℣. 4. *Noli quærere à Domino ducatum.* Antea passim habebatur in Vulgata, atque etiam in Bibliis Sixti V. *Ab homine*; sed *A Domino* habetur in græco παρὰ Κυρίȣ.

℣. 6. *In æquitate tua*, seu *Rectitudine*, ùt est in græco ἰυθύτητι. Antea Vulgatæ codices penè omnes cum Sixti V. habebant: *In agilitate.*

℣. 13. *Noli arare mendacium adversus fratrem tuum.* Hoc est moliri, componere. Est Hebræa Phrasis, pro qua non rectè legebant antiqui Vulgatæ libri, & Codex Sixti V. *Amare*, cùm pariter sit in græco: *Ne ares mendacium.*

℣. 37. *Gratia dati in conspectu omnis viventis.* Solebat antea passim in Vulgata legi inusitatâ quidem voce *Datûs* Genitivo singulari quartæ declinationis; sed erat hæc lectio clarior quoad sensum, quàm moderna. Miror non esse translatum, sicut est in Græco. χάρις δόματος, *Gratia doni.* Porrò mendosum est, quod in Latinis quibusdam legitur verbum *Datur*, aut Participium *Data.* Vide quæ ad hunc locum notavi libro præcedenti, fol. 70.

CAPUT VIII. X.

VIII. 8. *In gaudium nolumus venire inimicorum nostrorum*, hoc est: Non desideramus ut de morte nostra alii lætentur, præsertim inimici nostri. Desunt hæc in græco; sed antiqua exemplaria, & circumstantiæ textûs suadent potiùs esse legendum *Nolumus*, quomodò legunt Rhabanus, Glossa, Lyranus, quàm *Volumus*, ùt habent varii Vulgatæ libri, signanter Sixti V. post S. August. in Speculo.

X. 5. *In manu Dei prosperitas hominis.* In Græco est εὐοδία. *Bona-via*, *Felix-incessus*, non *Potestas*, ùt legi solebat in plerisque libris Vulgatæ, & in editione Sixti V.

℣. 27. *Magnus, & Judex, & Potens est in honore.* Tria hìc recensentur hominum genera, quod clarè patet ex græco: Μεγιςᾶνες, καὶ κριταὶ, καὶ δυνάςαι. *Magnates, & Judices, & dynastæ.* Ita etiam Syrus textus, quapropter Cardinalis Sirletus censuit pro *Magnus* in Vulgata legendum esse *Magnas.* Saltem ex his constat, non esse genuinum,

id

id, quod legunt Biblia pleraque vetera, & Sixti V. *Magnus est judex & potens*, ita ut *Magnus*, & *Potens* sint Adjectiva, non substantiva. Magìs aberrant libri, qui habent: *Magnus est dives judex*.

CAPUT XI.

℣. 8. *In medio sermonum ne adjicias loqui*. Hoc est: Ne inurbanè interrumpas loquentis sermonem. Porrò cùm sit etiam in græco λόγων. *Verborum*, seu *Sermonum*, patet fuisse mendum, quod in plerisque antiquis Vulgatæ libris legitur: *In medio seniorum*.

℣. 20. *Et nescit quod tempus præteriet*. Ita Biblia Vaticana Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. Græcus textus habet: *Et non novit quale tempus præteribit illum*, nempè divitem avarum.

Hinc patet, seu ex voce τις *Quod*. *Quale*, & παρελεύσεται, quod est futuri temporis, duplex esse mendum in Bibliis Lovanien. & Sixt. V. 1590. atque in plerisque aliis legentibus istud *Quod* Adverbialiter, cum verbo conjunctivi modi, hoc modo: *Et nescit quod tempus prætereat*.

Idem mendum circa *quod* est in Bibliis Plantinianis, atque aliis Recentioribus passim, signanter in Parisiensibus 1691. in quibus etiamnum habetur cum accentu *quòd*. Miror in Bibliis illis esse desertam hanc bonam notam Francisci Lucæ: *Vocula* quod *non pro Conjunctione, sed pro nomine adjectivo est accipienda*.

℣. 24. *In hora veloci*. Ex græco ὥρα fit manifestum, non fuisse genuinum, quod in plurimis Vulgatæ libris antea habebatur: *In honore veloci*.

℣. 32 *Sicut eructant præcordia fœtentium*. Hæc desunt in græco, neque minùs contextui congruit, & sententiæ, quod alii multi cum Sixt. V. legunt *Fœtantium*, hoc est Mulierum fœtarum. Videatur à Lapide.

CAPUT XII. XIII. XVI.

XII. 9. *In bonis viri, inimici illius in tristitia: & in malitia illius, amicus agnitus est*. Vide dicenda lib. 3. cap. 2.

XIII. 22. *Quæ pars diviti ad pauperem*. Optimè cum præcedentibus cohæret hæc lectio; nihilominùs multi Vulgatæ libri pro *Pars* habent *Pax*, conformiter græco εἰρήνη.

XVI. 5. *Ab uno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur*. Ita etiam *Tribus* pro Familia est in Græco φυλὴ, quod Quidam non advertentes, haud rectè scripserunt: *Et à tribus impiis deseretur*. Hoc mendum omnes propemodum Vulgatæ libros invaserat. Biblia Sixti V. habent: *Et à tribu impiorum deseretur*. Sed moderna lectio magìs conformatur Græco textui, qui habet: *Tribus autem impiorum desolabitur*.

℣. 9. *Non pepercit peregrinationi Lot*. Ex græco λώτ, patet non fuisse genuinam communem antea lectionem, quæ etiam est in Sixti V. *Non pepercit peregrinationi illorum*. Porrò ex hebræo לוט constat non esse scribendum *Loth*.

℣. 31. *Anima omnis vitalis*, seu viventis *denunciavit*. Videtur Interpres legisse ἀπεκάλυψε. *Revelavit, Denunciavit*, aut potiùs, ùt aliqui legunt, *Denudavit*,

davit, quomodò forsitan transtulit. Nunc græca passim habent contrario sensu omissis duabus prioribus litteris ἐκάλυψε. *Texit*, *Operuit*, *Abscondit*, etiam sensu congruo, ùt vide in à Lapide. Interim in nullis græcis additur *autem*, nec in illis est futurum tempus, sed præteritum, prout est in aliquibus Latinis, signanter Sixti V. *Anima autem omnis vitalis denunciabit.*

CAPUT XVII. XVIII.

XVII. 18. *Eleëmosyna viri quasi signaculum cum ipso.* Pro *Signaculo* legunt Biblia Sixti V. & plures alii libri: *Sacculus*, quod benè mutatum in Vulgata moderna, cùm etiam in græco sit Σφραγὶς, *Sigillum.*

℣. 30. *Aut quid nequius, quàm quod excogitavit caro & sanguis?* Istud *quàm quod* videtur suppletum ad explendum sensum, omittiturque in Bibliis Sixti V. atque in aliquibus aliis Latinis. In Græcis purioribus est: *Et malum* (seu *Nequitiam*) *cogitabit caro & sanguis.* In græcis Complutensibus: *Vir qui cogitabit carnem & sanguinem.* In his videtur καὶ ἀνὴρ ὃς. *Et vir qui*, factum ex ἢ τί πονηρὸν. *Aut quid* magis *nequam.*

XVIII. 6. *Cùm quieverit, aporiabitur.* Hoc est Indigebit, Inopiam sustinebit. Hoc verbum Græcum ex Græco ἀπορηθήσεται. restitutum est in Bibliis Clem. VIII. pro Latino *Operabitur*, quod minùs rectè antea passim habebatur, etiam in Sixti V.

℣. 24. *In conversatione faciei.* In græco est: *In aversione vultûs.* Unde Conversare faciem hîc est illam invertere, seu avertere, ex quo patet non fuisse genuinum, quod antea communiter legebatur, etiam in Bibliis Sixti V. *In conversatione facies.*

℣. 29. *Impluerunt proverbia.* Hoc est conforme græco: Ἀνώμβρισαν. *Repluerunt*, seu *Sursum pluerunt*, aut *Desuper pluerunt.* Ab hâc dissentit ea, quæ antea erat in Vulgata etiam Sixti V. lectio: *Imploraverunt.*

℣. 33. *Est tibi nihil in sacculo.* Græcè μαρσυπίῳ. Multi codices antea legebant duplici mendo: *Non est tibi nihil in saculo.*

CAPUT XIX. XXI. XXII.

XIX. 12. *Sagitta infixa femori carnis.* Omissâ litterulâ, est in variis latinis libris, signanter Sixti V. *Canis*, pro *Carnis.* Sed mendosè, cùm etiam in græco sit Σαρκὸς *Carnis*, non κυνὸς *Canis.*

℣. 24. *Est qui se nimium submittit à multa humilitate: & est qui inclinat faciem suam* &c. Hæc parùm aliter habentur in græca communi lectione, ex qua constat hîc agi de Hypocritis, non de verè *justis*, ut propterea meritò sit omissa vox *justus*, quæ hîc bis interponebatur in Bibliis Sixti V. & in variis aliis: *Est justus, qui se nimium... est justus, qui inclinat* &c. Quamvis *justus* hîc intelligi posset is, qui se *justum* simulat, & *justus* putatur ab hominibus.

XXI. 15. *Est autem sapientia, quæ abundat in malo.* Græcè πανουργία *Astutia.* Unde non rectè multi Vulgatæ codices, & Biblia Sixti V. *Insipientia.*

XXII. 21. *Sicut pali in excelsis.* Græcus textus pariter habet Χάρακες. *Pali*, *Sustentacula.* Fuit igitur palea, quod ante

ante correctionem Clementinam tum in plurimis Vulgatæ libris, tum in Bibliis Sixti V. legebatur: *Sicut paleæ.*

℣. 26. *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas.* Ita hæc esse legenda atque interpungenda constat ex græco; non autem, ùt ante correctionem passim legebatur: *Est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste* &c.

CAPUT XXIII. XXIV.

XXIII. 33. *In virum suum deliquit.* Ita etiam græca. In antiquioribus Vulgatæ libris permultis errore amanuensium legitur: *Virum suum dereliquit.*

In capite XXIV. multa sparsim habentur, quæ modò desiderantur in græco; sed non ideò repudianda sunt; possunt enim ex Autographo hebræo, quando illud adhuc extabat, esse translata à prisco quodam Interprete, distincto ab eo, qui fuit nepos auctoris Ecclesiastici, ex cujus nepotis versione habemus modernam translationem græcam. Idem esto judicium de variis aliis in hoc libro hinc inde repertis, quæ in græco non reperiuntur.

℣. 16. *In parte Dei mei.* Etiam in græco est singulare ἐν μερίδι, non plurale *In partes*, quod habent Biblia Sixti V. & plurimi veteres Vulgatæ libri.

℣. 41. *Ego quasi fluvii dioryx.* Sic optimè restitutum est ex græco ὡς διώρυξ ἀπὸ ποταμοῦ. *Sicut fossa* (quâ aqua ducatur ad hortos) *à fluvio*, à verbo græco διορύσσω *Perfodio:* unde eadem verba græca in verbis præcedentibus in Vulgatâ sunt versa: *Ego quasi trames aquæ.* Græcumque διώρυξ iterum ℣. 43. transfertur *Trames.*

Mallem tamen in Vulgata moderna Nomen *Dioryx*, scribi per minusculam *dioryx*, ùt est in Codice Vaticano 1593. & in variis Plantinianis, signanter anni 1664. non verò fuisse scriptum per litteram majusculam, quæ videtur retenta in Clementino primo, seu 1592. indeque passim in aliis, ex antiquo mendo, quod plerosque libros Vulgatæ pervaserat, ipsaque Biblia Sixti V. in quibus habetur: *Ego quasi fluvius Dorix*, quasi foret nomen proprium. Aliqui libri antiqui pejori mendo legebant *Vorax*, aliqui *Dorax.*

℣. 42. *Inebriabo prati mei fructum.* Ita legendum esse constat ex græco, non *Partûs mei*, quod habent varii libri.

CAPUT XXVII. XXVIII.

XXVII. 23. *Maledicti est concordatio.* Aliqui libri habent *Recordatio*, sed perperam inquit à Lapide. Editio Sixti V. *Maledicti dura est concordatio*, sed græca λοιδορίας ἐστι διαλλαγή. *Convicii est conciliatio.* Unde illud *Dura*, neque addendum videtur, neque subintelligendum, cùm generet sensum oppositum, videaturque Scriptura dicere, facilem esse concordationem, seu superesse spem reconciliandi amicum, etiamsi ei convicium intuleris, si istud secretò feceris, illum admonendo & corripiendo; sed reconciliationem esse desperatam, si ejus secreta revelaveris, ùt in textu sequitur.

℣. 27. *Multa odivi.* Sic etiam græca

cα ἐμίσησα. Non ergo admittendum *Audivi*, quod antea passim habebatur, etiam in Bibliis Sixti V.

XXVIII. 25. *Utilis potius infernus.* Non rectè erat antea in plerisque Latinis *Inferis*, cùm etiam in Græco sit Nominativus ᾅδης. *Infernus*, *Inferus*.

CAPUT XXIX. XXX.

XXIX. 10. *Multi non causa nequitia non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.* Nonnulli delent priùs *Non*, alii posteriùs; his consentit Rhabanus, & Editio Sixti V. Sed esse legendum utrumque *Non*, ipse contextus clamat; sensus enim est q. d. Multi non sunt fœnerati, hoc est, noluerunt mutuum dare rogati, non quidem causâ nequitiæ, id est avaritiæ, odii, alteriusve malitiæ, sed quia meritò timebant ne deciperentur à mutuatariis, & non reciperent id, quod aliàs mutuo darent. Hunc sensum exigit etiam græcus textus.

XXX. 15. *Melior est... corpus validum quàm census immensus.* Quandoquidem græcus textus pariter habeat ὄλβος. *Opes*, patet mendosum fuisse, quod antea in quamplurimis Vulgatæ codicibus pro *Census* legebatur *Sensus*.

CAP. XXXI. XXXII. XXXIV.

XXXI. 29. *Nequissimo in pane murmurabit civitas.* Ita restitutum ex græco: *Malo super pane obmurmurabit civitas.* Videtur enim sumi pro homine *malo*, nempè *parco*, & *avaro*; unde præcesserat: *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Solebat antea passim legi: *In nequissimo pane* &c. qualiter est etiam in Bibliis Sixti V.

℣. 30. *Diligentes in vino noli provocare.* Editio Sixti V. & quædam alia exemplaria habent: *Delectantes*; sed ex græco patet *Diligentiam*, studium, strenuam operam indicari, non *Delectationem*: longè tamen alia est constructio in græco textu, in quo illud *Diligens*, *Exactus* ἀκριβὴς jungitur non huic, sed versui præcedenti; hoc autem versu est: ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζȣ. *In vino ne viriliter agas*, seu: *ne virum te probes*, ùt vertunt Tigurina, hoc est: Ne ostentes, & ostendas te potentem ac strenuum ad multum vinum potandum, juxta illud Isa. V. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem!* Vide quæ circa hunc locum Ecclesiastici diximus Libro I. fol.74.

XXXII. 2. *Et sic conside*, seu *Sede*, prout est in Græco, non *Considera*, ùt inconsideratè quamplurimi libri Vulgatæ antiqui.

℣. 5. *Primum verbum diligenti scientia.* Sic opportunè correctum est pro eo, quod solebat minùs rectè legi, etiam in Bibliis Sixti V. *Diligenti scientiam.* In aliquibus verò: *Diligentis scientiam.* Siquidem in Græco habetur: ἐν ἀκριβεῖ ἐπισήμῃ. *In exquisita, exacta, diligenti scientia.* Α'κρίβεια *Diligentiam, & exactam inquisitionem* significat, non *Dilectionem*. Vide dicta libro I. fol. 74.

XXXIV. 12. *Multa vidi errando.* Errant plerique antiqui Vulgatæ libri legentes *Enarrando*, pro *Errando*; etenim in Græco est: *In errore meo.*

CA-

CAPUT XXXVI. XXXVII.

XXXVI. 9. *Tolle adversarium.* Ita contextus exigit scribi, exigit & græcum ἔπαρον *Tolle*, *Aufer*. Solebat in Vulgata legi *Extolle*, pro *Tolle*.

℣. 17. *Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt.* Pro *His qui*, ùt etiam est in græco τοῖς, non rectè habent plurimi libri *Quia*. Sequitur: *Et suscita prædicationes*, seu prædictiones Prophetarum, ùt ex græco constat. Antea minùs rectè, sed communiùs legebatur: *Precationes*.

℣. 19. *Secundum benedictionem Aaron de populo tuo.* Ne scribas cum omnibus penè antiquis Bibliis, atque etiam Sixti V. *da* pro *de*; hoc enim, non illud, est conforme græco περὶ τῦ.

℣. 28. *Quis credit ei, qui non habet nidum?* Propter græcum τίς meritò correctum est, quod in multis libris Vulgatæ erat: *Cui credit*. In aliquibus: *Qui credit*.

XXXVII. 6. *Non immemor sis illius in opibus tuis.* Biblia Sixti V. & varia Latina antiqua legunt *Operibus*, sed in græco est conformiter ad Vulgatam correctam χρήμασι *Opibus*.

℣. 16. *Qui cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi.* Ita etiam græca, non verò ùt Codex Sixti V. *Qui cùm titubaverit.* Minùs, ùt alii plerique: *Quicumque titubaverit, non condolebit tibi.*

CAPUT XXXVIII. XXXIX.

XXXVIII. 25. *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis.* Correspondet hoc græco: *Sapientia scribæ in opportunitate otii*, seu *Opportuno tempore*. Non erat ergo genuinum, quod habebant Biblia Sixti V. & alia passim: *Sapientiam scribe.*

℣. 31. *Vigilia sua ornabit in perfectionem.* Etiam græcus textus habet *Perfectionem*, non *Imperfectionem*, ùt malè conjungendo voces, fuit in permultis Latinis, atque etiam in Sixti V.

℣. 32. *In numero est omnis operatio ejus*, seu *Enumerata*, ùt sonat græcum ἐναρίθμιος. Pro hoc malè inoleverat in plerisque latinis vox contraria *Innumera*.

XXXIX. 5. *Bona enim, & mala in hominibus tentabit.* In græco pariter est ἀνθρώποις *Hominibus*, non πᾶσι, ùt verteretur *Omnibus*, quod omnes fermè Latini codices antea habebant, atque etiam legitur in Bibliis Sixti V.

℣. 34. *Furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.* Sic potiùs scribendum, quàm quod ante correctionem erat in plerisque libris, ipsisque Sixti V. *Confundent*; quippè in græco etiam est Κοπάσουσι, *Sistent*, *Quiescere facient.*

CAPUT XLI. XLII. XLIII.

XLI. 4. *Incredibili, qui perdit patientiam.* Græcè *Sufferentiam*, *Expectationem.* Unde non satìs genuinè varii libri veteres habent: *Sapientiam.*

℣. 20. *Non est enim bonum omnem reverentiam observare*, seu *Verecundiam*, ùt sonat græcum αἰσχύνην. Non rectè solebat in Vulgata passim haberi contrarium: *Irreverentiam.*

XLII. 8. *Probabilis in conspectu omnium vivorum.* In græco: *Coram omni vivente* ζῶντος. Pro quo non benè legebatur antea in plerisque Bibliis,

 sig-

signanter Sixti V. *Virorum.*

℣. 9. *Adulta*, seu florem ætatis pertransiens, ùt significatur per græcum παρακμάσῃ. In Bibliis Sixti V. & antiquioribus Vulgatæ libris plerisque est: *Adultera.*

XLIII. 24. *Humilem efficiet eum.* Non sine similitudine veri, inquit Franciscus Lucas, putant Quidam legendum esse *Hilarem*, quod est lætum: In græco enim est ἱλαρώσει. *Lætificabit.*

℣. 25. *Plantavit in illa* (abysso, seu mari) *Dominus insulas.* Ita, omissâ quidem, sed evidenter subintellectâ voce *Dominus*, est etiam in græco Ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους. Ultimum tamen græcum verbum νήσους. *Insulas*, propter affinitatem ad benedictum nomen ἰησοῦς *Jesus*, credo dedisse occasionem communis antea lectionis: *Plantavit illum Dominus Jesus*, quomodò etiam est in Bibliis Sixti V. 1590.

CAPUT XLV. XLVI.

XLV. 6. *Dedit illi coram præcepta.* Sic & græca Κατὰ πρόσωπον. *Coram*, seu *Ante conspectum*; non: *Cor ad præcepta*, ùt mendosè Biblia Sixti V. & multi alii veteres Vulgatæ libri.

℣. 27. *Ceterum in terra gentes non hereditabit.* Non est quidem scribendum cum aliquibus *Gens*, nempè Levitica; sed fortè genuina lectio est *Gentis*, scilicet populi Israëlitici; sic enim est in græco: ἐν γῇ λαοῦ. *In terra gentis.* Et hic genuinus sensus est; nimirum Leviticam Tribum nullam in terra Chanaan cum reliquis Israëlitis hereditatem habuisse. Saltem sic clariùs positum fuisset in Vulgata.

℣. 29. *Placuit Deo pro Israël.* Istud *pro* meritò additum est ex græco in Bibliis Sixti V. & Clem. VIII. cùm antea passim, omisso *pro*, alium sensum indicarent verba: *Placuit Deo Israël.*

XLVI. 17. *Et vidit Deus Jacob.* Varia latina, signanter Sixti V. malè invertunt sensum: *Et vidit Deum Jacob.* Nam in græco est: *Et superinspexit Dominus Jacobum.*

CAPUT XLVII. XLVIII. LI.

XLVII. 13. *Dominus purgavit peccata ipsius.* Etiam in græco est Κύριος, *Dominus*, non *Christus*, ùt antea passim erat in Vulgata, etiam Sixti V. Aut *Spiritus*, quod legitur in aliquibus.

℣. 22. *Incitari*, seu *Stimulari*, κατανυγῆναι. Mendosum proinde est, quod in plerisque antiquis libris, & in Codice Sixti V. est: *In ceteris.*

XLVIII. 3. *Dejecit de cælo ignem ter.* Sixti V. *Dejecit à cælo ignem terra.* Græca Κατήγαγε τρὶς πῦρ ἐξ οὐρανοῦ. *Deduxit ter ignem ex cælo.* Crasso mendo plerique antiqui Vulgatæ libri: *Dejecit à se ignem terra.*

LI. 19. *Ante templum postulabam pro illa.* Ita græca, non: *Ante tempus*, ùt Biblia Sixti V. & pleraque vetera.

℣. 26. *Insipientiam ejus luxi.* Gr. *Ignorantias ejus ἐπενόησα. Animadverti.* Unus Vaticanus Codex ἐπένθησα. *Luxi*, à *Lugeo.* Hic locus antea variè depravatus erat. Biblia Sixti V. habent: *In sapientia ejus luxit anima mea, & ignorantias meas illuminavit.*

ISAIAS.

ISAÏAS.

CAPUT VII. XV.

CAp. VII. 14. *Vocabitur nomen ejus Emmanuël.* Antiquiores Vulgatæ libri passim, prout & nova editio Hieronymi non habent *Vocabitur*, sed *Vocabis*, nempè tu, ô Virgo mater! est enim in hebræo וקראת *Vekarath. Et vocabis tu* femina, qualiter legit Hieronymus, ipsoque teste: *Et LXX. & tres reliqui transtulerunt* (nempè Symmachus, Aquila, Theodotion) *pro quo in Matthæo scriptum est: Vocabunt, quod in Hebræo non habetur.* Itaque dubium non est, quin *Vocabis* transtulerit Hieronymus; totusque prætendit Franciscus Lucas hanc esse genuinam nostræ Vulgatæ lectionem, non *Vocabitur*, non *Vocabitis*, nec, quod Hugo Carensis legit, *Vocabit.*

XV. 5. *Vitulam conternantem.* Hoc est: tertium annum habentem, aut agentem, seu *Triennem*, ùt est in hebræo, chaldæo, græco. Porrò ex Commentario Hieronymi, & ipsius qq. in Genesim, constat ipsum vertisse: *Vitulam conternantem*, non *Consternantem*, ùt legunt permulti Vulgatæ libri antiqui.

CAPUT XVII. XXI.

XVII. 10. *Quia oblita es Dei Salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis.* S. Hieronymus etiam legit *Fidelem*, prout & chaldæus textus, item hebræus, qui tamen modò non tam *Fidelem* habet, quàm *Pulchram* נטעי נעמנים *Nite naamanim. Plantationes pulchritudinum*, hoc est *Formosas, pulchras*, seu *pulcherrimas*, posito Abstracto pro Concreto.

Mea speculatio est, olim forsitan in hebræo fuisse eodem quidem sensu, sed unâ litterâ aliâ, non נעמנים *Naamanim. Pulchritudinum*, sed נאמנים *Neemanim. Fidelitatum*, id est *Fideles*; nam etiam LXX. ita legisse videntur.

Est autem hìc juxta Hieronymum Ironia, quam satis clarè contextus indicat, atque adeò sensu non differunt LXX. φύτευμα ἄπιστον. *Plantationem infidelem.* Vel si non sit Ironia, ipse totus Scripturæ locus clamat, quòd *fidelem*, sive *pulchram* Deus vocet *plantationem*, quòd pulchras quidem Judæi, & bonas plantas plantabunt, ac sementem optimam seminabunt, imò & fructus segetemque copiosam obtinebunt, sed quæ propter peccata eorum ab alienis diripietur, & ita *infidelis* erit, & *germen alienum.* Translationem græcam sequuntur varii manuscripti Latini Vulgatæ Codices, atque etiam Editio Vaticana Sixti V.

XXI. 10. *Tritura mea, & filii areæ meæ.* Ita benè restitutum est, cùm passim antea pro *Filii* haberetur *Filia*, etiam in Bibliis Sixti V. Etenim in hebræo est בן *Ben. Filius*, seu *Fili* in vocativo, prout legitur in Hieronymi textu, & Commentario, atque in nova ejus Scripturæ editione. Sumitur autem singulare pro plurali, ùt rec-

tè Vulgata moderna exprimit.

℣. 11. *Ad me clamat ex Seïr.* Sic etiam hebræa משעיר *Mis-Seïr. De,* seu *Ex Seïr*, item LXX. *παρὰ τοῦ Σηείρ.* Item omnes Latini antiqui, ac novi Codices, quos vidi, exceptis Bibliis Hentenii, quæ sæpissimè reimpressa constanti, sed insigni mendo habent: *Rex Seïr*, pro *Ex Seïr*. Ita enim lego in Bibliis Hentenii primis de anno 1547. item 1561. 1565. 1570. 1574. 1583.

CAPUT XXIV. XXVI. XXX.

XXIV. 5. *Terra infecta est ab habitatoribus suis.* Multi Vulgatæ libri tam impressi, quàm manuscripti habent: *Terra interfecta est*, qualiter etiam legitur in textu Commentariorum Hieronymi. Vide quæ dixi hoc libro ad Psalm. cv. 38. fol. 212.

XXVI. 2. *Urbs fortitudinis nostra Sion.* Vox *Sion* explicationis causâ videtur adjecta, quam non apponunt varii Vulgatæ libri, prout nec textus hebræus, chaldæus, græcus, neque S. Hieronymus tum in textu, tum in Commentario, in quo insuper dicit: *Urbs fortitudinis nostra Salvator est.* Ita ut nec explicationis causâ ritè videatur apposita vox *Sion*, nisi fortè sumpta in casu vocatîvo: *O Sion!*

XXX. 29. *Canticum erit vobis sicut nox.* Ita meritò restitutum est ex correctioribus Latinis, & Hebræo כליל *Celel. Sicut nox*, pro eo, quod ex similitudine vocis irrepserat in plerisque Vulgatæ libris, etiam Sixti V. *Sicut vox.*

CAPUT XXXIV. XXXV. XXXVIII.

XXXIV. 14. *Occurrent dæmonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum.* Ex איים *Iim*, & ציים *Tsiim*, quæ pluralia sunt, itemque ex textu, & Commentario Hieronymi, constat sic esse legendum, & verba conjungenda, ùt ex Bibliis Clementis VIII. adduxi, neque genuinam fuisse lectionem antea Communiorem, quæ etiam est in Bibliis Sixti V.] *Occurrent dæmonia, Onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum.*

XXXV. 4. *Dicite pusillanimis*, seu meticulosis. Dativum pluralem etiam exprimunt Hebræa. Latini multi legunt cum LXX. *Pusillanimes*, quod sensu convenit, si sumatur in vocativo, & jungatur sequentibus, hoc modo: *Dicite: Pusillanimes confortamini.*

XXXVIII. 14. *Domine vim patior, responde pro me.* q. d. Suscipe patrocinium meum. In Hebræo est ערבני *Orbeni. Fidejube, Sponde pro me*, qualiter etiam legunt aliqua Latina exemplaria, istoque sensu potest sumi in Vulgata moderna illud *Responde.*

℣. 16. *Domine si sic vivitur.* Fortè superfluit illud *Si*, eoque carent plurimi Latini codices. Si tamen sumatur hic locus interrogativè, includitur sensu tum in illis Latinis, tum in Hebræo, in quo est: *Super ea*, seu *Super talia vivent.*

CAPUT XL.

℣. 2. *Quoniam completa est malitia ejus.* In hebræo habetur צבאה *Tsebaah.* *Mi-*

Militia ejus, qualiter est in variis Latinis; sed *Militia* hîc sumitur pro labore, afflictione, miseriâ; quapropter LXX. transtulerunt ταπείνωσις *Humilitas*, quâ deprimebatur Jerusalem; unde in Bibliis tum Sixtinis, tum Clementinis retenta est vox *Malitia*, quæ hîc miseriam, & afflictionem significat, sicuti Matth. VI. 34. *Sufficit diei malitia sua.*

℣. 9. *Tu, qui evangelizas Sion, ... qui evangelizas Jerusalem.* Aliqui Vulgatæ libri pro utroque *Qui*, habent femininum *Quæ*: videturque hæc genuina lectio; sic enim Hieronymus in Commentario legit, imò asserit: *Hebræa, & ceteri Interpretes ponunt genere feminino: Quæ evangelizas Sion, &: quæ evangelizas Hierusalem.* Ita etiam Haymo. Quod si ita legeretur sensus esset clarior; nam in Hebræo est: *Euangelizatrix Sion... Euangelizatrix Jerusalem.* Vide dicta libro præc. fol. 78. Ad modernæ Vulgatæ *Qui*, debet subintelligi: Tu populus Sionis, qui Euangelizas &c.

℣. 12. *Quis... libravit in pondere montes?* In hebræo est שקל *Schakal. Ponderavit, Libravit, Appendit in statera.* Consentiunt LXX. ἔστησε. *Collocavit, Statuit, Posuit in statera.* Totusque Scripturæ contextus clamat hîc de *libratione* agi, non de *liberatione*. Etiam *Libravit* est in omnibus Clementinis, ac Recentioribus cunctis, atque in meis manuscriptis antiquis, imò in ipsis primis Hentenii, seu impressis anno 1547. item 1561. denique in ultimis, nempè anni 1583.

Quapropter non dubito, quin merâ Typographi incuriâ irrepserit in Editionem Hentenii anni 1565. indeque in varias alias Hentenii, ac Lovaniensium, signanter 1570. 1574. atque in ipsam Vaticanam Sixti V. 1590. interpositâ unâ litterulâ: *Liberavit.* Hoc autem tantò magìs credo, quòd Lovanienses in suis Notis marginalibus, non indicent in ullis manuscriptis Latinis legi *libravit*, nec meminerim me usquam legisse *liberavit*, pro *libravit*.

CAPUT XLI.

XLI. 12. *Homines bellantes adversum te.* Ita etiam textus in Commentariis Hieronymi, item hebræa, chaldæa, græca. Antea non rectè plurimi libri habebant alio sensu: *Hominis bellantis.*

℣. 19. *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum olivæ: ponam in deserto abietem* &c. Mallem scriptum fuisse Ablativo casu: *In solitudine*, prout teste Francisco Luca multi legunt antiqui libri, atque ita legisse Hieronymum suadet ejus nova editio, sine ulla prorsùs nota alterius lectionis habens: *In solitudine*, quomodò etiam legit Hieronymus in textu juncto Commentariis. Neque minatur hîc Deus se desolaturum cedrum, spinam, &c. sed promittit, quòd hæc crescere faciet *in solitudine*, sive in terra, quæ priùs deserta erat, prout & statim in textu sequitur: *Ponam in deserto abietem, ulmum, & buxum.* Ita insuper habet textus hebr. אתן במדבר ארז *Etten bammidbar erez. Dabo in solitudine cedrum* &c. אשים בערבה ברוש

 Asim

Asim ba-araba broz. Ponam in deserto abietem &c.

℣. 27. *Primus ad Sion dicet: Ecce adsum.* Passim legitur in antiquis Vulgatæ libris, prout & in Parisiensibus anni 1691. *Adsum*, quod quidem etiam est in Bibliis Vaticanis Sixti V. prout & fuerat in Clem. VIII. 1592. Sed in his antequam illa Biblia evulgarentur calamo correctum est, & ex *Adsum*, factum *Adsunt*. In Vaticanis autem Clem. VIII. 1593. expresse habetur *Adsunt*, quod omnes passim posteriores sunt secuti, prout & nova Editio S. Hieronymi, ipseque Hieronymus in Commentario: *Priusquam Dominus loquetur ad Sion, id est, ad Ecclesiam suam, & dicet ei: Ecce adsunt filii tui, quos tibi per meam donavi fidem.* Etiam *Adsunt* legi postulat hebraïcus textus הנה הנם *Hinne hinnam. Ecce ecce ipsi*, supple *Adsunt*, vel *Veniunt*, ùt suppletur in Chaldæo.

CAPUT XLVI.

℣. 11. *Vocans ab oriente avem.* Ad hæc Lucas Brugensis: *Quidam interpretandi causâ pro* Avem, *id est Volucrem, scripserunt* Justum, *malè.* Ita benè Lucas; nam hebræa non habent צדיק *Tsaddik. Justum*, sed עיט *Ait. Volucrem*, nempè Cyrum (in cujus labaro, ùt refert Xenophon, fuit aquila aurea expansis alis) qui summâ celeritate devolabit in Babylonicam Columbam, eamque unguibus suis in frusta discerpet. Allegoricè juxta Hieronymum, & Cyrillum, hæc *avis* est Christus oriens ex alto, & quasi volans de cœlo factus homo.

CAPUT XLIX.

XLIX. 10. *Ad fontes aquarum potabit eos.* Multi libri Latini legunt *Portabit.* Græca ἄξει *Ducet.* Hebræa ינהלם *Jenahalem*, à verbo *Nahal. Ducere, Portare*, ùt transfertur in Vulgata Exod. xv. 13. Isa. xl. 11. Etiam sic videtur intellexisse S. Joannes, qui hunc locum referens, seu eo utens Apoc. vii. 17. in græco scripsit ὁδηγήσει αὐτοὺς. Vulgata: *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Chaldæus textus habet ישרינון *Jasrinun. Habitare faciet*, seu *Collocabit eos.* Interim idem verbum נהל *Nahal* in Vulgata transfertur *Sustentare*, sive *Enutrire* Gen. xlvii. 17. & Ps. xxii. 2. Sensusque in idem redit; ideò enim Deus ad fontes eos ducet & portabit, ut ibidem potet; idcircò S. Hieronymus in Commentario utramque lectionem miscet: *Et reget eos, & deducet ad fontes aquarum, sive potabit illos ad fontes.*

℣. 20. *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ.* Ita, nempè *Filii* habetur in Bibliis Sixti V. item Clementis VIII. 1592. hoc est primo ipsius exemplari Vaticanæ editionis, ita etiam omnes Latini libri ante illam editionem, & post illam variæ Editiones, signanter Vaticana 1598. Plantinianæ 1619. 1628. 1629. 1645. Colonienses 1630. 1639. 1647. 1666. 1679. 1682. Lugdun. in forma 8. anni 1680. (Lugdun. ejusd. anni in 4. habet *Filiis*) Paris. 1691. Bamberg. 1693. Etiam expressè *Filii* est in textu, atque in Commentario Hieronymi, item in omnibus omninò aliis textibus Scripturæ, con-

conformiter ad originalem hebræum בני *Bene. Filii*, non לבני *Libne. Filiis*, ùt habetur in secunda editione Vaticana Clementis VIII. nempè anni 1593. ex quo exemplari irrepsit *Filiis* in omnibus penè ad hoc exemplar factis impressionibus, signanter Plantinianis. Sed cum Francisco Luca vix dubito, imò non dubito, quin in ista editione Romana subreptum sit Typographis. Unde quamvis Index Correctorius pro Bibliis anni 1593. non moneat legendum esse *Filii*, tamen sufficienter correctum est per hoc, quod Biblia Vaticana anni 1598. iterum habeant *Filii*.

CAPUT L.

℣. 5. *Retrorsum non abii*. Ita exemplar Vaticanum Sixti V. item Clementis VIII. primum, seu anni 1592. & tertium nempè anni 1598. Meritoque sic retentum est in aliis alibi impressis deinde Bibliis Vulgatæ, quia sic legendum esse patet tum ex circumstantiis textûs, tum ex aliis prioribus Editionibus, & manuscriptis, tum ex aliarum linguarum textibus, præsertim Hebræo: unde merum mendum typographicum est, quod Exemplar secundæ Vaticanæ impressionis Clem. VIII. quod est de anno 1593. habeat *Abiit*. Videtur intendentibus correctioni istius præli, tempore quo hoc & præcedens caput imprimebatur, inadvertentiâ aliquâ subreptum, ac propterea mendosè remansisse & hîc *Abiit*, & ibi *Filiis*.

CAPUT LII.

℣. 5. *Et numquid mihi est hic?* Ita quidem habent Exemplaria Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. & Romanum 1624. Ita quoque impressum fuit in exemplari Sixti V. quod est anni 1590. sed in eodem, chartulâ impressâ pulte superpositâ correctum est *Nunc quid* duabus vocibus, quam puto esse genuinam Vulgatæ lectionem, eamque exhibent antiquiores libri Latini tam impressi, quàm manuscripti, item Breviaria omnia, quæ videre potui, etiam recentiora in tertia lectione festi Nativitatis Domini. Sic etiam habent tam textus, quàm Commentaria Hieronymi, exigitque textus hebræus, in quo non est הלא *Halo. Numquid? Nonne?* sed ועתה מה־לי־פה *Ve-atta mal-li pho? Et nunc quid mihi hic?* Huic consonat græcus Καὶ νῦν τί ἐςὲ ὧδε. *Et nunc quid estis hic?* seu potiùs ùt Basiliensia τί ἔςαι. *Quid erit hic?*

CAPUT LIII.

℣. 11. *Justificabit ipse justus servus meus multos*. Ita etiam hebræa צדיק עבדי *Tsaddik abdi. Justus serv us meus*. Deviat ergo lectio quorumdam: *Justos servos meos*, aut: *Justus servos meos*. Siquidem vox *Tsaddik* non potest exponi aliter, quàm in singulari *Justus*: quamvis autem עבדי *Abdi. Servus meus*, posset aliis punctis legi עֲבָדַי *Abadaj. Servos meos*; tamen hîc non sat congruè, neque cohærenter in Hebræo: ex Commentariis quoque Hieronymi constat illum legisse: *Servus meus*.

CA-

CAPUT LIV. LVII.

LIV. 1. *Lauda sterilis.* Hebræum רני *Ronni* propriè significat: Præ jubilo exulta, canta, lauda; unde LXX. εὐφράνθητι *Lætare*, ita nimirum ut lætitiam laudibus Divinis cantandis ostendas. Hanc translationem græcam secutus est Apostolus Gal. IV. 27. Et varii libri Vulgatæ etiam hoc loco.

LVII. 9. *Ornasti te Regi unguento.* Sic est in hebræo, & in libris correctis, inquit Lyranus, & ego cum eo, admirans quòd Lovanienses, sine ulla prorsùs nota addita, commune mendum sequentes legant: *Ornasti te regio unguento*, quomodò etiam Biblia Sixti V. & editio nova Hieronymi; sed ex ipsius Commentario manifestum est ipsum legisse *Regi*, quod & Hebræus textus habet *Lammelech. Ipsi regi*, per quem *Regem*, juxta multos, Isaïas intelligit Idolum *Moloch*, quod etiam Idololatræ Israëlitæ coluerunt. Imò, si uno tantùm alio puncto legas, ita sonat ipsa vox hebræa למלך *Lam-Molech. Ipsi Moloch.*

CAPUT LX.

LX. 4. *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Hieronymus in Commentario legit *Lac sugent*, videturque ita, hoc est *Sugent* transtulisse, quod etiam habent antiquiora manuscripta, & Biblia Complutensia, taliterque legendum opinantur Forerius, & noster Sasbout; siquidem in hebræo est על צד תאמנה *Al tsad teamana. Ad latus nutrientur*, seu educabuntur, nempè è latere tuo lac sugendo. *Sugent*, inquit Hieronymus, *lac Apostolorum.* Sed cum אמן *Aman* (unde *Teamana*) etiam significet *Confirmare*, & *Corroborare*, potest retineri verbum *Surgent*, quia in sensu comprehenditur; nempè quòd debiliores in virtute fideles, sugentes lac Ecclesiasticæ doctrinæ, & ad latus, seu juxta matrem Ecclesiam manentes, in virtute educabuntur, accrescent, atque adeò *Surgent.*

CAPUT LXIII.

LXIII. 4. *Annus redemptionis meæ.* Sic etiam LXX. λυτρώσεως. In hebræo est גאולי quæ vox si eam pronuncies secundùm puncta, quibus modò est affecta sonat *Geulaj. Redemptionum mearum*; sed si unum punctum mutes, erit *Geuli. Redemptionis meæ.* Præstat igitur legere, *Redemptionis*, quam *Retributionis*, quod est in Vaticanis Sixti V. & quibusdam aliis.

JEREMIAS.

CAPUT I. II. III.

CAp. I. 6. *A a a, Domine Deus.* Præstat hæc tria *a* scribi sine commatibus intermediis, quæ etiamnum passim interponuntur in Bibliis, sed desunt in Vaticanis Clementis VIII. Imò mallem hæc conjunctim scribi; unam enim tantummodò efficiunt vocem, seu Interjectionem Exclamantis *Ahah!* Vide dicta lib. I. fol. 80.

II. 37. *Nibil habebis prosperum in ea.* Meri-

Meritò additum est in Bibliis Sixti V. ac Clementis VIII. atque in aliis deinceps editis: *In ea*, quod antea passim omittebatur, sed malè, cùm expressè sit in Græco; in Hebræo autem להם *Lahem. Eis.*

III. 1. *Et ego suscipiam te.* His carent varii Vulgatæ libri, nec sunt in Hieronymo, neque in hebræo, chaldæo, græco; quia tamen in plurimis antiquis libris inveniuntur, atque in omnibus subintelliguntur, retenta sunt in Bibliis Sixtinis, & Clementinis.

CAPUT IV.

℣. 16. *Dicite gentibus.* Hebræum הזכירו *Hazciru* æquè verti potest *Concitate*, ùt habet Editio Sixti V. multique libri manuscripti, cum S. Thoma, & variis aliis; significat enim propriè *Recordari facite*, *Ad memoriam revocate*, atque hoc sensu *Excitate*, seu *Concitate*, & *Dicite*. Interpretes LXX. verterunt ἀναμνήσατε ἔθνη. *Recordamini gentes.* Porrò istud ἔθνη *Gentes* est indifferens ad Vocativum casum, & ad Accusativum. Si sumatur in Accusativo, potest illud *Recordamini* per hebraïsmum intelligi, q. d. *Recordari facite.* Vos Israëlitæ facite, ut recordentur gentes, illis nimirum dicendo, & annunciando, atque ita habebitur sensus textûs græci conformis hebræo, & latino.

℣. 31. *Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas.* Ita etiam hebræa, chaldæa, græca, syra, arabica; nimirum unâ voce, quâ significent expirantem, aut cum morte luctantem, atque adeò *Intermorientem*: quapropter mendosum est, quod multi antiqui Vulgatæ codices, signanter Lovaniensium, habent: *Inter morientes, expandentesque.* Etiam mendum Typographicum est in Vaticanis Clem. VIII. 1592. in quibus impressum est duabus vocibus: *Inter morientis.*

CAPUT X. XI.

X. 18. *Ita ut inveniantur.* Omnes penè Vulgatæ libri, signanter Biblia Sixti V. ante correctionem Clementinam legebant contradictoriè: *Ita ut non inveniantur*, sed mendosè, cùm istud *Non* absit ab Hieronymi lectione, itemque ab hebræo, chaldæo, græco.

XI. 6. *Et foris Jerusalem.* Mallem scriptum fuisse: *Et in foris.* Rationem dedi libro præcedenti fol. 80.

℣. 18. *Tunc ostendisti mihi studia eorum.* Hebræum אז *Az. Tunc*, & græcum τότε ostendunt non rectè pro *Tunc* ante correctionem fuisse in cunctis fermè codicibus Vulgatæ, etiam Sixti V. *Tu ostendisti* &c.

CAPUT XV.

℣. 15. *Noli in patientia tua suscipere me* precantem, ut te vindice defendar à Judæis, me tam iniquè, ac dirè persequentibus, quos Tu Domine Deus adeò patienter, & longanimiter toleras. Editio Sixti V. habet: *Noli in patientia furoris tui suscipere me.* Xantes Pagninus vertit: *Ne in longanimitate furoris tui suscipias me.* In hebræo est אל־לארך אפך תקחני *Al leerech appecha tikkacheni.*

Sed non rectè Pagninus unicam vocem ארך *Erech. Longus*, aut *Longitudo*, vertit *Longanimitatem*, seu *Patientiam*; nam ùt ex plurimis Scripturæ locis patet, vox *Erech* sola non significat *longanimitatem*, aut *patientiam*, sed tantùm conjuncta, & unà cum voce אף *Aph. Nasus* (& per Metaphoram *Ira*, *Furor*) in singulari, ùt hoc loco est, vel in duali אפים *Appaïm. Nares*.

Optimè igitur S. Hieronymus transtulit: *In patientia tua* Hebræum לארך אפך *Le-erech appecha*, quod ad verbum sonat: *In longo naso tuo*, sive: *In longitudine nasi tui*. Est autem, sicut dixi, hebraïsmus, quo *Longanimis* vocatur Metaphoricè *longi nasi*, vel *longarum narium*; econtra Cholericus, ac Iracundus: *Brevis naribus*, eo quòd talis irâ, vel furore correptus, nasum, seu nares soleat contrahere, atque ita breviores facere. Hinc ipse Pagninus in suo Dictionario ארך אפים *Erech appaïm* explicat: *Longus iris*: *id est*, inquit, *tardus ad iram*, & קצר אפים *Ketser appaïm. Brevis iris*, *id est*, ait, *Festinus ad iram*.

CAPUT XXIII. XXVI.

XXIII. 33. *Vos estis onus*. Sic etiam LXX. ὑμεῖς ἐςὲ τὸ λῆμμα. *Vos estis onus*, vel: *Vos estis assumptio*, ùt ex LXX. legit Hieronymus. Λῆμμα propriè est *res quæ accipitur*, à λαμβάνω. *Capio*; Hebræa autem vox משא *Massa* idem valet ac *Onus*, *pondus*, *elevatio*, *assumptio*.

Porrò ex versione LXX. & S. Hieronymi in suo Commentario, patet tum ipsum, tum ipsos legisse in hebræo ita conjungendo litteras אתם המשא *Attem hammassa. Vos onus*, supple *estis*, estque hæc genuina, & primæva lectio textûs hebraïci; non ista, quæ modò passim reperitur, earumdem quidem litterarum, sed aliter divisarũ, hoc modo את־מה־משא *Eth ma massa*? *Quid onus*? Interim isti modernæ hebræi textûs lectioni accedit illa, quæ est in Bibliis tum Hentenii, tum Lovaniensium, tum Sixti V. *Ut quid vobis onus?*

XXVI. 19. *Nos facimus*. Ita esse legendum patet ex hebræo, chaldæo, græco; non verò: *Non faciamus*, quomodò habent plurimi antiqui Vulgatæ libri.

CAPUT XXX.

℣. 7. *Va quia magna dies illa*, *nec est similis ejus*: *tempusque tribulationis est Jacob*, *& ex ipso salvabitur*. Ita etiam, nempè *ab ipso*, seu *ex ipso*, habetur in LXX. neque in illis potest ad aliud referri, quàm ad *tempus*, non ad femininum ἡμέρα, *dies*. Καὶ χρόνος ςενός ἐςι τῷ Ἰακὼβ, καὶ ἀπὸ τούτου σωθήσεται. *Et tempus angustum est Jacobo*, *& ex ipso salvabitur*. Nequit etiam in hebræo referri ad *diem*, ut dicatur *ex ipsa*, quia in hebræo יום *Jom*, *Dies* est masculini generis; at in hebræo est ממנה *Mimmenna*, *Ex ipsa* feminino, cujus, seu potiùs communis generis, est in illa lingua vox עת *Eth*, *Tempus*.

Equidem mihi magis placet lectio tum Sixti V. tum Lovaniensium, tum variorum: *Ex ipsa salvabitur*; non quidem

dem ut referatur ad *diem*, sed ad *tribulationem*: Sic enim explicant Interpretes penè omnes. Ita, nempè *ex ipsa*, etiam est in hebræo, ùt vidimus, optimèque refertur ibidem ad femininum צרה *Tsara. Angustia*, *Tribulatio*. Populus *Jacob* seu Israël, non tam ex *die*, vel *tempore*, quàm potiùs ex *angustia*, sive *tribulatione* liberatus est figurativè per Cyrum, Zorobabel, Machabæos; perfectè verò per Christum.

CAPUT XXXIII.

℣. 7. *Convertam conversionem Juda, & conversionem Jerusalem.* Puto genuinam lectionem esse illorum Latinorum Codicum, in quibus pro *Jerusalem*, est *Israël*, ita enim est in Græcis tum Sixtinis, tum Basiliensibus, ita etiam est in Hebræo, & Chaldaïco textu; estque promissio multò amplior, nempè quæ se non solùm extendat ad regnum *Juda*, sed etiam ad reliquas alias Tribus, seu ad totum populum *Israël*.

Nota verum non esse, quod hîc scribit La Haye in Concordia: *Codices optimi Hebræo, Chaldæo, Græcoque textui conformiter*, Jerusalem *legunt*. Sola quippè græca Complutensia habent: *Convertam transmigrationem Juda, & transmigrationem Jerusalem.*

℣. 10. *Foris Jerusalem.* Optassem hîc pariter scriptum fuisse *In foris*. Vide dicta Cap. XI. 6. fol. 241.

℣. 16. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Ita etiam in hebræo, chaldæo, græco habetur supra Cap. XXIII. 6. Ex quo loco videtur huc translatum per Amanuenses, vel saltem mutuatum ex LXX. quorum aliqui codices ita legunt: nam hîc in hebræo habetur: *Ze ascher ikra lah* יהוה *Adonaj tsidkenu. Hoc* (supple cum chaldæo, latino, & græcis quibusdam *Est nomen*) *quod vocabit eam, Dominus justitia nostra.*

Hæc fortassis est genuina Vulgatæ lectio, & reperitur in aliquibus antiquis libris, saltem quoad *Eam*. Hieronymum quoque *Eam* legisse, non *Eum*, conatur demonstrare Franciscus Lucas in Notis. Etiam in Chaldæo, prout modò puncta exhibent, est *Lah. Eam*, quamvis aliter punctatum sit *Leh. Eum.*

Sed cùm non adeò congruum sit dicere, quòd ipsa Jerusalem vocabitur: *Dominus justitia nostra*, imò cùm hoc admisso facilè Judæi eluderent argumentum pro Divinitate Messiæ petitum ex Jerem. XXIII. 6. videntur hebræa rectiùs, & simpliciùs transferenda, prout & ad litteram sonant: זה אשר *Ze ascher. Iste, qui vocabit eam, Dominus justitia nostra.* Subaudi, more hebræis usitatissimo, verbum substantivum *est*.

Multi post Lyranum putant Hebræum textum hîc esse corruptum à Judæis, ne per illum convincerentur Messiam esse Deum. Sed hoc non videtur satìs solidum; cùm si propterea corrupissent hoc loco Scripturam, etiam corrupissent Cap. XXIII. 6. quod cùm non fecerint ibi, nec hîc fecisse censendi sunt. Interim si legamus יקרא iisdem litteris, sed aliis punctis, & unicâ mutatâ litterâ ה in ו *Ikare*

kar e lo, pro *Ikra lah*, erit in hebræo: *Vocabitur ipse*, seu *Vocabunt eum: Dominus justitia nostra.*

CAPUT XXXIX.

℣. 2. *Mense quarto, quintâ mensis aperta est civitas.* In aliquibus Vulgatæ libris, & in Regiis Complutensibus est: *Nonâ mensis*, prout & in hebræo, chaldæo, græco. Ita quoque habet historiæ veritas, cùm hoc factum esse quarti mensis die *nonâ*, non verò *quintâ*, habeatur etiam in nostra Vulgata IV. Reg. xxv. 3. Jerem. LII. 6. atque apud Josephum lib. x. Antiq. cap. XI. Theodoretus pariter legit *Nonâ*.

Proinde legendum esse *Nonâ* puto cum Emmanuële Sa, Torniello, Saliano, A Castro, Maldonato, Menochio, & Mariana, qui asserit in Vulgata restitutum esse hunc locum. Credo Marianam scripsisse: *Restituendum esse*, non: *Restitutum*, sed hoc in ipso legi errore typographico; nam Codices Vaticanos non inveni, qui aliter habent, quàm *Quintâ*.

Ex dictis patet, non subsistere illud, quod scribit Cornelius à Lapide: *Quinta mensis. Ita legendum cum Hebr. LXX. & Rom. non: Nonâ mensis, ùt legunt aliqui.*

CAPUT XLVIII.

℣. 18. *Vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas.* Ita quidem, posito Præterito pro Futuro propter certitudinem eventûs prophetiæ, habetur in hebræo, & in Editionibus Plantinianis, atque omnibus aliis (exceptis Colon. 1630.) recentioribus; sed hoc evenisse reor ex hac nota Lucæ Brugensis: *Vastator Moab ascendit ad te, dissipavit* &c. *Præterita non sunt in futura mutanda.* Supponit Brugensis, atque adeò asserit sic in Præterito habere Editionem Vaticanam Clem. VIII. anni 1593. quâ solâ ipse usus est: Hoc tamen non est ita; nam tam in illâ, quàm in præcedenti, nempè anni 1592. & sequenti, scilicet anni 1598. est in futuro *Ascendet, Dissipabit*, prout etiam in Editione Sixti V. 1590. & in antiquioribus passim, ùt *Moguntinâ* 1472. *Colon.* 1479. *Basil.* 1491. Interim esse legendum per Præterita: *Ascendit, Dissipavit*, monet tum Index correctorius pro Bibliis Vaticanis 1592. tum Index pro Vaticanis 1598. Unde & in Romanis anni 1624. ita est impressum.

℣. 34. *Vitula conternante*, seu *Trienni*, ùt est in hebræo, non *Consternante*, quod etiam hîc legunt aliqui. Vide supra ad Isai. xv. 5. Biblia Sixti V. *Vitulam conternante.*

CAPUT XLIX.

℣. 2. *Erit in tumulum dissipata.* Ita etiam hebræa תל *Thel. Tumulus, Cumulus, acervus.* Solebat mendosè legi, leguntque etiam Biblia Sixti V. *In tumultum.*

℣. 3. *Clamate filiæ Rabbath.* Ita habetur in omnibus manuscriptis, quæ videre potui, item in cunctis penè antiquis impressis, quæ consului magno numero, signanter in omnibus editionibus Hentenii, & Lovaniensium. Deinde in variis novis, ùt Coloniensibus

bus 1630. 1647. 1680. 1682. Denique in universis Vaticanis tam Sixti V. 1590. quàm Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. & Romanis 1624.

Estque hæc vera lectio, quod patet tum ex græco, in quo est θυγατέρες, *Filiæ*, non υἱοὶ, *Filii*, tum maximè ex hebræo, in quo tam verbum, quàm nomen est femininum צעקנה בנות *Tseakna benoth. Clamate filiæ*, non צעקו בני *Tsaaku bene*, prout esse deberet, si haberetur: *Clamate filii*; quod mendosè legitur in paucissimis quidem antiquis impressis Vulgatæ Bibliis, sed in plerisque novis, ùt *Francofurtensibus* 1615. *Parisiensibus* 1618. 1691. *Lugdun.* 1680. 1684 *Coloniens.* 1666. 1679. atque in omnibus, quæ vidi, *Plantinianis*, exceptis impressis anno 1619. & 1629.

℣. 35. *Summam fortitudinem eorum*. In hebr. est: *Fortitudinis eorum* ראשית *Reschith. Principium, Primarium, Summitatem.* In græco ἀρχὴ δυναςείας αὐτῶν. *Principium, Caput*, aut *Altitudo potentiæ eorum*. Mendosum proinde est, quod omnes propemodum antiqui Vulgatæ libri habent: *Sumam fortitudinem eorum* q d. *Auferam*.

CAPUT L. LI.

L. 39. *Habitabunt Dracones cum faunis ficariis*. Ita legendum esse constat tum ex bino Vaticano codice Clem. VIII. 1592. 1593. tum ex Hieronymi Commentariis in Isa. XIII. 21. Non verò: *Cum fatuis ficariis*, ùt passim antea legebatur, & est in Bibliis Sixti V. aut *Fatuis ficcariis*, id est loca sicca inhabitantibus, ùt legit, & explicat Maldonatus. In Vaticanis anni 1598. irrepsit *ficariis*, sed Index restituit *ficariis*. Hebræum ציים את איים *Tsijim eth Ijim* denotat monstra quædam, aut spectra Dæmonum.

LI. 27. *Clangite buccinâ in gentibus*. Sic græca, item hebræa בגוים *Baggoïm*, non בהרים *Beharim*. *In montibus*, prout legunt pauci veteres codices cum Sixto V.

℣. 58. *Murus Babylonis ille latissimus*. Ita etiam hebræa, & græca, non *Altissimus*, quod unâ litterâ transpositâ habent multi veteres Vulgatæ libri.

THRENI.

CAPUT III.

CAp. III. 17. *Repulsa est à pace anima mea*. Etiam in hebræo, chaldæo, græco est *A pace*, ac proinde defectuosum erat, quod hoc antea omittebatur à multis Latinis libris.

℣. 23. *Novi diluculo, multa est fides tua*. Plurimi Latini Vulgatæ libri legunt: *Nova*, nempè *Miserationes Domini*, quam esse genuinam lectionem, omninò existimo propter illa, quæ ad hunc locum dixi, & meritò videntur libro præcedenti, fol. 82.

Addo nunc quæ habet Franciscus Lucas in Notationibus: Major, inquit, tum codicum, tum expositorum pars, legit *Novi*. Antiqua omnia Dominicanorum (nempè eorum, qui tempore B. Jordani Biblia quàm accuratissimè castigarunt, & lectionum varietates an-

notarunt) quatuor Hentenii, duo nostra, habent *Nova*. Hebr. vox חדשים *Chadaſchim* verti non poteſt *Novi*, ſi pro verbo *Novi* accipias, quomodò Paſchaſius, Author ordinariæ Gloſſæ, Author interlinearis, Thomas, Lyranus, Carenſis, & Richelius acceperunt; quare nos alteri lectioni *Nova* hebræa, chaldæa, græca ſuffragari ſcripſimus, atque hanc & noſtri Interpretis verſionem eſſe; *Nova* inquam, vetera manuſcripta loquuntur, quæ Epanorthotes ſecutus id approbavit: *Nova diluculo*. Exiſtimarim pro *Nova* minimè intellecto, verbum *Novi* ſubſtitutum fuiſſe. Lobienſe antigraphum ſcribit: *Nova es diluculo*, id quod Dominicani S. Hieronymo attribuunt. Ita Franc. Lucas.

℣. 28. *Quia levavit ſuper ſe*. Plerique veterum Latinorum tum Codices, tum Doctores legunt: *Quia levavit ſe ſuper ſe*, quod etiam eſt in Bibliis Sixti V. Sed primum iſtud *Se* nec hebræus textus habet, neque LXX. Eſt proinde judicioſè omiſſum à Correctoribus in Bibliis Clementis VIII. & poſterioribus.

CAPUT IV.

IV. 14. *Cumque non poſſent, tenuerunt lacinias ſuas*. Varii Vulgatæ libri, ſignanter Sixti V. poſt *Poſſent*, ſubdunt *Intrare*; ſed hoc neque in Hebræo additur, neque in Græco, nec videtur ſubintelligendum. Magìs mendoſum eſt, quod aliqui Latini libri habent, & S. Thomas notavit: *Laſcivias ſuas*, pro *Laſcinias ſuas*.

BARUCH.

CAPUT I. II.

CAp. I. 9. *Et cunctos potentes*. Multi Vulgatæ libri habent: *Et vinctos, & potentes*, quod eſt conforme græco; ſed noſtra lectio meliùs quadrat; illud autem δεσμώτας *Vinctos* hîc in græco poſitum, ſtatim hoc eodem verſu concinnè ſubditur, atque exprimitur in Vulgata: *Et duxit eos vinctos in Babylonem*; ubi in græco vox *Vinctos* omittitur, quia antea habetur; at *Cunctos*, quod eſt in Vulgata, ſubintelligit græcus textus in his: *Et potentes, & populum terræ*, nimirum *cunctos potentes*.

II. 34. *Dominabuntur eis*. Ita Biblia Sixti V. & Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. item Romana 1624. In græco tamen eſt κυριεύσουσιν αὐτῆς. *Dominabuntur ejus*, nempè terræ promiſſæ, atque ita legi exigunt circumſtantiæ textûs, leguntque omnes veteres Vulgatæ libri; ſignanter *Moguntini* 1472. *Colonienſes* 1479. *Baſilienſes* 1491. cunctique editi per *Lovanienſes*, item primi poſt correctionem Clementinam *Plantiniani*, nempè anni 1603. ac *Pariſienſes* 1618. adeò ùt Franciſcus Lucas dicat: *Vitium typographicum eſt hîc in autographo Romano Dativi pluralis* Eis, *pro Genitivo ſingulari* Ejus, *ſcilicet terræ*.

Interim lectionem Romanam poſteriores Editiones ſecutæ ſunt, tum quia typographi non ſciunt hîc ſubeſſe mendum in ipſo exemplari Vaticano, tum quia reverà in illo ſubeſſe, non ſatìs

tis evidens est, aut exploratum. Editio *Coloniensis* 1679. habet: *Dominabuntur ei.*

CAPUT III. V.

III. 13. *Habitasses utique in pace sempiterna.* Græcè τὸν αἰῶνα. *In æternum.* Mendosum est, quod omnes propemodùm veteres libri, & Biblia Sixti V. habent: *Super terram*, pro *Sempiternâ.*

V. 3. *Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni, qui sub cœlo est.* Etiam in græco est *Omni*, quod non rectè, imò cum dispendio veri sensûs, omittitur in plerisque antiquis codicibus.

CAPUT VI.

VI. 1. *Ad abducendos.* Omnes penè Vulgatæ libri veteres habent: *Ad abductos*; sed in græco etiam est πρὸς τοὺς ἀχθησομένους. *Ad abducendos*, vel *Adducendos*; prout sequitur ℣. 2. in omnibus codicibus Latinè & Græcè: *Abducemini* ἀχθήσεσθε, non *Abducti estis.*

℣. 56. *Quibus hi qui fortiores sunt, aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis!* Ita etiam legit, & distinguit græcus textus; unde præferenda est hæc lectio illi, quæ pro *Hi qui*, habet *Iniqui*, & ita distinguit verba: *Quibus iniqui fortiores sunt. Aurum & argentum* &c. Ita legunt varii, signanter Biblia Lovaniensium, & Sixti V.

℣. 58. *Custodit, quæ in ipsa sunt*, nempè *Domo.* Græca pariter ἐν αὐτῇ. *In ipsa.* Non benè Biblia Lovaniensium, & Sixti V. pro *In ipsa*, habent: *In pace.*

EZECHIEL.

CAPUT I. II.

VErs. 10. *Facies aquilæ desuper ipsorum quattuor.* Non placet Francisco Lucæ istud *Desuper*, de quo fatendum est, non haberi quidem expressè in Hebræo, Chaldæo, Græco, prout nec in Arabico Alexandrino, neque in variis Latinis, signanter in Editione nova Hieronymi. Habetur tamen in textu Syriaco, & Arabico Antiocheno; Hieronymum quoque legisse *Desuper* clarè colligitur ex ejus Commentario, quod & de S. Gregorio, & ceteris Latinis constat.

Meritò proinde Adverbium istud retentum est in Vulgata correcta, quia in textibus, à quibus abest, saltem involvitur: cùm enim Facies *hominis* obversa esset Prophetæ; facies verò *Leonis* à dextris animalis Cherubici, facies autem *bovis* à sinistris; Interpres quando de facie *Aquilæ* addidit *Desuper*, fortè non voluit indicare faciem Aquilæ super alias fuisse (quod equidem putat à Lapide) sed fuisse à tergo, capite ceteris altiori, eo quòd Aquilæ pro ratione corporis longius quàm cetera animalia collum habent; & ita caput Aquilinum conspiciebatur à Propheta in linea recta super Cherubim à retro eminere. Ita doctè noster Lyranus explicavit.

II. 3. *Ipsi, & patres eorum.* Etiam *Ipsi* habent hebræa, chaldæa, græca, quod malè omissum fuit in plerisque Vulgatæ libris antiquis.

CA-

CAPUT V. XIII.

V. 7. *Juxta judicia*, hoc est consuetudinem, & mores, *gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati*. Istud *Non* additur expressè in hebræo, chaldæo, græco, legiturque ab Hieronymo, unde defectus est, quòd multi Latini codices hoc non habeant.

XIII. 18. *Væ! quæ consuunt pulvillos*. Cùm passim antea Vulgatæ libri haberent *Qui*, meritò restitutum est in Bibliis tum Sixti V. tum Clem. VIII. *Quæ*, nam ita in feminino est expressè in hebræo למתפרות *Limthapperoth*. feminis *Consuentibus*. Ita etiam græca ταῖς συῤῥαπτούσαις. Increpat Propheta *filias* Jerusalem, ùt constat ex præcedentibus.

CAPUT XIV. XVI.

XIV. 22. *Ingredientur ad vos*. Ita in Bibliis Clementis VIII. & sequentibus deinde Vulgatæ editionibus, absque dispendio sensûs mutata est communis antea Vulgatæ lectio, quæ etiam est in Codice Sixti V. 1590. *Egredientur ad vos*, nimirum è locis exteris ad vos ingredientes, seu venientes. In hebræo tamen est יוצאים *Jotseim. Egredientes*, non באים *Baïm. Venientes, Ingredientes*. Etiam in græco est ἐκπορευόνται πρὸς ὑμᾶς. *Egrediuntur ad vos*.

XVI. 18. *Et operuisti illas*, Imagines Idolorum, ùt præcesserat. Ita etiam LXX. Καὶ περιέβαλες αὐτάς. Hoc etiam significat hebræum ותכסים *Vattechassim*; quod verbum, cùm habeat pronomen affixum per litteram finalem ם nullo modo potest verti passivè *Et operta*, seu *Vestita es eis*; quod legitur in permultis Vulgatæ libris, & in Bibliis Sixti V.

℣. 50. *Abstuli eas sicut vidisti*. Communior hæc Latinorum Codicum lectio retenta est etiam in Bibliis tum Sixti V. tum Clem. VIII. Magis tamen mihi arridet illa, quæ reperitur in quibusdam Vulgatæ libris: *Sicut vidi*. Ita enim habet constanter textus hebræus כאשר ראיתי *Caascher raïthi*, quod etiam significat: *Cùm vidi*, seu: *Postquam vidissem*. Videtur enim hic Dominus Deus respicere ad illa sua verba Gen. XVIII. 21. *Descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, operè compleverint*. Hinc Syriacus textus habet: *Quæ cùm vidissem in eis, subverti eas*. Etiam in chaldæo, & græco est *Vidi* ἴδον, non *Vidisti*.

CAPUT XXI.

℣. 28. *Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te ut interficias & fulgeas*. Ita separatim, seu quatuor vocibus: *Evagina te, lima te*, habetur in omnibus Vulgatæ libris tum novis, tum antiquis, tam impressis, quàm manuscriptis, quæ ego videre potui, exceptis Coloniensibus anni 1479. in quibus est *Evaginare, limare*.

Item exceptis Vaticanis 1593 1598. In his enim habetur conjunctim duabus vocibus adjectivis vocativi casûs: *Evaginate, limate*, quæ est genuina lectio hujus loci, eaque in omnibus Vulgatæ libris deberet restitui, atque restituendam esse monet Index correcto-

rectorius Romanus, pro Bibliis Vaticanis anni 1592. in quibus etiam non rectè impressum est *Evagina te, lima te.*

Interim antiquum mendum irrepsit iterum in Editionem Romanam anni 1624. Inolevit autem ex pervetustâ incuriâ Amanuensium, qui non intelligentes illud *Evaginate, limate,* cùm adverterent esse Prosopopeiam ad mucronem, seu gladium, putaverunt dici: *Evagina te, lima te.*

Omninò enim reor conjunctim transtulisse S. Hieronymum, qui etiam in Commentario hujus loci legit: *Gladius evaginatus est, & limatus.* Interpretes quoque LXX. *Ῥομφαία ῥομφαία ἐσπασμένη εἰς σφάγια, καὶ ἐσπασμένη εἰς συντέλειαν. Rhomphaa, Rhomphaa educta ad mactationes, & educta ad consummationem.*

Porrò ita per Participia passiva, & non per verba Imperativa transtulerunt tum LXX. tum Hieronymus, quia in hebr. est: חרב חרב פתוחה לטבח מרוטה להכיל *Chereb, chereb petucha letebach, meruta lehachil. Gladie, gladie, solute ad mactandum, terse ad consumendum.*

Ut autem transferam femininum genus hebræi textûs, pro *Mucrone*, seu *gladio*, substituam *Macharam*, quæ vox idem significat: *Machara, machara evaginata ad mactandum, polita ad consumendum.* Ita etiam textus Chaldaïcus, item Syriacus, atque etiam Græcus LXX. ùt statim vidimus.

Siquidem notandum est, utramque vocem hebræam *Pethucha*, *Meruta* esse evidenter Adjectivam, sive (ùt præcisè loquar) Participium passivum femininum singularis numeri פתוחה *Pethucha* à verbo פתח *Pathach. Aperire, solvere, evaginare.* מרוטה *Meruta* à verbo מרט *Marat. Polire, tergere, limare.* Unde eadem hæc ipsa vox *Meruta*, de gladio dicta, transfertur in Vulgata hoc eodem capite ℣. 9. & 10. *Limatus.*

Ex his manifestum est, conjunctim esse legendum *evaginate, limate*, ac genuinam esse illam lectionem, de qua Franciscus Lucas in suo libello secundo: *Evagina te ad occidendum, lima te. Quadam manuscripta sic scribunt, ut unica sit dictio*: Evaginate, *& altera una:* Limate; *unde Epanorthotes: Duo sunt, inquit, Participia passiva.*

Optimè dixit Epanorthótes, seu vetus *Correctorium.* Atque adeò clariùs in Vulgata fuisset translatum, neque data occasio mendosæ tum transscriptionis, tum impressionis, si pro *evaginate, limate*, vertisset Interpres: *Gladie, gladie solute ad occidendum, terse ut interficias.* Nam, ùt ostendimus, ista *evaginate, limate* non sunt in Imperativo plurali, sed in Vocativo singulari, à Participiis passivis *Evaginatus, Limatus.*

Vehementer etiam miror doctissimum Patrem nostrum Joannem la Haye in Concordia variarum lectionum hujus loci, ita scribentem: *Mucro, mucro evagina te, lima te.* Alii in Vocativo: *Evaginate, limate*, sed corrige, cùm hebræus habeat פתוחה *Pethucha.* Ita ille. Sed istud *Pethucha* (prout & *Meruta*) ipsum directè conficit, & demonstrat evidenter, modernam Vulgatæ lectionem communem

esse mendosam, atque adeò non corrigendos, sed stabiliendos illos esse codices (si qui sint) qui legunt cum Vaticanis 1593. 1598. in Vocativo: *evaginate, limate*. Econtrariò illos omnes esse corrigendos, qui legunt separatim: *evagina te, lima te*, prout etiam monet Index correctorius Romanus, ùt supra dixi.

Quippè (sicut præmonui, neque ullus hebræam linguam edoctus poterit negare) hebræum *Pethucha* significat præcisè idem quod latina vox feminina *Evaginata*, vel *soluta*, sive *aperta*. Si verò esset *Evagina te* dictum ad Mucronem, sive *Machæram*, deberet in hebræo esse in conjugatione *Hithpaël*, atque hoc modo scriptum התפתחי *Hithpattechi*, prout habetur in hebræo textu Isaiæ LII. 2. Patet autem ad oculos, & aures, quantoperè differant התפתחי *Hithpattechi*, & פתוחה *Pethucha*.

Inolitum hoc mendum, quo separatim legitur: *Evagina te, lima te*, quamvis prudentissimo judicio, & solidissimo fundamento fuerit sublatum, & genuina lectio restituta in Bibliis Vaticanis Clementis VIII. tam anni 1593. quàm 1598. & expressè moneat Index corrigendum esse in Bibliis Romanis 1592. atque adeò etiam in aliis omnibus, in quibus habetur. Iterum tamen (ùt dixi, & unusquisque inspectis Bibliis videre poterit) irrepsit in omnes posteriores Editiones alibi terrarum factas; hoc autem accidisse reor ex eo, quòd Franciscus Lucas Brugensis in primo suo libro *Romana Correct.* &c. nihil circa hunc locum notet, quasi verò nulla in hoc Ezechielis loco facta fuisset correctio.

Insuper in secundo suo libro edito anno 1618. clarè supponat, & innuat, quamvis falsò, etiam Editionem Romanam anni 1593. habere separatim: *Evagina te, lima te*. Ita enim ipse (ùt vidimus) quasi ex Codice Vaticano anni 1593. affert in illo secundo libro ista verba, altùm silens illum ipsum Vaticanum Codicem, quem continuò, atque unicè citat, aliter habere; quin imò cùm addat: *Quædam manuscripta sic scribunt, ut una sit dictio Evaginate, altera Limate*; implicitè negat, ita conjunctis vocibus esse in Bibliis Vaticanis 1593.

Stupeo autem tali modo processisse Franciscum Lucam circa hunc locum, & circa plura alia, alleganda libro 3. cap. 7. Quandoquidem constet ex utroque ejus libello, (quod loco citato ostendam) ipsum usum fuisse illo, & quidem illo solo Vaticano codice anni 1593. Nec habeo quod respondeam, nisi quòd credam suam eum memoriam fefellisse. Indices autem Correctorios Romanos nunquam ab eo visos, aut cognitos fuisse, clamat tum altum ipsius de illis silentium, tum quòd illos non sequatur.

Interim existimo, istâ occasione primò Joannem Moretum in Bibliis primis Plantinianis, nempè anni 1603. Deinde posteriores Typographos omnes reincidisse in veterem mendosam lectionem, quam fretus authoritate utriusque Codicis Vaticani, nimirum tam

tam anni 1593. quàm 1598. Item Indicis correctorii pro Bibliis anni 1592. atque insuper evidentiâ rei, seu rationibus desumptis ex textibus hebræo, græco, aliisque; illam, inquam, lectionem mendosam existimo absque ullâ temeritate, aut noxâ, non solùm posse, sed & debere corrigi, atque in secuturis Vulgatæ Editionibus postliminio esse restituendam genuinam hanc lectionem: *Evaginate, limate.*

CAPUT XXIII. XXVII.

XXIII. 45. *Sanguis in manibus earum.* Notat Franciscus Lucas: Quod subjiciunt quædam exemplaria: *Et cum Idolis suis fornicata sunt*, non est hujus versûs, sed 37. superioris. Ita ille, ac meritò, cùm ista desint hoc ℣. 45. in hebræo, & græco, pluribusque latinis antiquis, quamvis ea habeat Editio Sixti V. & quidam alii Vulgatæ libri.

XXVII. 35. *Omnes tempestate perculsi.* Latini Codices antiqui penè omnes habent ùt Sixti V. *Percussi*; sed magìs genuinè legitur *Perculsi*, hoc est *Attoniti*, quandoquidem sit in hebræo שערו שער *Saaru saar. Horruerunt horrore*: quæ eadem verba hebræa transferuntur in Vulgata XXXII. 10. *Horrore nimio formidabunt*, qualiter ibidem omnes Vulgatæ libri habent, etiam Sixti V. Imò pro *Perculsi*, non malè vertit hîc Arias Montanus: *Horripilaverunt crine*; nam שער *Saar* est talis, ac tantus horror, ut natus sit adducere horripilationem. LXX. verterunt ἐκστάσει ἐξέστησαν. *Obstupefactione obstupuerunt.*

CAPUT XXIX.

℣. 1. *In anno decimo, decimo mense, undecimâ die mensis.* Circa annum & mensem; nempè *Decimum* fuisse, satìs conspirant variarum linguarum textus, nisi quòd Græca inter se varient. Sed de numero diei major est controversia. Nam non *undecimam*, sed *unam*, hoc est *primam*, habent varii Vulgatæ libri, conformiter ad græcum textum μιᾷ τοῦ μηνὸς *Primâ mensis*, atque ita sine ulla ambiguitate legit Hieronymus, quasi sic tam hebræus textus, quàm LXX. Interpretes omnesque alii legerent.

Hieronymus enim hoc loco ita textum Scripturæ adfert: *In anno decimo (sive juxta LXX. duodecimo) in decimo mense (sive juxta Hebraïcum duodecimo) in prima (sive una) mensis die.* In Commentario autem ad prædicta verba sic scribit: *Sermo fit ad Prophetam decimo anno captivitatis regis Joakim, & duodecimo mense, & una die mensis.* Unde quòd in Commentario ipsius ad Cap. xxx. Ezech. habeatur de loco, quem tractamus *Undecimam mensis diem*, credo mendum esse typographicum, & in Hieronymo restituendum: *Unam mensis diem*, propter illa, quæ statim attuli.

Nunc tamen in hebræo, & chaldæo habetur *Duodecimâ die mensis* בשנים עשר לחדש *Bisnem asar lachodes. In anno decimo, in decimo, in duodecimo mensis.* Hoc neutri ex præcedentibus lectionibus suffragatur.

CAPUT XXXII. XXXIX.

XXXII. 10. *In die ruinæ tuæ.* Restitutum est in Vulgata *Tuæ*, ex Hieronymo, hebræo, chaldæo, græco, pro *Suæ*, quod minùs rectè erat in latinis penè omnibus, etiam in Bibliis Sixti V.

ỳ. 32. *Dedi terrorem meum*, ait Deus, atque ita legit Hieronymus, conformiter hebræo, & græco quoàd *Dedi* נתתי *Nathatti*, δέδωκα. Varii latini libri, signanter Sixti V. non benè legunt: *Dedit terrorem suum* Pharao. Equidem *Suum*, vel *Ejus* fortè est genuina lectio; ita enim LXX. αὐτοῦ, & hebræa in textu חתיתו *Chittitho*, *Terrorem ejus*, sed ad marginem textûs notant Masorethæ legendum esse חתיתי *Chittithi*. *Terrorem meum*, quæ an sit bona eorum nota, meritò posset ambigi propter LXX. legentes *Ejus*.

XXXIX. 2. *Educam te.* Aliqui Vulgatæ libri cum Sixto V. legunt *Seducam te.* Textus appositus Commentariis Hieronymi habet: *Reducam*, *sive deducam*, at in ipsis Commentariis ita exponit, ac si legisset *Seducam*, ùt transtulit chaldæus Interpres. Hebræum verbum וששאתיך *Veschisschethicha* est incertæ significationis; videtur derivari à ששא & inde שש *Sches*, hoc est *Sex*; unde varii transferunt: *Sextabo te*: id est: Sex plagis te afficiam, vel, ùt Alii: excîdam exercitum tuum tantâ strage, ut sexta solummodò pars ejus maneat superstes. LXX. transtulerunt καθοδηγήσω σε, *Deorsum ducam te*, atque hoc sensu *Seducam*, & *Deducam*.

CAPUT XLII.

ỳ. 20. *Per quatuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum.* Hieron. in Commentario fatetur, se quidem ita transtulisse, sed ipsemet suam corrigit translationem, ùt statim videbimus. Itaque in hebræo non est hîc (quod bis in Vulgata repetitur) *Cubitorum*, sed tantùm: *Longitudinem quingentorum*, *& latitudinem quingentorum*, ad quæ (ùt evidens videtur ex præcedentibus) subintelligi debet, & repeti *Calamorum.* Ita, inquit à Lapide, S. Hieronymus, Lyranus, Maldonatus, & Alii; unde textus Bibliorum in Glossa ordinaria, & in aliis nonnullis codicibus omittit *Cubitorum*, legitque tantùm *Quingentorum*, supple *Calamorum*, qui præcesserunt, & quartò nominati sunt ỳ. 16. 17. 18. 19. Concludit proinde idem à Lapide: Ergo τὸ *Cubitorum* omittendum videtur, vel corrigendum *Calamorum.* Est enim hoc versu repetitio, & quasi generalis complexio quatuor præcedentium dimensionum, quatuor versiculis præcedentibus comprehensarum.

Nunc audiamus Hieronymum: *Vir qui Prophetam eduxerat... primùm mensus est contra ventum orientalem, id est ad orientalem plagam quingentos calamos per gyrum; secundò ad Aquilonem, tertiò ad Austrum: quartò ad mare, id est occidentem, per quatuor videlicet ventos, murum in circuitu tam in longitudine, quàm in latitudine, hoc est per quadrum, qui murus simul*

ſimul habebat duo millia calamos. Sin autem calamus ſex cubitorum erat, & παλαιςῇ uno (hoc eſt palmo minore, ſeu 4. digitorum, ùt habetur Ezech. XL. 5.) *qui παλαιςὴς ſexta pars cubiti eſt: perſpicuum eſt murum exteriorem habuiſſe per circuitum calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia, trecentos, triginta tres, & trientem*... ſeu *cubiti tertiam partem*... *Illud autem, quod per ſimplicitatem interpretationis, dum parum attendimus, celeritate dictandi, & LXX habent, & noſtra tranſlatio: murum ejus undique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, & latitudine quingentorum cubitorum, Hebræus ſermo* (ſeu textus) *non continet, ſed ſimpliciter longitudinem quingentorum, & latitudinem quingentorum, ut ſubaudiatur calamorum: ſicut quartò ſupra dictum eſt, ad orientalem ventum, & ad Aquilonem, & ad Auſtrum, & ad mare quingentis calamis, murum partium ſingularum.... fuiſſe dimenſum.*

CAPUT XLIV.

℣. 28. *Non erit autem eis hereditas.* Nempè ut Levitæ terram dividant, & poſſideant jure hereditario, ſicut reliqui filii Iſraël. Multi Vulgatæ libri omittunt *Non*, leguntque: *Erit autem eis hereditas*, ſeu loco hereditatis, jus Levitis à Deo aſſignatum, ratione functionum ſacrarum, quæ ad longum enumerat hîc Ezechiël: Unde ſenſus in idem redit. Interim pro hac lectione facit, quòd iſtud *Non* omittant unanimiter græca, chaldaïca, hebræa. Hæc habent: *Vehajetha lahem lenachala*, quæ genuinè transferenda ſunt: *Et erit eis in hereditatem*: nempè, id quod præmiſerat Propheta, ſcilicet functiones ſacræ, & jura illis annexa.

℣. 30. *Ut reponat benedictionem domui tuæ.* In hebr. græc. chald. eſt *Tuæ*, non *Suæ*, quod in Bibliis Sixti V. & omnibus penè latinis legi ſolebat.

CAPUT XLVI. XLVIII.

XLVI. 11. *Agnis.* Non videtur congruè dici: *De agnis*, quod eſt in Bibliis Sixti V. item Lovanienſium, multiſque aliis, quia agitur de ſacrificiis acceſſoriis addendis pro libamento, quando offeruntur agni, eſtque tum in græco, tum in hebræo Dativus לכבשים *Lac-cebaſim. Agnis.*

℣. 16. *Si dederit Princeps donum alicui.* Ita meritò reſtitutum pro *Domum*, ùt habent Biblia Sixti V. & plerique Codices ante correctionem editi; nam in hebræo non eſt בית *Baith. Domus*, ſed מתנה *Mattana. Donum.* Quæ vox hebræa toto cœlo differt à priori, & ſine controverſia *Donum* ſignificat.

XLVIII. 16. *Quingenta & quatuor millia.* Iſta quater repetuntur, ſed optarem ita ſcribi: *Quatuor millia & quingenta.* Hoc enim ſenſu hæc intelligenda eſſe, oſtendi libro præced. fol. 84.

℣. 17. *Ad orientem ducenta quinquaginta.* Sic conſtanter legitur & in Vulgatæ libris antiquioribus, & recentioribus, & in aliis omnibus textibus hebræo, chaldæo, græco. Sola Biblia Lovanienſium addunt *Millia*, hoc modo: *Ad orientem ducenta quinquaginta millia*, quod credo eſſe particulare mendum typographicum horum codicum.

DANIEL.

CAPUT II.

VErsu 23. *Deus patrum nostrorum.* Ita legunt omnia Vaticana Clem. VIII. & cuncta deinceps impressa, post S. Hieronymum, eodemque modo habetur in quibusdam græcis. Attamen in Bibliis Sixti V. & in plerisque antiquis latinis est *Meorum.* Ita etiam frequentiùs est in græcis, & habetur in omnibus hebræis, seu chaldæis, si legas ita punctatum אֲבָהָתַי *Abahathaj. Patrum meorum.* Codices moderni habent אֲבָהָתִי *Ababuthi. Patris mei.*

℣. 41. *Partem testa* figuli. Ita verbotenus originalis textus חסף די פחר *Chasaph di phechar.* Estque hæc communior Vulgatæ lectio, cui quoad sensum consonat illa Sixti V. *Partem testeam.* At minùs congrua est hæc quorumdam codicum latinorum, quam in suo textu posuerunt Hentenius, & Lovanienses: *Partem testeam figuli.*

CAPUT III. VI.

III. 67. *Benedicite frigus & æstus Domino.* Etiam in græco est Καῦσον *Æstus*, non ϑέρος *Æstas*, prout ante correctionem Clementinam passim habebatur in Bibliis Vulgatæ, etiam Sixti V.

VI. 4. *Quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere Regis.* Ita habent penè omnes Latini codices, & Commentatores, etiam ipse S. Hieronymus, qui ad illa scribit: *In hoc loco Hebræi tale nescio quid suspicantur: Latus Regis Regina est, vel concubina ejus ceteræque uxores, quæ ex latere dormiunt. Quærebant ergo occasionem in rebus hujuscemodi, si in sermone, tactu, nutu, internuncio possent accusare Danielem... Nos interpretemur simpliciter, quòd nullam occasionem adversùs eum repererint, in qua Regi noxius fuerit.*

Sunt tamen aliqui Vulgatæ libri, qui habent: *Ex latere regni*, qualiter (saltem modò) est in originali textu, nempè chaldæo מצד מלכותא *Mitsad malchutha.* In græcis quidem multis hic passus desideratur, sed in quibus reperitur aliquibus est ἐκ τῆς βασιλείας. *Ex Regno.* In aliquibus verò ἐκ πλαγίων τῆς βασιλείας. *Ex lateribus regni.* Hujus utriusque lectionis meminit Theodoretus. Sensus horum est: Omnia moliebantur, cupientes invenire Danielem aliquid in Regni leges, vel contra regni bonum deliquisse.

CAPUT VIII. X. XII.

VIII. 2. *Super portam Vlai.* Mallem scribi *Ulaj* quasi *U laj* dissyllabum, vel *Ula*; non enim esse monosyllabum *Vlaj*, aut trisyllabum *U-la-i* constat ex hebræo אולי *Ou-laj.*

X. 20. *Cùm ego egrederer.* In hebræo, & græco etiam est *Ego*, ἐγὼ, אני *Ani*, non *Ergo*, ùt ante correctionem Sixti V. & Clem. VIII. passim legebatur in Vulgata.

XII. 6. *Et dixi viro.* Ita Biblia Sixti V. & utraque Clem. VIII. Monet hîc Franciscus Lucas: *Pro prima persona Dixi, non temerè substituenda est tertia Dixit.*

Dixit. Sed fateri equidem debeo *Dixit* legere aliquos Vulgatæ libros, *Dixit* pariter esse in hebræo ויאמר *Vajjomer*, atque etiam in græco Sixtinæ edtionis εἶπε. Sed de græcis Basilææ impressis verum est, quod scribit Franciscus Lucas in Notationibus: *Græcè est καὶ εἶπον, quod verti potest &: Et dixi, &: Et dixerunt*. Utrumque quadrat contextui.

OSEE.

CAPUT I. II.

CAp. I. 2. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*. Istud *Fac tibi* omittitur non tantùm à multis antiquis Vulgatæ libris, sed etiam à textibus Hebræo, & Græco. Sine illo pariter legit Hieronymus, qui notat subaudiendum, quasi repeteretur illud *Sume*; quod potest intelligi & de filiis deinceps generandis, & de adoptandis alienis, quos antea fornicaria illa pepererat.

II. 16. *Non vocabit me ultra: Baali*. Ita omninò est scribendum, conformiter hebræo בעלי *Baali*, quod significat *Herus meus*, *Maritus meus*. Sed Deo erat exosum hoc nomen, propter affinitatem ad nomen בעלים *Baalim*, quo vocabantur *Idola mascula*. Mendosum proinde est, quod pleraque latina Biblia, signanter Lovaniensium, & Sixti V. habebant: *Baalim*.

CAPUT V. VI. VII.

Cap. V. 7. *Nunc devorabit eos mensis cum partibus suis*. Etiam *Cum partibus* est in hebræo, & græco, non: *Cum patribus*, quod transpositis litteris in quibusdam latinis mendosè scribitur, & (quod mirandum) in ipsis Bibliis Hebraïco-latinis Pagnini, ab Aria Montano alteratis, & editis, tam in impressis Antverpiæ anno 1584. quàm Genuæ anno 1609. cùm etiam in illis ipsis sit expressè חלקיהם *Chelkehem. Cum partibus suis*, non את אבתם *Eth abotham. Cum patribus suis*.

VI. 2. *Ipse cepit, & sanabit nos*. Ex hebræo, atque græco patet nec intelligendum, nec scribendum esse cum diphthongo: *Cæpit*. Vide dicta libro præcedenti fol. 86.

VII. 5. *Dies regis nostri*. Quidam libri, signanter nova editio Hieronymi, habent *Die*, quod displicet Brugensi; sed ita posse legi, patet ex illis, quæ notavi libro præc. fol 87. Ipseque Brugensis fatetur in Notationibus: DIE *rectè quidem ex Hebræo transfertur... sunt enim Hebræa ad utrumque ambigua*; nempè ad *Die*, & *Dies*. Interim Hieronymus & alii passim omnes legunt *Dies*.

CAPUT XI. XII. XIV.

XI. 12. *Circumdedit me in negatione Ephraïm*. Aliqui non benè attendentes, scripserunt: *In negotiatione*; sed mendosè, cùm etiam in græco, & hebræo sit: *In mendacio*.

Ibidem: *Cum sanctis fidelis*. Ita & hebræa נאמן *Neëman*, & indubitatè legit Hieronymus in Commentario; unde non rectè complures Vulgatæ libri habent: *Fidelibus*, pro *Fidelis*.

XII.

XII. 11. *Frustra erant in Galgal bobus immolantes.* Pro *Erant*, quod etiam est in hebræo הָיוּ *Haju*, & græco ἦσαν, quamplurimi latini libri, præsertim manuscripti, legunt erroneè *Errant*, quod etiam est in Editione Sixti V.

℣. 12. *Servivit Israël in uxorem, & in uxorem servavit.* Pleraque latina repetebant *Servivit*, pro *Servavit*, sed malè, cùm & Hieronymus legat *Servavit*, & ita sit tum in græco ἐφυλάξατο, tum in hebræo שָׁמָר *Schamar. Servavit, Custodivit*, nempè *oves*, ùt explicationis causâ addidit chaldæus: *Custodivit oves.*

XIV. 6. *Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium.* Congruentiùs interpunctio sequeretur vocem *Israël*, quàm præcedat. Vide dicta libro I. fol. 87.

J O Ë L.

CAp. I. 15. *A a a diei* Mallem hæc tria *a* conjunctim scribi, ut efficerent unam vocem, juxta dicta superiùs ad Jerem. I. 6. Meritò autem hîc sunt ablata commata intermedia, quæ in variis libris interponuntur, signanter in Bibliis Lovaniensium. Benè Sixti V. *Aha diei!*

A M O S.

CAPUT I. II. V.

CAp. I. 1. *Qui fuit in pastoribus de Thecuë.* Ita verbotenus hebræa. Alii plerique Vulgatæ libri cum Sixti V. *In pastoralibus Thecuë*, subaudi *locis*, nempè aptis ad pascendos greges. Hieronymus dicit in Commentario, Aquilam transtulisse: *In pastoralibus*, Symmachum *In pastoribus.* Quid ipse transtulerit non satìs liquet. LXX. aliò deflexerunt.

II. 13. *Ego stridebo subter vos.* Etiam in Hebræo est *Sub*, sive *Subter vos.* תַּחְתֵּיכֶם *Tachtechem*, prout & in græco ὑποκάτω. Est igitur mendosum, quod multi latini legunt: *Super*.

V. 17. *In omnibus vineis erit planctus.* In hebræo expressè habetur כְּרָמִים *Ceramim. Vineis*, legitque Hieronymus in Commentario, non דְּרָכִים *Derachim. Viis*, ùt aliqui Vulgatæ libri habent post LXX. ὁδοῖς.

CAPUT VII. VIII.

VII. 1. *Post tonsionem regis.* Plerique antiqui Vulgatæ libri habent: *Post tonsionem gregis*, vel *Post tonsorem gregis*; sed occasione tonsionis ovium mendum istud irrepsit, ùt notavit Lyranus, cùm omnes alii textus habeant *Regis*, signanter hebræus אַחַר גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ *Achar gizze hammelech.* Quod potest verti & in plurali: *post Tonsiones Regis*, &: *Post tonsores Regis*, (si easdem litteras pronunties *Gazze*) item in singulari legendo *Gazzi. Post tonsorem regis*, & *Gizzi. Post tonsuram*, vel *Tonsionem regis.* Unde S. Hieronymus in Commentario semper allegat *Post tonsorem, vel tonsuram regis.* In Bibliis Sixti V. 1590. est: *Post tonsorem regis.*

VIII. 5. *Quando transibit mensis.* In omnes propemodùm Vulgatæ codices, etiam in Biblia Sixti V. pro voce *Mensis*, irrepserat *Messis*; sed per Clementem VIII. benè restitutum est

Men-

Mensis, quia sic expresse legit S. Hieronymus in suis Commentariis, atque ita est tum in hebræo חדש *Chodes*, tum in chaldæo ירח *Jerach. Luna, Lunatio*, tum in græco Μὴν, *Mensis*, à Μηνὴ *Luna*, quia nimirum & Hebræis, & Chaldæis, & Græcis menses erant Lunares.

MICHÆAS.

CAPUT V. VI. VII.

CAp. V. 5. *Erit iste pax: cùm venerit Assyrius in terram nostram.* Hæc lectio est tota conformis Hebræo, & Græco, non ista quorumdam librorum: *Erit pax Assyriis cùm venerit* &c.

Cap. VI. 16. *Ambulasti in voluntatibus eorum.* Ita esse legendum, constat ex hebræo, chaldæo, græco, item ex Hieronymo, non verò *Voluptatibus*, quod antea passim legebatur, etiam in Bibliis Sixti V.

Cap. VII. 17. *Dominum Deum nostrum formidabunt.* Hebræa יפחדו *Iphchadu. Formidabunt, Pavebunt.* Græca Ἐκστήσονται. *Obstupescent, Attoniti fient.* Igitur non rectè Biblia plurima, signanter Lovaniensium, item Sixti V. *Desyderabunt.*

NAHUM.

CAp. I. 12. *Attondentur, & pertransibit.* Ita etiam est in Hebræo נגוזו ועבר *Nagozzu, veabar*, ùt expresse legit, & exponit Hieronymus in Commentario. Proinde minùs rectè aliqui latini libri legunt *Pertransibunt*, quamvis ita habeat textus Chaldæus. Græcus nihil habet ad propositum.

SOPHONIAS.

CAp. III. 17. *Silebit in dilectione sua.* Pro *Sua* conspirant hebræa, chaldæa, græca; approbatque expresse Hieronymus in Commentario: *Hæc faciet in dilectione suâ, non tuo merito, sed misericordiâ suâ.* Prudenter igitur restitutum est *Sua* in Bibliis Clem. VIII. pro *Tua*, quod irrepserat in universis penè Vulgatæ Bibliis, etiam in Sixti V. Sensus equidem in idem redit, si *Tua* in illis Bibliis sumas tamquam positum pro *Tui*: notatur enim dilectio Dei erga populum suum, quem alloquitur Propheta.

AGGÆUS.

CAp. II. 1. *In die vigesima & quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii Regis.* Hæc verba non spectant ad caput secundum, sed sunt ipse finis capitis primi, ibidemque collocantur in variis Bibliis latinis & græcis.

Istud colligitur ex ipso textu; nam immediatè post hæc sequitur: *In septimo mense, vigesimâ & primâ mensis, factum est* &c. Ne igitur eidem facto duplex, atque adeò diversum assignetur tempus, dicendum est, priora verba spectare ad finem capitis primi, hoc est designare tempus, quo contigerunt ea, quæ referuntur capite primo circa finem.

ZACHARIAS.

CAPUT I.

VErsu 12. *Iste jam septuagesimus annus est.* Varii Vulgatæ libri omittunt *Jam*, quod & omittere hebræa, chaldæa, græca, notant Lovanienses in margine suorum Bibliorum; sed de hebræo textu (ùt nunc punctato) id non rectè notant, in eo enim est זה שבעים שנה *Ze schibim schana*, quod præcisè significat *Jam septuaginta anni.* Item: *Jam septuagesimus annus.* Hinc veriùs ab ipsis notatum fuisset in hebræo omitti Pronomen *Iste*, quàm ibidem desiderari Adverbium *Jam.*

Dixi: *Ut nunc punctato*; quia זה *Ze* non significat nisi Adverbium *Jam*, & Pronomen Demonstrativum *Hic*, *Iste*, sed in Masculino genere tantùm, quomodò hîc non potest sumi, nam deberet esse Pronomen vocis *Annus*; at vox illa est in hebræo feminini generis שנה *Schana*; unde nequit hoc loco sumi pro Pronomine *Iste.*

Verùm si eædem litteræ leg antur cum alio puncto vocali, nempè זה *Zo*, tunc idem valet hæc hebræa vox, quod latina *Hæc*, *Ista*, & ita hîc sumi potest, puncta enim vocalia non sunt de substantia textûs sacri, tantùmque per Rabbinos addita sunt post tempora S. Hieronymi, quem legisse *Zo*, non *Ze*, patet ex ejus Commentariis in Zachariam; in quibus ex hebræo vertit: ISTE *septuagesimus annus est*, omisso *jam*, qualiter etiam transtulerunt LXX. τοῦτο ἑβδομηκοστὸν ἔτος. ISTE *septuagesimus annus*. Similiter paraphrastes chaldæus, cùm habeat דנן *Denan*, quod valet *Iste*, & *Ista*, non *Jam*. Hi igitur omnes hebræum זה legendum censuerunt non *Ze*, *Iste*, aut *Jam* (ùt modo in hebræo punctatur) sed *Zo*, *Ista.*

Vulgata nostra moderna utrumque benè junxit, quia hebræum זה sine punctis scriptum, significat & *Ista*, & *Jam*, potuitque Deus, atque adeò videtur, utrumque intendisse per hanc unicam vocem, & ex subjecta materia satìs congruè sumitur pro utroque, alterumque certò exprimitur, alterum verò ad minùs subintelligitur.

CAPUT II. IV. X.

Cap. II. 8. *Tangit pupillam oculi mei.* Pro *Mei* Hieronymus videtur legisse *Ejus*, vel *Sui*, posito tamen pro *Ejus*. Ita etiam legunt quædam Biblia latina, estque conforme textui tam græco, quàm hebræo עינו *Eno. Oculi ejus*, nempè Dei, ut sit verbum Prophetæ. In Vulgata nostra legente *Mei*, sumitur ùt verbum Dei loquentis.

IV. 2. *Septem infusoria.* Multi latini libri habent *quatuordecim infusoria*, nam vocem *Septem* repetunt hoc modo: *Septem, & septem infusoria*, qualiter etiam est in hebræo, chaldæo, græco, & apud Hieronymum.

Cap. X. 4. *Ex ipso angulus.* Ita plerique libri Vulgatæ, & omnes textus alii. Latini quidam, similitudine vocis circumventi, malè scripserunt: *Ex ipso Angelus.*

CA-

CAPUT XII. XIV.

Cap. XII. 3. *Levabunt eam.* Biblia Sixti V. & Lovaniensium: *Eum.* Qui *Eam* legunt, referunt ad *Jerusalem*, qui *Eum*, ad *Lapidem*, eodem prorsùs sensu: *Ponam Jerusalem lapidem oneris*, &c. In hebræo est Pronomen femininum ה *ha*; at cùm אבן *Eben. Lapis* sit in hebræo communis generis, & quidem frequentiùs feminini, quale etiam est *Jerusalem*, item עמסה *Amasa Onus*; potest istud ה *ha*, *Eam* in hebræo indifferenter referri ad *Jerusalem*, ad *Lapidem*, ad *Onus*. In græco tamen femininum αὐτὴν potest referri ad solam *Jerusalem*, cùm ibi sit λίθον καταπατούμενον, *Lapidem conculcatum*; est enim λίθος masculini generis.

ỷ. 6. *Sicut facem ignis in fæno.* Ita, exceptis paucissimis, omnes Vulgatæ libri tum antiqui, tum novi, hoc est, editi post Correctionem Clem. VIII. idque meritò, quia in hebræo habetur כלפיד *Ce-lappid.* Est autem *Lappid. Lampas, Tæda, Fax*, aut *Facula.* Similiter LXX. ὡς λαμπάδα. *Sicut lampadem.* Istud etiam exigit Scripturæ contextus; unde cum Francisco Luca mero mendo Typographico deputo, quòd in Bibliis tum Sixti V. 1590. tum Clementis VIII. 1592. 1593. 1598. tum Romanis 1624. habeatur voce simili, litterulâ additâ *Sicut faciem*, quod etiam reperitur in paucissimis antiquis, in aliquibus etiam *Fascem.*

XIV. 5. *Fugietis ad vallem montium eorum.* In hebræo habetur הרי *Haraj. Montium meorum*, prout & in græco ὀρέων μου. Hanc lectionem Quidam præferunt Communi; & ex similitudine pronunciationis facilè in communem mutari potuit.

I. MACHABÆORUM.

CAPUT I. II.

CAp. I. 57. *Quinto, & quadragesimo, & centesimo anno.* Istud *Centesimo* non est omittendum, quamvis eo careant multi libri latini, & aliqui græci; nam ex toto libro, atque historia Machabæorum constat, hunc centenarium numerum, in illis etiam, in quibus omittitur libris, esse subintelligendum.

II. 1. *Sacerdos ex filiis Joarib.* Ita pariter in græco scribitur Ἰωαρὶβ, scribendumque esse per *b* finale, patet ex I. Paral. XXIV. & II. Esdr. XI. 10. Non verò *Joarim*, ùt multi Vulgatæ libri, signanter Lovaniensium, & Sixti V.

ỷ. 30. *Quoniam inundaverunt super eos mala.* Hoc est: *Multiplicata sunt*, ùt habent græca ἐπληθύνθη. Minùs rectè plurima latina exemplaria legunt: *Induraverunt.*

ỷ. 42. *Congregata est ad eos Synagoga Assidæorum*, seu *Essenorum*, ùt à Josepho aliisque vocantur. Etiam in græco est Ἀσιδαίων, non *Judæorum*, qualiter est in plerisque latinis antiquis.

ỷ. 46. *In finibus Israël.* Etiam græcus textus habet *Israël*; quod verò Alii cum codice Sixti V. legunt: *Eorum*, debet referri ad Judam Machabæum, & fratres ejus, non ad *Nationes*, de quibus

præcesserat ℣. 44. Unde in illis Codicibus debet sumi *Eorum*, pro *Suis*.

CAPUT V.

℣. 3. *Debellabat Judas filios Esau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane.* Græcè Ἀκραβαττίνη. *Acrabata* urbs erat & Regio dicta *Acrabatina*, una ex quatuor Toparchiis Judææ, juxta Cosmographos sita ad Boream respectu Samariæ, parumper vergendo ad Orientem. Illa in mea Tabula Geographica hebræa scribitur אקרבטה *Akrabata.*

Fortè tamen hæc sita fuit, vel saltem hîc agitur de Regione sita in finibus Tribus Judæ, circa ejus angulum Austro-orientalem, ubi erat locus dictus Numer. III. 44. Jos. XV. 3. Judic. I. 36. *Ascensus scorpionis*; hebraïcè autem *Scorpiones* vocantur עקרבים *Akrabbim*. Hoc mihi verosimiliùs apparet, quia hic locus erat in confinio *Idumææ*, seu proximus *filiis Esau*, quos hîc Judas Machabæus debellasse narratur.

Sive autem de hac Regione agatur, sive de illa, satìs constat ex præmissis, minùs rectè scribi omisso *c*, vel *k*: *Arabathane* tum in Bibliis Sixti V. tum in multis antiquis, signanter Hentenii, ac Lovaniensium; unde & Lucas Brugensis in libro *Romanæ correct.* *Plerique* inquit, *libri vocem Acrabathane, malè scribunt omissâ litterâ c.*

℣. 60. *Fuga magna.* Sic etiam græca τροπὴ μεγάλη. *Conversio*, seu *Fuga magna*, quæ vox non tam latè patet, quàm *Plaga*; hanc habent plerique latini libri, signanter Sixti V.

CAPUT VI. VII.

VI. 37. *Indus magister bestiæ.* Ita legendum esse constat ex græco Ἰνδὸς, non *Intus* (hoc est *Interiùs*) sicut ante Correctionem Bibliorum Sixti V. & Clem. VIII. communiter legebatur in Vulgata.

VII. 19. *Comprehendit multos ex eis, qui à se effugerant.* In græco est: *Ex his, qui cum eo, qui ad se fugerant.* Hoc est: Ex illis militibus, *qui cum eo* Judâ Machabæo jam *erant*, *qui* priùs *ad se*, hoc est ad Bacchidem *transfugerant*, sed occasionem nacti ab ipso, seu *à se effugerant* ad Judam, quod nostra Vulgata meliùs nunc exprimit, quàm veteres libri, qui habent: *Ex iis, qui ad se refugerant.* Cur enim eos Bacchides occidisset?

CAPUT IX. X.

IX. 35. *Jonathas rogavit Nabuthæos amicos suos, ut commodarent illis apparatum suum, qui erat copiosus.* Notant Lovanienses, Manuscripta latina 19. legere *Commendarent*. In græco est: *Apponere ipsis apparatum ipsorum illum multum.* Syrus, juxta La Haye: *Ut deponeret apud ipsos totam supellectilem suam.* Vatablus: *Ut apud ipsos sarcinas suorum deponeret.* Omninò videtur Jonathas impedimenta sua bellica Nabuthæorum custodiæ voluisse committere, cùm, ùt ex textu patet, esset in procinctu, ut adversùs Bacchidem prælium iniret: Hoc vocat Vulgatæ nostræ moderna lectio *Commodare*; sed alia lectio congruentiùs *Commendare*; nam

nam illud *Commodare* ita posset sumi, quasi Jonathas subsidia bellica à Nabuthæis commodatò petierit, prout aliqui minùs verosimiliter explicant, & habet editio Sixti V. *Ut commodarent illi.*

℣. 61. *Apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ*, seu Architecti, & Auctores istius sceleris, atque insidiarum. Porrò in græco etiam est Κακίας. *Nequitiæ*, *Malitiæ*, non *Militiæ*, ùt unâ mutatâ litterâ, per mendum irrepserat in plurimis Vulgatæ libris.

X. 54. *Dabo tibi dona, & ipsi* (filiæ tuæ mihi desponsandæ) *digna te.* Ita justissimè correctum est ex græco: Καὶ αὐτῇ ἄξιά σου. Cùm antea omnes propemodùm Vulgatæ libri, etiam Lovaniensium, & Sixti V. pro *Digna te*, legerent verbo affini: *Dignitatem.*

℣. 83. *Intraverunt in Bethdagon Idolum suum.* In nostra Vulgata debent quædam subintelligi, vel aliter legi; nam *Bethdagon* non erat *Idolum* Azotiorum, sed in Azoto erat *Beth-Dagon*, hoc est *Domus*, sive Templum Idoli *Dagon.* Unde puto veram lectionem esse: *In Beth-Dagon Idolium suum*, seu Templum Idoli sui, & ita expresse habetur in græco εἰδωλεῖον. Si hoc non placeat, in Vulgata ita erit supplendum: *In Beth* (hoc est *Domum*, seu *Templum*) *Dagon* ad *Idolum suum*, sive *Idoli sui.* Interim habes Josuë xv. 41. *Bethdagon* urbem in Tribu Juda.

CAPUT XII. XIII.

XII. 1. *Et elegit viros.* Vide infra lib. 3. cap. 7. punct. 5.

℣. 7. *Ab Ario, qui regnabat apud vos.* Ita vocatum fuisse hunc quartum à fine inter Reges *Agidarum*, constat ex Prophanis Historicis, quamvis etiam dictus videatur *Darius*, ùt scribitur in græco textu, & plerisque antiquis Vulgatæ libris, atque etiam in Sixti V. *A Dario.* Nisi fortè sit mendum in græco, quod inde pervaserit varios Vulgatæ libros.

℣. 19. 20. *Hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Onia: Arius rex Spartiatarum, Oniæ Sacerdoti magno salutem.* Hanc esse genuinam lectionem confirmat græcus textus: Unde minùs rectum est, quod antea communiùs legebatur, & à Lyrano expositum invenitur: *Quod miserat Onias: Rex Spartiatarum Onias Jonathæ Sacerdoti magno salutem.* Item quod Biblia Sixti V. *Oniares, Rex Spartiatarum Oniares Jonathæ.*

XIII. 15. Vaticana 1592. 1593. legunt: *Pro argento, quod habebat frater tuus Jonathas in ratione regis.* Sed uterque Index correctorius pro his Bibliis monet legendum esse *debebat*, qualiter est in græco, item in Vaticanis Sixti V. 1590. Clem. VIII. 1598. in omnibus Hentenii, ac Lovaniensium, denique (quantùm indagare potui) in cunctis impressis ab anno 1600.

CAPUT XV.

℣. 3. *Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum*, nempè Tryphon cum sibi adhærentibus. Libri Vulgatæ recentiores omnes post Codices Vaticanos, habent *quidem*, quod

etiam est in plerisque Antiquioribus; aliqui tamen habent *quidam*, signanter Biblia sæpiùs edita Parisiis curâ Joannis Benedicti, item Biblia Lugd. 1556. Hoc meliùs cohæret textui, & magìs accedit græco, in quo est ἐπειδὴ ἄνδρες λοιμοὶ. *Quoniam viri pestes*, seu *pestilentes*. Videtur proinde istud ἄνδρες, *Viri*, primitùs à latino Interprete redditum *Quidam*, non *Quidem*. Hoc tantò mihi verosimiliùs fit, quòd etiam *Quidam* habeant Biblia Bibliothecæ nostræ jam circiter à quingentis annis manuscripta; utpote absoluta anno 1238.

℣. 23. *Lampsaco, & Spartiatis*. Pro *Lampsaco* Biblia Sixti V. & plerique alii Vulgatæ libri habent: *Sampsama*, conformiter græco Σαμψάμη. Sed de *Sampsama* Regione, aut Urbe nihil novi me usquam legisse: De *Lampsaco* constat ex Ptolomæo, Strabone, Plinio, Melâ; fuit autem urbs Mysiæ propè Hellespontum, non procul à priscâ Trojâ versùs Septentrionem sita, natalibus & cultu Priápi famosa.

II. MACHABÆORUM.

CAPUT II. IV.

CAp. II. 13. *Congregavit de Regionibus libros, & Prophetarum, & David*. Varii Vulgatæ codices habent: *De Regibus*, quam lectionem vehementer stabilit textus græcus: τὰ περὶ τῶν βασιλέων, *Congregavit ea, quæ de Regibus, & Prophetis, & ea, quæ de David*. Omisîâ voce *Libros*.

℣. 14. *Ea, quæ deciderant per bellum*. Sic & græca, non verò *Didicerat*, aut *Didicerant*, ùt multi Vulgatæ libri.

Cap. IV. 18. *Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præsens esset, misit Jason facinorosus ab Hierosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis, quas postulaverunt hi, qui asportaverant, ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari*, quod & impetrarunt, nam *propter præsentes* (græcè *Portantes*) *data sunt in fabricam navium triremium*. Hæc omnia transcripsi, ut pateat, hos missos non tam *scelestos* fuisse, ut dici debeant *Peccatores*; si enim scelesti fuissent, non obstitissent, quo minùs ad *sacrificia Herculis* impensa fuisset pecunia, ipsis à Jasone ad hoc commissa.

Veriorem igitur puto lectionem, quæ non *Peccatores* habet, sed *Spectatores*, hoc est *Speculatores*, ùt est in variis Vulgatæ libris antiquis, & in græco constanter Θεωρὸς, à θεωρέω, *Specto*, *Speculor*, *Contemplor*, quod verbum græcum toto cœlo differt ab ἁμαρτωλοὺς *Peccatores*.

℣. 30. *Antiochidi regis concubina*. Ita ex græco correctum est, pro eo, quod antea passim legebatur in Vulgata, etiam in Sixti V. *Antiochi regis*.

CAPUT VIII.

℣. 13. *Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei justitiæ, in fugam vertebantur, alii verò, si quid ei superera, vendebant*. In singulari *ei* est quidem in Vaticanis Sixti V. 1590. & Clementis VIII. 1592. 1593. 1598. atque in Romano 1624. Est pariter in omnibus Plan-

Plantinianis ab anno 1603. impressis, prout & in aliis passim Vulgatæ Editionibus præcedentis sæculi. Sed mihi cum Fullonio videtur legendum *Eis*; etenim pluralem numerum exigunt evidenter circumstantiæ textûs, & (quantùm investigare potui) habent omnes omninò Vulgatæ Codices præcedentes Editionem Sixti V. in quam, omissâ inadvertenter ultimâ litterâ, videtur primò pro *eis* irrepsisse *ei*, quod inde transfusum est in reliquas subsequentes, nisi quod benè sit *eis* in Coloniensi 1679. & Parisiensi 1691.

In Vulgata legendum esse *eis* etiam colligitur ex græco: οἱ δὲ τὰ περιλελειμμένα πάντα ἐπώλουν. *Alii verò residua*, (seu *ipsis derelicta*) *omnia vendebant.* Ex dictis constat varios antiquos Vulgatæ libros, etsi benè servent pluralem numerum, mendosè tamen habere: *Alii verò si qui de his supererant, veniebant.* Nimirum ex *quid eis*, inadvertenter exscribendo formatum est: *qui de iis*, seu *his*, deinde ad formandum sensum reliqua sunt mutata.

CAPUT X.

℣. 15. *Judæi verò* &c. In græco est *Idumæi*, Ἰδουμαῖοι, nempè hostes Judæ Machabæi, qui refugas à Juda, & hostes ipsius recipiebant; illosque statim post narratur Machabæus magnâ clade affecisse; unde illam græcam lectionem satis probabilem habeo cum Tirino.

℣. 17. *Non minùs viginti millibus trucidaverunt.* Ita etiam græca; unde minùs verosimile est, quod Biblia tum Sixti V. tum alia aliqua legunt: *Viginti quinque millibus.*

℣. 37. *In quodam repertum loco.* Menochius, Salianus, Sa existimant pro *Loco*, legendum *Lacu*, ùt est in græco λάκκῳ, quæ vox non facilè mutabilis est cum χώρῳ, vel τόπῳ, *Loco*, at facilè mutabile latinum *Lacu*, in *Loco*.

CAPUT XI.

℣. 18. *Quæcumque igitur regi poterunt perferri, exposui, & quæ res permittebat, concessit.* Est quidem in prima persona *Concessi* in Editionibus Vaticanis tum Sixti V. 1590. tum Clem. VIII. 1592. 1593. Sed in utroque Indice correctorio pro Bibliis Romanis 1592. 1593. expressè notatur legendum *Concessit*, prout impressum in Vaticanis 1598. & Romanis 1624. Item in Plantinianis, aliisque omnibus (excipe Colon. 1630.) editis ab anno 1603.

Meritò sanè, nam circumstantiæ suadent legendum esse *Concessit*, nempè Rex, juxta ℣. 15. *Quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ, ea Rex concessit.* Eratque Regis ea concedere, non Lysiæ, qui hæc ℣. 18. scribens inducitur. Idem cogit græcus textus ἃ δὲ ἦν ἐνδεχόμενα, συνεχώρησε. *Quæ autem fuerunt possibilia, concessit.* Etiam *Concessit* est in Bibliis Hentenii, ac Lovaniensium. Imò præsentem locum in tertia persona refert Franciscus Lucas: *Quidam*, inquit, *libri legunt pluralem numerum* Permittebant; *sed prima persona* Concessi, *nullo modo est admittenda.*

C A-

CAPUT XII.

℣. 2. *Et Demophon super hos, & Nicanor.* Parùm diversa est constructio textûs græci: Καὶ Δημοφῶν, πρὸς δὲ τούτοις Νικάνωρ. *Et Demophon, ultra autem hos Nicanor.* Nullatenùs verò habetur *Superbus*, quod ex *Super hos* jam pridem irrepsit in Vulgatam, cùm habeatur & in Bibliis Bibliothecæ nostræ manuscriptis anno 1238. & in plerisque antiquis impressis, ideòque retentum fuit in Bibliis Sixti V. Sed benè restitutum est ab Hentenio, & Lovaniensibus, ac deinde à Clemente VIII. *Super hos*, quod etiam habent mea antiqua manuscripta in 8. Item impressa Mogunt. 1472. ac Colon. 1478. Porrò mallem interpunctionem in Vaticanis, & Plantinianis positam post vocem *hos*, collocatam ante *Super*; hoc enim prorsùs exigit textus græcus, quem in hoc benè secuti sunt Hentenius, & Lovanienses.

℣. 26. *Ad Carnion.* Sic Biblia Clem. VIII. & recentiora omnia, cum græcis ἐπὶ τὸ Καρνίον. Antea passim erat, etiam in Lovan. & Sixti V. *A Carnion.*

CAPUT XIII. XIV.

XIII. 23. *Mente consternatus Judæos deprecans* Rex Antiochus Eupator. Ita rectè correctum ex græco, pro eo quod passim antea legebatur: *Mente consternatos Judæos deprecans.*

XIV. 33. *Istud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo.* Cum Fullonio reor, *Latinè* Hîc *restituendum esse*, pro *Hoc*. Etenim, ùt patet ex textu, minabatur Nicanor: *Fanum istud*, seu Jerosolymitanum Templum funditùs evertere, & *in planitiem deducere*: unde non *Hoc* Baccho, seu *Libero patri consecrare* volebat, sed eodem loco, priori destructo, aliud ædificare, seu, ùt in græco est, *Erigere* Baccho consecrandum. Patent hæc clariùs ex græco textu, qui sic habet: *Hoc Dei fanum in planitiem faciam, & templum hîc Baccho illustre erigam.* Nota: *Istud*, sive *Hoc*, quod modò existit, *Dei fanum in planitiem faciam*, seu funditùs destruam, aliud autem *Templum* Baccho ἐν ταῦθα, *Hîc*; sive, *In hoc loco erigam* &c.

MATTHÆUS.

CAPUT I. IV.

CAp. I. 23. *Vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Franc. Lucas: *Germana lectio habet futurum plurale personæ tertiæ* Vocabunt, *non singulare tertiæ* Vocabit, *aut* Vocabitur.

Etenim communis antiquorum codicum lectio est *Vocabunt*, quomodò etiam habetur in plerisque græcis Καλέσουσι, quamvis aliqui habeant Καλέσει, *Vocabit.* Testatur insuper Hieronymus in Isa. VII. 14. *In hebræo scriptum est Vocabunt.*

IV. 10. *Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana.* Varii libri tum latini, tum græci addunt: *Retro me*, seu *Post me* ὀπίσω μου. Sed illud non est hujus loci, omittiturque à græcis codicibus melioribus, item à textu Syriaco, Chrysostomo,

mo, Origene, Euthymio, & signanter ab Hieronymo, qui in Commentario hujus loci ita scribit: *Vade Satana. Non ut plerique putant, eâdem Satanas, & Apostolus Petrus sententiâ condemnantur; Petro enim dicit* Matth. XVI. 23. *Vade retro me Satana, id est: Sequere me, qui contrarius es voluntati meæ* (ac proinde es mihi *Satanas*, hoc est *Adversarius.*) *Hic verò audit: Vade Satana, & non ei dicitur: Retro me, ut subaudiatur: Vade in ignem æternum, qui paratus est tibi, & Angelis tuis.*

CAPUT V. VI.

Cap. V. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo.* Græci Scriptores plerique, utì & moderna græca exemplaria passim addunt εἰκῆ. *Temerè, Sine causa, Immeritò.* Sed etiamnum inveniuntur græca, hâc voce carentia, eaque puriora esse constat ex Augustino, qui testatur lib. I. Retract. cap. 19. *Græci codices non habent: Sine causa.* Similiter Hieronymus in Commentario: *In quibusdam additur: Sine causâ; ceterùm in veris* Codicibus *definita sententia est, & ira penitùs tollitur. Radendum est ergo: Sine causa.* Idem asserit Dialogo secundo contra Pelagianos.

Cap. VI. 4. 6. 18. *Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* Addunt græca moderna passim, cum latinis aliquibus: *Palam*; sed Hieronymus istud expresè resecuit è Latina Vulgata; Augustinus verò lib. 2. de Serm. Dom. circa init. testatur, ab iis, quæ consuluit græcis exemplaribus, omissum fuisse.

CAPUT VII. VIII.

VII. I. *Ut non judicemini.* Quod sequitur in quibusdam libris, signanter Sixti V. *Nolite condemnare, ut non condemnemini*, vel: *& non condemnabimini*, non est Matthæi, sed Lucæ VII. 37. Sunt tamen ista etiam in aliquibus græcis hoc loco, sed plurima, ac meliora græca exemplaria omittunt. Porrò in græco est ἵνα μὴ, *Ut non*, non καὶ οὐ, aut καὶ μὴ, *Et non.*

VIII. 28. *Cùm venisset trans fretum.* Ita Vaticana Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. Et Lucas Brugensis: *Ut non est addendum nomen Jesus, ita non est mutandum singulare* Venisset, *cum plurali Venissent.* Miror autem hæc illum scribere, cùm *Venißent* habeat illa Editio, quâ Lucas Brugensis in suo libello usus est, nempè Clem. VIII. 1593. & sequens Vaticana anni 1598.

Equidem animadversio Brugensis bona est; nam latina antiquiora omisso nomine *Jesu*, passim habent in singulari *Cùm venisset*, & græca clariùs excludunt tum nomen *Jesus*, tum plurale: ἐλθόντι αὐτῷ, *Venienti ipsi* &c. Insuper Indices correctorii pro Bibliis anni 1593. item 1598. monent legendum singulari: *Venisset.*

℣. 30. *Erat autem non longè ab illis grex* &c. Ita legendum esse comprobat tum constans omnium Latinorum codicum perpetuus consensus, tum circumstantiæ textûs, tum Marcus V. 11. & Lucas VIII. 32. tam in græco, quàm latino: *Erat autem* IBI ἐκεῖ *grex* &c. Hîc proinde mendosus est judicandus, ne-

 que

que sequendus græcus textus, qui omisso *ὡ non*, habet sensu contrario: *Erat autem longè ab illis grex* &c. Proinde Isidorus Clarius solo fultus græco textu, non rectè istud *non* ex Vulgata removit.

CAPUT X. XII.

Cap. X. 4. *Simon Chananæus*. Ita, nempè per *ch*, habent omnia penè Biblia latina tam antiqua, quàm nova, ac Vaticana anni 1593. & 1598. prout & Romana 1624. Sed genuina lectio est illa, quam exhibent Biblia Hentenii, ac Lovaniensium, item Parisiens. 1541. & 1553. prout & Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. *Cananæus*.

Hoc patet tum ex Marc. III. 18. quo loco in omnibus Vulgatæ codicibus scribitur *Cananæus*, tum ex græco textu, qui habet Καναναῖος, & frequentiùs Κανανίτης, nusquam Χανανίτης. Deinde ex Act. I. 13. & Luc. VI. 15. *Simonem, qui vocatur Zelotes*, hoc est *Zelosus*; Græcè autem Ζηλώτης, est hebraïcè קנא *Kanna*, ùt patet Exod. XX. 5. *Deus zelotes*, אל קנא *El Kanna*. Porrò ק seu *K* nunquam aspiratur; nequit igitur hoc nomen exprimi per *ch*, sed per *k*, vel *c* proferri debet.

Confirmat hæc Hieronymus in Matth. X. *Simon Cananæus ipse est, qui in alio Evangelio scribitur zelotes, Cana quippè zelus interpretatur*. Denique Syriacus textus habet קננאיא *Kannaio*, sive *Kenanaio* (utroque enim modo hoc Syrum nomen efferri potest) per ק non per כ *ch*.

Hinc patet Munsterum hujus Apostoli nomen malè expressisse in illo, quod edidit Matthæi Evangelio hebræo כנעני *Chanaani*, quasi à Chananæis populis ita dictus esset; nam ùt ostendi, prima nominis hujus Apostoli littera non est כ *ch*, sed ק *k*, *x*, multumque in hebræo significatione differunt *Chananæus*, & *Cananæus*, seu *Cannæus*.

℣. 8. *Mortuos suscitate*. Hæc desunt in aliquibus græcis, atque latinis, videnturque ab Hieronymo omitti, retenta equidem sunt, quia in plurimis græcis leguntur. νεκροὺς ἐγείρετε.

Cap. XII. 31. *Spiritûs autem blasphemia*. Ita legendum patet ex græco τοῦ πνεύματος βλασφημία, non verò: *Spiritus blasphemia*, quod habent Biblia Sixti V. & varia alia.

CAPUT XIV. XVII.

Cap XIV. 3. *Propter Herodiadem uxorem fratris sui*. Aliqua latina addunt: *Philippi*, quod est in Græcis ac Syris etiam hîc, & in omnibus Marc. VI. 17.

℣. 32. *Cùm ascendissent in naviculam* Christus, & Petrus. Pluralem numerum exigunt græca ἐμβάντων ἀυτῶν. *Ascendentibus illis*. Hinc Franciscus Lucas: *Quidam numero singulari scribunt:* Ascendisset, *malè*. Ita scribitur in Editione Sixti V. 1590.

Cap. XVII. 2. *Facta sunt alba sicut nix*. Fortè genuina lectio est: *Sicut lux*; ita enim constanter habetur in omnibus Syris libris, atque in Græcis penè cunctis φῶς *Lux*, quæ vox multùm distat à χιὼν *Nix*, ita ut non facilè una in alteram mutari potuerit, sicut faciliùs

liùs est ut *Nix* scribatur pro *Lux*. Matthæus igitur videtur respicere ad *Splendorem*, quem vestimentis Christi transfigurati adscribunt Marcus *Splendentia*, Lucas *Refulgens*. Interim Maldonatus doctè propugnat lectionem Vulgatæ, cui consonant aliqua græca, in quibus non est φῶς *Lux*, sed χιὼν *Nix*.

℣. 11. *Elias quidem venturus est*. Addunt quidam Vulgatæ libri: *Primùm*, quod est conforme textui græco πρῶτον.

CAPUT XX.

℣. 15. *Aut non licet mihi quod volo facere*? Additur in Syro & Græco: ἐν τοῖς ἐμοῖς. *In meis*. Hoc placet Zegero nostro, displicet autem Brugensi.

℣. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*? Græci & Syri codices, Græcis interpretibus suffragantibus passim addunt: *Et baptismo, quo ego baptizor, baptizari*? prout & ℣. 23. *Et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*. Istud etiam hîc legunt Hilarius, Hieronymus, Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 3. Sed latini libri illud in solo Marci Evangelio habent. Vide quæ infra noto ad Luc. xi. 2.

CAPUT XXI. XXIV. XXVI.

XXI. 21. *Tolle, & jacta te in mare*. Ad hæc Franciscus Lucas: Ita vulgò legitur, quam lectionem esse depravatam, quamquam citra detrimentum sententiæ, legendumque Imperativis passivis: *Tollere, & jactare in mare*, non solùm græca loquuntur ἄρθητι καὶ βλήθητι, sed & similia loca Marc. xi. 23. & Luc. xvii. 6.

Quamvis ergo non suppetant exemplaria, quæ scribant: *Tollere, & jactare*; tamen res est adeò clara judicio Epanorthotæ hanc esse Interpretis Scripturam, ut sine difficultate in textum recipiendum putet, annotans litteram *r* mutatam esse in *t* ubi legitur *Tolle te, Jacta te*. Ita ille, cui subscribo, inquit Brugensis.

Cap. XXIV. 42. Editio Sixti V. & quidam alii latini codices hîc ante *Vigilate* habent, legitque etiam S. Hilarius: *Duo in lecto uno, unus assumetur, & alius relinquetur*; sed ista desunt in melioribus, ac numerosioribus tum græcis, tum latinis, in quibus autem reperiuntur, videntur huc translata ex Luc. xvii. 36.

Cap. XXVI. 59. *Principes autem Sacerdotum*. Ita etiam in plurali habent Syra, & Græca ἀρχιερεῖς, non in singulari *Princeps*, ùt aliqui Vulgatæ libri.

CAPUT XXVII.

℣. 9. *Quod dictum est per Jeremiam Prophetam*. Quamplurimi atque gravissimi Auctores censent hîc nomen *Jeremiæ* superfluere, nempè Hieronymus, Rupertus, Lyranus, Baronius, Maldonatus, Jansenius Gandensis, Franciscus Lucas, item aliqui, quos tacito nomine adfert Augustinus lib. 3. de Consensu Evang. cap. 7. ubi testatur suo tempore nomen *Jeremiæ* à variis codicibus absuisse; quod idem de sua ætate dicit Lyranus. Dominicus Magrius scribit se Romæ vidisse exemplar Arabicum, in quo habebatur *Zacharias*, non *Jeremias*, & Chaldaïcum, in

quo nullius Prophetæ nomen erat. Similiter Evangelium Syriacum nullum hîc Prophetam nominat.

Hæc confirmantur ex consuetudine Matthæi; ipse enim plerumque allegat Scripturas veteris Testamenti suppresso Prophetæ nomine, ùt Cap. I. 22. II. 6. 15. 23. XIII. 35. XXI. 4. Item ex eo, quòd nihil in tota Jeremiæ prophetia reperiatur simile isti, quod hîc Jeremiæ Prophetæ tribueretur, sed potiùs apud Zachariam Cap. XI. 13.

Cùm tamen & Græca constanter habeant *Jeremiam*, & Latina passim, idque ab antiquo, ùt ex Hieronymo, atque Augustino constat; congruè retinetur in textu nomen *Jeremiæ* tamquam verè à Matthæo positum, quia is simul miscuit duas prophetias, primam Jeremiæ XXXII. de agro vendito, alteram Zachariæ; Jeremiam autem tantùm nominavit, tum quia primus erat, tum quia notior, sicut alibi combinatæ ex pluribus prophetiæ sub unius nomine allegantur, v. g. Marc. I. 2. & I. Petr. II. 7. ex Psal. CXVII. 22. & Isa. VIII. 14. Item I. Cor. XV. 54. ex Isa. XXV. 8. & Osee XIII. 14. Alii aliter conciliant.

Addo istam à Matthæo hîc citatam prophetiam, forsitan fuisse in libris aliquibus Jeremiæ deperditis, de quibus II. Machab. II. 1. Fatetur Hieronymus in Matth. XXVII. *Legi nuper in quodam Hebraïco volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Judæus obtulit, Jeremiæ Apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi.*

Huic consentit quod scribit Dominicus Magrius in suis Antilogiis apparentibus S. Scripturæ: Hîc prætereundum non est, inquit, quod mihi nuper ostendit Dominus Abraham Ecchelensis Maronita in Romano Gymnasio Chaldaïcæ ac Arabicæ linguæ publicus Professor, & meus in recognoscendis Arabicis Bibliis diligentissimus Collega: apud hunc virum inter complures libros Arabicos manuscriptos, quidam singularis extitit inscriptus: *Liber margaritarum pretiosarum*, estque de operibus Domini. Auctor hujus libri ait, odio ac malitiâ Judæorum istam prophetiam erasam fuisse; unde Cap. 7. loquens de Christi passione, Jeremiæ verba citat, quæ ex Arabico in Latinum conversa, talia sunt: *Tum dixit Jeremias ad Pesciur*, seu *Phassur*: *Jam diu cum patribus vestris estis contrarii veritati, filii autem vestri, qui venient post vos, perpetrabunt peccatum magis enorme, quàm vos, quoniam appretiabunt illum, qui non habet pretium, & pati facient, qui sanat morbos, & dimittit peccata, & accipient triginta argenteos pretium illius, quem emerunt filii Israël* &c.

℣. 35. *Ut adimpleretur* &c. Notant Lovanienses in suis Bibliis, hæc omnia abesse à 15. manuscriptis Latinis, ab Hieronymo, à Syro textu, & græco. Absunt etiam ab Editione Sixti V. & à Bibliis Complutensibus. Sed ego ista reperi in Evangeliis græcis, quæ edidit Arias Montanus, prout & in Novo Testamento græco impresso Genevæ anno 1632. Item in alio edito anno 1678. atque in altero impresso Amstelodami 1685. Sunt etiam in Syriaco edito

edito Cotenis Anhaltinorum 1621.

℣. 43. *Liberet nunc, si vult eum.* Multi latini libri, signanter Sixti V. habent: *Liberet nunc eum si vult.* Videtur tam in his, quàm in Clementinis ac Plantinianis Editionibus, deesse unum *Eum*; etenim & in Syro, & in Græco est: *Liberet nunc eum, si vult eum.*

Interpunctio, quam habent Biblia Vaticana 1592. post *Vult*, notatur ibi delenda, & collocanda post *Nunc* in Indice correctorio pro istis Bibliis. Meritò quidem, nam sensus est: Nunc Deus liberet Jesum, si is Deo gratus sit, si Deus sibi complaceat in illo, si ei benè velit. Hoc patet ex circumstantiis textûs, & ex Psalmo xxi. 8. *Eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Hujus enim Psalmi verbis Judæi blasphemant Jesum, dicentes eum esse falsum Christum, à Deo maledictum, & odio habitum, ac derelictum.

℣. 46. *Lamma sabacthani?* Videtur hîc mendum in verbis peregrinis. *Per ignorantiam scriptorum corrupta est littera,* inquit Lyranus, legendum autem *Lamma*, vel *Lama azabthani*, prout est in Psalmo xxi. quem hîc intonat Christus למה עזבתני Hoc enim (non illud *Lamma sabacthani*) significat hebraïcè: *Ut quid dereliquisti me.*

Sic etiam, ùt ostendit Franciscus Lucas, exhibent passim antiquiores libri, signanter Biblia impressa Lugduni anno 1522. Deinde ita legerunt S. Hieronymus in Matth. xxvii. & S. Aug. lib. 3. de Consensu Evang. c. 17.

Attamen quia tam hîc in Matthæo, quàm Marci xv. 34. constanter est non solùm in græco, sed etiam in Syriaco textu *Sabacthani*, admodùm verosimile est, hanc utì communissimam, sic quoque genuinam esse lectionem, tum hîc, tum in Marco; præsertim cùm hoc Syro-Chaldaïcè significet *Dereliquisti me*, à verbo שבק *Sabak, Reliquit, Dimisit*, ùt patet ex originali textu I. Esdr. vi. 7. Daniel. II. 44. item IV. 12. 20. 23. Itaque videtur dicendum cum S. Epiphanio Hæres. 69. Christum illa Psalmi xxi. priora verba non purè hebraïcè protulisse, aut saltem Matthæum non purè hebraïcè illa scripsisse, sed linguâ tunc usitatâ, seu alterato hebræo sermone, atque adeò non clamasse *Azabthani*, sed *Sabacthani*, quod, ùt dixi, in isto idiomate significat *Dereliquisti me.*

MARCUS.

CAPUT I.

VErsu 2. *Sicut scriptum est in Isaïa Propheta.* Multi quidem græci codices omittunt modò nomen *Isaïæ*, simpliciter legentes: ἐν τοῖς προφήταις. *In Prophetis*; sed, *Certum est* (inquit Franciscus Lucas in Notis Græcis) *de industria esse suppositum, ad vitandam difficultatem, quæ oritur ex germana lectione*: ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. *In Isaïa Propheta.*

Ita enim reperitur concorditer in omnibus Latinis, & Syris, deinde etiam in pluribus veteribus Græcis libris, & in antiquissimis Gothicis. Sic legerunt Latini Tractatores omnes. Sic pariter

inter Græcos Auctor Homiliarum in Marcum. Denique nisi sic legisset Gentilis Porphyrius, qui vixit cum Juliano Apostata, rem in calumniam vertere non potuisset; quod tamen eum fecisse constat ex Hieronymi Commentario in Matth. III.

CAPUT IV.

℣. 8. & 20. *Unum triginta* &c. Ita numero cardinali, non ordinali, est in omnibus græcis libris, & in quamplurimis antiquis Latinis. Interim numerum ordinalem expressit Interpres Vulgatæ Matth. XIII. 8. & 23. quamvis etiam ibidem sit in græco cardinalis; unde non est hîc in Marco sugillanda lectio Editionis Sixti V. 1590. *Unum trigesimum* &c.

℣. 24. *Et adjicietur vobis*. Hæc in variis Vulgatæ libris non rectè omittuntur; nam sunt in omnibus Syris, & in cunctis græcis, vix uno excepto, exponuntur etiam, atque adeò leguntur à V. Beda, Lyrano, Richelio &c.

℣. 29. *Cùm produxerit fructus*. Teste Francisco Luca: *Plerique omnes libri addunt pronomen* SE *ante* FRUCTUS. Hæc lectio præferenda videtur, tum quia communis, tum quia verum sensum exhibet; istud enim *fructus* esse Nominativi casûs, patet ex græco ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς. *Cùm autem ipse fructus ediderit*, nempè *se ipsum*. Nostra autem lectio nata est generare alium sensum, scilicet quo vox *fructus* sumatur in accusativo plurali. Non tamen adeò placet istud *Ex se*, quod habet Editio Sixti V. & quædam manuscripta: *Cùm ex se produxerit fructus*. Non placet, inquam, idque propter rationes statim allegatas.

CAPUT V.

℣. 13. *Concessit ei*. Ita habent Vaticana 1592. 1593. 1598. Romana 1624. & Plantiniana prima post correctionem Clementinam impressa, nempè anni 1603. Hæc lectio istud *ei* refert ad primum *deprecabatur* ℣. 10. Sed magìs congruè legitur in Vaticanis Sixti V. 1590. *Concessit eis*, quomodò etiam est in omnibus codicibus Latinis, quos vidi, tam illis, qui Editionem Clem. VIII. præcesserunt, quàm qui subsecuti sunt; signanter *Eis* habent Plantiniani 1605. 1608. & seqq. In græcis paritèr est αὐτοῖς *Eis*, non αὐτῷ *Ei*.

Exigit hoc etiam contextus; ita enim narrat Marcus: *Et deprecabantur eum spiritus, dicentes, mitte nos in porcos, ut in eos introeamus, & concessit eis* (ita legendum patet, non *ei*) *statim Jesus, & exeuntes spiritus*. Puto in Editionem Vaticanam 1592. inadvertenter omissâ ultimâ litterâ pro *eis*, irrepsisse *ei*, atque inde transfusum hoc mendum in tres sequentes editiones Romanas, & primam Plantinianam.

℣. 35. *Veniunt ab Archisynagogo*. Explicat hoc textus Syriacus: *E domo principis synogogæ*, ad ipsum principem, seu Archisynagogum, apud Christum existentem. Porrò legendum esse *Ab*, non: *Ad Archisynagogum* (ùt passim solebat legi in Vulgata, & est in Bibliis Sixti V. *Veniunt nuncii ad Archisynagogum*) patet tum ex Syro textu, tum ex græco ἀπὸ.

Ex Notâ, quam in suo libello: *Romanæ correctionis* &c. ad hunc locum habet Lucas Brugensis, manifestum est ipsum non vidisse Editionem Sixti V. seu Vaticanum Exemplar anni 1590. Si enim vidisset, non scripsisset pro Notâ verba sequentia: *Veniunt ab Archisynagogo. Sic legendum est sexto casu, ex correctione Sixtina: Non est addendum Nuncii, nec scribendum quarto casu, mutatâ præpositione Ad Archisynagogum.* Ita ille, cùm tamen Correctio, seu Editio Sixtina habeat præcisè omnia, quæ ille improbat, nempè: *Veniunt nuncii ad Archisynagogum.* Sed Lucas Brugensis ignorans hanc specialem editionem Sixti V. Sixtinam vocavit illam, quæ verè est Clementina correctio.

℣. 41. *Talitha cumi.* Ita etiam est in græco, hancque esse veram lectionem patet ex interpretatione, quam Marcus addit: *Quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge*: nam קומי *Kumi* est *Surge*, & Syriacè טליתא *Talitha*, idem est quod *Puella*. Hinc patet mendosum esse, quòd multi Vulgatæ libri pro *Talitha*, habent *Tabitha*, nam hoc teste Luca Act. IX. 36. *Interpretatum dicitur Dorcas*, seu *Caprea*, non *Puella*.

Mendosa ista lectio multùm errare fecit Magdalium, qui quasi corrigens Evangelistam scribit: *Hebraïcè Tabitha, non Puella, sed Respice, & Cumi Surge significant, & sunt verba Christi: Thabiti, vel Thabita cumi, Respice, surge.* Sed, ùt dixi, insigniter errat tum in supposito, tum in significato nominis *Tabitha*.

CAPUT VI. VII.

VI. 13. *Sanabant* Apostoli. Sic etiam græca ἐθεράπευον, non verò *Sanabantur*, quod anteà passim in Vulgata lectum, retinuerat Sixtus V. referebaturque ad ægros ab Apostolis unctos.

℣. 14. *Et dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis*; nempè Herodes Antipas hoc *dicebat*. Sic porrò legunt nedum Latini, sed & libri Græci, ac Syri omnes. Attamen V. Beda, & S. Thomas in Commentariis ad hunc locum clarissimè legunt: *Dicebant* plurali numero, qualiter etiam non semel, nec ambiguè legit S. Augustinus lib. 2. de Conf. Evang. cap. 43. De hac lectione scribit Franciscus Lucas Brugensis: *Non dubito quin genuina Latinæ nostræ editionis lectio sit numerus pluralis: Dicebant.* Ego econtrariò singulare *Dicebat* præferendum existimo, tum quia, fatente ipso Brugensi, ita constantissimè legunt textus Græcus, & Syriacus, omnesque moderni Latini Codices, tum quia hoc magìs quadrat contextui Scripturæ, & illis, quæ Matthæus habet XIV. 1. 2. *Herodes ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit à mortuis.* Familiare autem est Marco sequi Matthæum.

VII. 4. *Et áforo nisi baptizentur.* Ita cum accentu acuto, atque unicâ voce, quasi foret Adverbium, habetur in Editionibus Vaticanis 1592. 1593. 1598. Romanâ 1624. Parisiensi 1618. ac solâ primâ Plantinianâ, nempè 1603.

Est quidem in usu, ut dicatur uno vocabulo *áforis*, quamvis non adeò con-

congruè, ùt notavit Calepinus; sed non memini me alibi legisse *áforo*; imò quamvis latinè sic loqui liceret, tale Adverbium non videtur hîc congruere sensui Scripturæ.

Porrò reliqui omnes Vulgatæ libri, signanter Lovaniensium, Plantiniani, & Vaticani Sixti V. 1590. habent duabus distinctis vocibus *à foro*, subaudi *redeuntes domum*, seu *venientes*, ùt additur in quibusdam Latinis, sive: *cùm venerint* ὅταν ἔλθωσιν, ùt addunt quædam Exemplaria græca. Etiam græci libri omnes habent ἀπὸ ἀγορᾶς, *à foro*.

CAPUT VIII. X. XV.

VIII. 38. *Qui enim me confusus fuerit... & filius hominis confundetur eum.* Sic etiam Græca; unde mendosum est, quod varii Vulgatæ libri, signanter Sixti V. legunt *Confessus*, & *Confitebitur*. Occasio mendi fuisse videtur tum insolens phrasis, tam Evangelistæ, quàm Interpretis, tum aliqualis affinitas verborum, tum loca Matth. x. 32. & Luc. xii. 8.

X. 40. *Non est meum dare vobis*. Istud *Vobis* & à variis Latinis libris omittitur, & ab omnibus Syris, atque Græcis, sed manifestè in omnibus illis subintelligitur.

XV. 34. *Lamma sabacthani?* Vide dicta Matth. xxvii. 46. fol. 269.

℣. 42. *Quod est ante sabbatum.* Satìs congruè legeretur unâ voce conjunctim: *Ante-sabbatum*, prout est in græco προσάββατον.

L U C A S.

CAPUT I. II.

CAp. I. 29. *Quæ cùm audisset.* Sensum optimè transtulit Interpres, nam pro *auditu* sumitur *Visus* more Scripturæ in Syro, & communiori lectione Græci textûs ἡ δὲ ἰδοῦσα. *Hæc autem videns*, seu *Cùm vidisset*, ùt legit S. Ambrosius,& quidam Vulgatæ libri.

Cap. II. 2. *A præside Syriæ Cyrino.* Illud *a* omissum fuisse optarem propter ea, quæ dixi libro præced. fol. 96.

℣. 7. *Quia non erat eis locus.* Etiam in plurali habetur in Syro & Græco αὐτοῖς, non αὐτῷ, *Ei*, ùt legit Ambrosius, & habent aliqui Vulgatæ codices, signanter Sixti V.

℣. 15. *Quod Dominus ostendit nobis.* Benè monet Lucas Brugensis: *Nequaquam legendum est quibusdam additis: Quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Illa enim, quamvis retenta sint in Editione Sixti V. & in quibusdam aliis reperiantur; tamen in paucis respectivè, nec habentur in Græco, aut Syro.

℣. 18. *Omnes qui audierunt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Miror istud *Et* medium in Vulgata correcta esse relictum, cùm sensum turbet, qui clarus est illo *Et* sublato, atque adeò superfluat; & omittitur à variis Vulgatæ libris, ab Ambrosio, à textu Syriaco, atque Græco.

℣. 35. *Et erat pater ejus, & mater.* Syrus,

rus, & Græcus postponunt pronomen *Ejus*, sicut & Editio Sixti V. *Et erat pater & mater ejus*. Insuper quidam Græci, & Syri codices pro ὁ πατὴρ, *Pater*, habent Ἰωσὴφ. *Et erat Joseph, & mater ejus.*

CAPUT VIII. IX.

VIII. 18. *Videte ergo quomodò audiatis?* Ita quidem, nempè cum signo interrogationis est in omnibus Bibliis Vaticanis, scilicet annorum 1590. 1592. 1593. 1598. atque in Romanis 1624. Item in primis post Clem. VIII. Plantinianis, hoc est anni 1603. & Parisiensibus anni 1618.

Sed universa alia ubique terrarum impressa, habent sine isto signo: *Audiatis*. In græcis etiam nullum apponitur interrogationis signum, & quidem multò rectiùs, siquidem in illis Christi verbis nulla apparet interrogatio.

℣. 23. *Complebantur* fluctibus marinis in navim se jactantibus. Mendum quod in quosdam Latinos codices ex similitudine vocis irrepsit, hîc retentum est in Editione Sixti V. *Compellebantur*; sed communis latina lectio, & constans græca habet συνεπληροῦντο. *Complebantur.*

℣. 49. *Venit quidam ad principem Synagogæ*. Præfert Brugensis lectionem Syram, & Græcam: *A principe*, qualiter reperit habere quoddam exemplar latinum. Vide dicta ad Marc. v. 35.

Cap. IX. 4. *Ibi manete, & inde ne exeatis*. Aliqui Codices Vulgatæ omittunt *Ne*, conformiter ad Syros, & plerosque Græcos: καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. *Et inde exite*, qui sensus non est ineptus, sed coïncidit cum illo, quod refertur dixisse Christus Matth. x. 11. *Ibi manete, donec exeatis*, q.d. hîc apud Lucam: *Ibi manete, & inde exite*, dum ab eâ urbe discedendum erit; aliàs in nostra lectione repeteretur idem *Ibi manete*, si mox subjungi deberet: *Et inde ne exeatis*. Puto proinde magìs esse genuinum, ut istud *Ne* omittatur.

℣. 15. *Discumbere fecerunt omnes*. Græcum verbum ἀνέκλιναν significat quidem indifferenter *Reclinarunt*, seu *Discumbere fecerunt*, & *Discubuerunt*, ùt hîc habetur in aliquibus Latinis, signanter Sixti V. Hoc tamen loco Evangelista verbum istud græcum sumpsit pro *Discumbere fecerunt*, quod patet ex adjuncto pronomine ἅπαντας, *cunctos*; illud enim accusativi casûs est, ut autem hîc significaret *Discubuerunt*, deberet esse in græco, casu nominativo ἀνέκλιναν ἅπαντες. *Discubuerunt cuncti*, quod tantùm invenitur in paucis græcis minùs exactis.

CAPUT X. XI.

X. 1. *Designavit Dominus & alios septuaginta duos.* ℣. 17. *Reversi sunt autem septuaginta duo.* Etiam hunc numerum adferunt Prudentius, Augustinus lib. q.q. Evang. cap. 14. Dorotheus, V. Beda, Epiphanius; estque lectio hæc præferenda Syræ ac Græcæ, quæ modò in omnibus penè, non tamen in omnibus omninò, habet numero rotundo *Septuaginta*, omittens *Duos*.

℣. 6. *Requiescet super illum pax vestra.* Etiam *Illum* αὐτὸν habent Græca, in quibus hîc *Domus* est in feminino οἰκία.

Varii tamen codices Vulgatæ ad *Dominum* referunt, & legunt *Illam* cum V. Beda, & S. Gregorio Magno.

℣. 30. *Suscipiens autem Jesus.* Hoc est: Respondendi partes accipiens, atque ita est etiam in græco ὑπολαβὼν, non verò *Suspiciens*, hoc est sursum aspiciens, quod videtur ex similitudine vocum transpositis litteris, irrepsisse in aliquot latinos codices, quos secuta est Editio Sixti V. 1590.

Cap. XI. 2. *Adveniat regnum tuum.* Et Græca, & Syra hîc passim addunt: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Idem reperitur in variis manuscriptis latinis, atque adeò non est tam absonum illa esse adjuncta in Editione Sixti V. Ostendit equidem Lucas Brugensis in libro suo dicto *Notationes*, hæc ad Lucam non pertinere, sed ad Matthæum. Pro quo notandum, plurimos priscos Evangeliorum transscriptores tam græcos, quam latinos, sæpiùs ex altero Evangelista, pro supplemento historiæ, supplesse illud, quod ab altero fuerat omissum: ex quo factum est tam multa hinc inde in variis Evangeliorum codicibus, præsertim manuscriptis reperiri supplementa, quibus id, quod uni Evangelistæ proprium est, in aliis eandem historiam tractantibus, est superadditum.

CAPUT XII. XIV.

XII. 47. *Et non præparavit.* Biblia Sixti V. 1590. & quædam alia habent: *Et non se præparavit*; sed illud *se* non exprimitur in græco, imò forsitan nequidem subintelligitur, cùm videatur agi de præparandis per servū illis, quæ Dominus ipsi præparare mandaverat.

℣. 48. *Et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ita omninò est interpungendum, & interpungunt Biblia Romana 1593. 1598. 1624. Item Hentenii, Lovaniensium, & Plantiniana omnia, nimirum ut interpunctio fiat post vocem *plagis*, non ante eam, sicut interpungunt Biblia Sixti V. 1590. & prima Clementis VIII. nempè anni 1592. *Et fecit digna, plagis vapulabit paucis.*

Esse interpungendum post vocem *plagis*, non ante illam, patet ex græco textu Ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν δαρήσεται ὀλίγας. *Faciens autem digna plagarum recipiet supra cutem suam paucas.* Ita transfero ut servem eosdem casus, qui exprimuntur in græco, & quia verbum istud passivum δαρήσεται, *Verberor, Cædor*, derivatur à δέρας. *Pellis, cutis.* Nisi fortè per hoc indicetur instrumentum, nempè plagæ inflictæ *loris* de pelle, seu corio factis. In græco autem textu istud *plagarum* manifestè regitur à voce *faciens digna.* Si verò foret interpungendum sicut interpungunt Editiones Vaticanæ 1590. 1592. deberet in græco esse non in Genitivo πληγῶν *Plagarum*, sed πληγὰς δαρήσεται ὀλίγας. *Plagas recipiet paucas.*

Cap. XIV. 12. *Neque vicinos divites.* Biblia Sixti V. *Neque vicinos, neque divites*; sed istud *neque* ante vocem *Divites* omittunt græca, & latina penè omnia; imò nec addendum videtur, Christus enim non dissuadet simpliciter invitare ad prandium *vicinos*, quia & hi pauperes esse possunt, sed *vicinos divites.*

CA-

CAPUT XV.

℣. 8. *Nonne everrit domum?* Ad hæc Lucas Brugensis: *Ita rectè emendarunt Romani correctores Everrit, id est scopis mundat (quomodò Interpres eandem ipsam vocem Græcam vertit supra Cap. XI. 25.) pro eo quod plerique omnes libri habent: Evertit, quod est Turbat. Vocum similitudo depravandi occasionem indoctis præbuit.* Idem in Notis ad varias lectiones Evangelii, ait: *Omnes hactenus annotarunt ita* (nempè *Everrit*) *esse legendum, quia sic clarè & Græca, & Syra habent.*

Evertit etiam habent Biblia Sixti V. 1590. & Hentenii, ac Lovaniensium omnia. At nostræ Provinciæ Pater Nicolaus Zegerus in *Epanorthote* suo, seu *Correctorio*: *Evertit domum.* Σαροῖ, *id est Verrit, atque hinc augurari licet Interpretem ipsum scripsisse Everrit: nam B. Gregorius Hom. 34. in Evang. indicat in quibusdam Emundat scriptum fuisse, quomodò habet Ambrosius initio Epist.* 1. Hæc scripsit Zegerus anno 1553.

Miror proinde doctissimum Patrem nostrum La Haye contra quemdam non solùm mordicùs defendere istud mendosum *Evertit*, atque supponere quòd Vulgata correcta etiamnum ita habeat; sed addere: *Nec dicat esse mendum cùm ponitur Evertit; ut enim drachmam perditam reperiret, non solùm scopis domum mundat, sed omnia, quæ in ea erant, subvertit, ut si alicubi lateret, tandem reperiret. Si mend[illegible]liquod fuisset, Correctores Bibliorum nonne animadvertissent? Et eruditus Lucas Brugensis, & noster Nicolaus Zegerus in suis correctionibus nonne observassent? cùm minutiora non præterierint.*

Quandoque bonus dormitat Homerus. Ex inadvertentia subreptum est Patri La Haye, nam ùt vidimus & Lucas Brugensis, & noster Zegerus mendum istud *observaverunt*, & Bibliorum Correctores, cùm emendaverint, utique *animadverterunt*.

CAPUT XVI. XVIII.

XVI. 22. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos.* Hæc in Græco aliter leguntur, & ordinantur, idque clariùs, & magìs genuinè: Ἀπέθανε δὲ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. *Mortuus est autem & dives; & sepultus est. Et in inferno elevans oculos suos.* Ita quoque habet textus Syriacus, sic etiam legit S. Aug. Serm. 25. de Diversis, & alibi. Sic pariter Estio teste, habent quidam manuscripti codices Latini. Hanc proinde lectionem præferendam existimo, cùm insuper plana sit; deinde corpus divitis Epulonis non descenderat *in infernum* ᾅδην, ut in inferno sepultus dicatur.

Cap. XVIII. 11. *Velut etiam hic publicanus.* Puto non conjunctim unâ voce *Velut* legendum esse, atque scribendum; sed separatim duabus: *Vel ùt*; nam ita clarè scribitur in græco ἢ καὶ ὡς. *Vel & ùt.* Occasio mendi fuisset sublata, si Interpres Latinus transtulisset: *Aut ut etiam.*

CAPUT XIX. XXII. XXIII.

XIX. 37. *Cœperunt omnes turba discipulorum.* Pro *Discipulorum* legebatur in plerisque Bibliis, signanter Sixti V. *Descendentium*, quod videtur irrepsisse ex eo, quòd præmittatur de *descensu* è monte Oliveti, & apparenter primò translatum fuerit *Discentium*, hoc est *Discipulorum* ùt est in Textibus Syro & Græco μαθητῶν.

Cap. XXII. 43. 44. *Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Ad hæc ita Brugensis in Notis: Hi duo versiculi, tametsi olim defuerint in quibusdam & Græcis, & Latinis libris, testibus Hilario lib. 10. de Trinitate, & Hieronymo lib. 2. Adv. Pelag. cap. 6. Hodie tamen à nullis libris absunt nec Latinis, nec Græcis, nec Syriacis: ut certè jam palam est, temerè aliquando fuisse à quibusdam omissa.

Cap. XXIII. 35. *Stabat populus spectans.* Ita etiam legit V. Beda, atque habetur in textibus Syro, & Græco θεωρῶν, unde mendosum est, quod ante correctionem Sixtinam & Clementinam in Vulgata passim legebatur: *Exspectans.*

JOANNES.

CAPUT I.

VErsu 28. *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Latina Vulgatæ, & Syriaca exemplaria omnia legunt *Bethania.* Græcorum alia Βηθανία, alia Βηθαβαρᾶ. Etiam *Bethania* legit Nonnus antiquus paraphrastes Græcus. Ejusdem lectionis Græcæ meminit quoque Chrysostomus Hom. 16. Epiphanius autem Hær. 51. *Hæc in Bethabara facta sunt. In aliis verò exemplaribus habetur: In Bethania.*

Pro *Bethania* inclinat noster Zegerus, hancque lectionem approbat Toletus, item Glossa, referente S. Bonaventura: *Ait Glossa quòd duæ sunt, una trans Jordanem, & alia citra*, ut proinde Joannes signanter addiderit: *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem*, ne quis putet ista, quæ ibidem narrat, contigisse in *Bethania* castello Mariæ & Marthæ propè Jerusalem, à quâ aberat eodem Joanne testante Cap. XI. 18. *Stadiis quindecim*, hoc est passibus 1800. intelligendo, ùt intelligenda videntur, Stadia Attica, quorum unumquodque complectitur passus 120. Si verò intelligas Stadia Romana, cùm hæc singula sint passuum 125. Conficient *Stadia* 15. passus 1875.

Illa propè Jerusalem scribitur in Tabulâ Geographicâ Hebræâ, quâ utor בית־עניא Hoc est *Domus humilitatis*, item *Obedientiæ.* Illam, quæ est quidem ultra, sed propè Jordanem, putat Toletus scriptam בית־אניה Quod significat *Domum navis*, quòd nimirum ibidem esset locus, navesque paratæ ut viatores ultra Jordanem veherentur. Sed in Syriaco textu hoc Joannis loco *Bethania* non scribitur per א *Ania*, ùt opinatur Toletus, sed per

per ע quamvis ita ſcripta etiam navim ſignificet.

Eſt mihi valdè veroſimile Joannem intellexiſſe Regionem ultra Jordanem à Syris (ùt teſtantur Euſebius, Hieronymus, Joſephus, aliique) *Bathan* dictam, quæ deinde temporibus Chriſti vocata eſt *Bathanæa*, item *Bethania*, ſeu *Bathania*; quæ antea ab Hebræis dicebatur *Baſan*, nempè in qua olim temporibus Moyſi *Og* Rex imperabat; ſiquidem Syris eſt familiare Hebræum ש *ſc*, in ת *th* mutare; unde quæ olim *Baſan*, poſtea dicta eſt *Bathan*. Hanc autem Regionem extenſam fuiſſe uſque ad ea trans Jordanem loca, ubi Joannes baptizabat, hoc eſt comprehendiſſe terram Tribus Gad, patet ex I. Par. V. 11. *Filii Gad habitaverunt in terra Baſan*.

Ex dictis patet deliraſſe Georgium Wicelium in Poſtilla ſuper Evangelium Dom. 4. Adventûs ſcribentem: *Qui Bethania legunt, planè delirant*.

Attamen cùm nuſquam alibi legamus in Scriptura *Bethaniam* aliquam circa Jordanem, & Græca exemplaria frequentiùs habeant *Bethabara*, hoc eſt (ſi hebraïcam ſignificationem attendamus) בית־עברה *Domus tranſitûs*, ſeu *Trajectum*, ſive *Domus navis trajectoria*, quòd ibi trajicebatur Jordanis, aut olim fortaſſis ibidem ſicco pede Iſraëlitæ trajecerant ex Ægypto venientes in Chanaan.

Hinc probabilis eſt opinio multorum putantium genuinam hujus Evangelici loci lectionem eſſe *Bethabara*. Ita Chryſoſtomus Hom. 16. in Joan. *Illa*, inquit, *exemplaria veriora videntur, in quibus Bethabara ſcriptum eſt*. Chryſoſtomum ſequuntur *Euthymius*, & *Theophylactus*, præceſſit autem *Origenes*, item *Euſebius* libro de locis Sacris, accedit & S. Bonaventura in Joannem *Bethabaram* præferens.

Inſuper Hieronymus ſilentio ſuo grave huic ſententiæ pondus adjicit, dum libro de locis Hebraïcis in voce *Bethania* nullam alterius mentionem facit, quàm illius, quæ erat propè Jeruſalem. Imò expreſsè ad Euſebium libro de locis, in voce Βηθααβαρᾶ, qualiter ipſe exprimit propter ה præfixum בית־העברה verba Græca Euſebii, Hieronymus Latinè per Paraphraſim transferens, ait: *Bethabara trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat, unde & uſque hodie plurimi de fratribus, hoc eſt de numero credentium, ibi renaſci cupientes, vitali gurgite baptizantur*.

CAPUT V.

℣. 2. *Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraïcè Bethſaida*, בית־צידא hoc eſt *Domus venationis*, ſeu *Piſcationis* (unde & *Piſcina* nomen) quo nomine appellata quoque fuit civitas ad mare Galilææ ſita, de qua Petrus & Andreas erant oriundi, quæ ſic vocata videtur, eo quòd incolæ piſcationi potiſſimùm ſtuderent.

Pro *Bethſaïda* facit, quòd ea ſit communiſſima lectio Latini textûs, quam propugnans noſter Zegerus in Epanorthote, ait: *Hebraicè Bethſaida. Ita legendum plenius in ſcholiis docuimus: Be-*

thesda enim nusquam invenio nisi in Græcis.

In scholiis autem ita scribit: *Græci codices habent Bethesda Βηθεσδὰ, sed mendosè ni fallor, nam Chrysostomus & Cyrillus Græci, cum nostra lectione consentiunt: Sed & B. Hieronymus, ut ceteros Latinos taceam, in locis Hebraïcis. Bethsaïda, non Bethesda scribit etiam Eucherius.*

Interim mihi magìs probatur legi *Bethesda*, tum quòd sic Græca passim omnia legant, tum quòd omnia Syra בית חסדא *Beth-esda. Domus misericordiæ.* Atque adeò non multùm urget istud Zegeri: *Bethesda nusquam invenio nisi in Græcis.* Sed Zegerus Syriacum textum non viderat.

Insuper Hieronymum immeritò citat pro *Bethsaïda*; nam in locis Hebraïcis, ubi de hoc verbo agit, hæc solùm habet: *Bethsaïda civitas est Galilææ Andreæ, Petri, & Philippi Apostolorum, propè stagnum Genesareth.*

Econtra: *Bethesda*, inquit, *Piscina in Jerusalem, quæ vocabatur προβατικὴ, & à nobis interpretari potest pecualis.* Ex quibus patet Hieronymum non *Bethsaïda*, sed *Bethesda* legisse, quamvis aliqui libri Hieronymi hoc loco mendosè habeant: *Bethsaïda*, quod corrigendum est tum ex emendatioribus editionibus, tum ex Græcis Eusebii verbis, tum ex priori loco Hieronymi, ubi agit de patria Petri, & vocem ac locum *Bethsaïda* exponit, nam ibidem indubiè notasset etiam *Bethsaïdam* fuisse appellatam piscinam illam Jerosolymitanam, si hæc ita vocata fuisset.

CAPUT VI.

℣. 13: *Ex quinque panibus hordeaceis.* Quidam libri, signanter Sixti V. addunt: *Et duobus piscibus*, de quo noster Zegerus: *Redundat in nostris, nec legitur in codicibus vel paulò antiquioribus*, neque in Græcis, aut Syris.

℣. 23. *Gratias agente Domino.* Ante Correctionem Bibliorum sub Clem. VIII. passim legebatur *Agentes.* Biblia Sixti V. *Gratias agentes Deo*, atque ita ad satiatos refertur, sed non rectè, cùm sit in græco εὐχαριστήσαντος τοῦ Κυρίου, non εὐχαριστήσαντες. Atque etiam in Syro: *Cùm benedixisset Jesus.*

℣. 35. *Dixit autem eis Jesus.* Legitur quidem non *eis*, sed *ei* tam in Codice Vaticano Sixti V. 1590. quàm in aliis Vaticanis Clementis VIII. nempè 1592. 1593. 1598. ac in Romano 1624. Item in Plantinianis annorum 1603. 1605. 1608. Parisiensibus anni 1618. Nullum tamen potest esse dubium, quin in exemplaribus istis sit omissa litterula una, debeatque legi *eis*, non *ei*. Imò in Indice correctorio, seu Catalogo locorum corrigendorum in Bibliis Vaticanis anni 1593. & altero Indice pro Bibliis anni 1598. (qui uterque Index seu Catalogus habetur ad Calcem in Bibliis Vaticanis anni 1598.) expressè notatur esse legendum *eis*: Unde miror hoc mendum non fuisse notatum in Indice pro Bibliis anni 1592. Magìs autem miror, remansisse, seu iterum irrepsisse in Bibliis impressis Romæ anno 1624. *apud heredem Barthol. Zannetti.*

Porrò

Porrò merum esse mendum patet clarissimè ex præcedentibus, & subsequentibus in textu: *Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me non sitiet umquam. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.* Ex quibus verbis manifestum est, quòd non alicui singulari, sed pluribus loquatur Christus.

Deinde in græco textu est αὐτοῖς *Eis*, non αὐτῷ *Ei*. Omnes etiam Vulgatæ libri has editiones præcedentes tam impressi, quàm manuscripti, quos videre potui, nullo excepto habent *Eis*. Quomodò etiam legunt Biblia Vulgata passim omnia, quæ sunt impressa ab anno 1618. quo anno in Editione Plantiniana hoc mendum est sublatum, ac deinde in sequentibus impressum *Eis*. Imò ante hæc Biblia Plantiniana, invenio esse restitutum *Eis* in Bibliis Francofurti impressis anno 1615.

℣. 41. *Ego sum panis vivus.* Hoc loco *Vivus* omittitur à plerisque antiquis libris, prout etiam à Græco textu, & Syriaco.

℣. 65. *Qui essent non credentes.* Biblia Sixti V. 1590. & varia alia Latina exemplaria omittunt negationem; sed moderna Vulgatæ lectio est conformis Græco, Syro, & quibusdam antiquioribus Latinis.

CAPUT VII.

℣. 8. *Ego autem non ascendo.* Hæc est communis lectio Latinorum antiquorum tum librorum, tum auctorum, ipsiusque Augustini, atque etiam Cyrilli græci, quamvis quædam latina exemplaria Vulgatæ habeant *Nondum*, conformiter græco, de quo noster Zegerus: *Ut sensus esset manifestus, & sermo nihil haberet incommodi, apud Græcos pro* οὐ *Non, irrepsit* οὔπω *Nondum.* Equidem *Nondum* etiam est in textu Syriaco, & apud Chrysostomum, ac Theophylactum. Biblia Sixti V. & quædam alia Latina, non tam rectè habent *Ascendam* pro *Ascendo*, quomodò in præsenti tempore, & Latini passim, & Græci omnes atque Syri habent codices: & ita in præsenti necessariò legi debet, ab iilis saltem qui legunt *Non*, alias falsum esset istud *Non ascendam*, Christus enim postea *Ascendit*, seu ivit.

℣. 21. *Unum opus feci, & omnes miramini.* ℣. 22. *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*, &c. Istud *Propterea* difficulter connectitur sequentibus; præcedentibus autem admodùm faciliter, hoc modo: *Et omnes miramini propterea*, seu *Propter hoc*, ùt est in græco διὰ τοῦτο. Itaque sic distinguendam esse lectionem puto cum Theophylacto, & Maldonato, ut versus vigesimus secundus incipiat ibi: *Moyses dedit vobis* &c.

℣. 52. *A Galilæa Propheta non surgit.* Pauci Vulgatæ libri habent *Surrexit*, prout & communiùs græci ἐγήγερται. Sed Origenes, Nonnus, & quidam alii græci legunt præsens ἐγείρεται. *Surgit*, hoc est: Surgere non solet; aut si de Christo hæc intellexerunt illi Pharisæi, sensus est: Propheta ille, seu Messias nobis promissus non *Surgit*, seu oriri,

oriri, ac venire non debet de Galilæa, sed ex Bethlehem. Aliàs istud *Non surrexit* in rigore falsum est, cùm utique *Jonas* Propheta, itemque *Nahum* fuerint Galilæi.

CAPUT IX. X. XI.

Cap. IX. 27. *Dixi vobis jam, & audistis.* Syriacus textus habet: *Et non audistis.* Ita etiam passim græca οὐκ, *Non*, quod tamen in aliquibus græcis omittitur.

Cap. X. 29. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Ita omnes antiqui Latini tam codices, quàm Auctores, sed græci constanter habent ὃς, *Qui dedit mihi major omnibus est.*

Cap. XI. 1. *Sororis ejus.* Quidam Vulgatæ libri, signanter Sixti V. habent *Sororum ejus*; sed omninò retinendus est numerus singularis cum plerisque Latinis, & omnibus græcis, quæ cùm habeant ἀδελφῆς ἀυτῆς, patet istud *Sororis* de solâ Marthâ dici, nam adjunctum Pronomen femininum ἀυτῆς ad solam Mariam potest referri. Igitur non restat nisi una *Soror*, nempè Martha: ut enim legeretur *Sororum*, deberet illud *Ejus* esse in masculino ἀυτοῦ, nam tunc posset, & deberet referri ad Lazarum, qui duas sorores habuit; sed singulæ ipsius sorores tantùm unam sororem habuerunt, Maria Martham, Martha Mariam.

℣. 54. *In civitatem, quæ dicitur Ephrem.* Ita etiam aliqui græci codices; sed plerique habent Εφραΐμ, quomodò legit S. Hieronymus de locis hebraïcis: *Ephraïm juxta desertum, ad quam venit Dominus Jesus cum discipulis. Diximus & de hac sub Ephron vocabulo.* Eusebius scribit Ε'φραείμ.

CAPUT XVIII. XIX. XX.

XVIII. 28. *A Caipha in Prætorium.* Varii antiqui Vulgatæ libri habebant: *Ad Caipham.* Hos secutus S. Augustinus Tract. 114. in Joan. & libr. 3. de Consensu Evang. cap 7. valdè se torquet ut hoc explicet; quandoquidem Dominus Jesus priùs esset in domo Caiphæ, ùt constat ex ℣. 24. *Misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.*

Deinde Caiphas non morabatur in Prætorio, ut *in Prætorium ad Caipham* duceretur Christus. Nec fingi potest Caipham tunc intrasse *Prætorium* ut apud Pilatum Christi necem procuraret; quia ùt statim subdit Joannes: *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur* &c. Sed omnis difficultas modò sublata est, restitutâ verâ lectione, quæ, ùt notavit Lyranus, est: *A Caipha*, qualiter etiam est in Græco, & Syro, atque in multis antiquissimis manuscriptis Latinis.

XIX. 27. *Accepit eam discipulus in sua.* Multi Vulgatæ codices legunt: *In suam*, nempè *Matrem*; sed mendosè, nam Syriacè, & Arabicè est *Apud se*, Græcè verò εἰς τὰ ἴδια. *In propria.* Hinc S. Bonavent. in Joan. *Ita quod sit Accusativus pluralis numeri secundùm Augustinum Tract 119. unde ait: Suscepit eam in sua, non prædia, quæ nulla propriè possidebat, sed officia, quæ propriâ dispensatione exequenda curabat.*

XX.

XX. 25. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum.* Non pauci Latini libri habent *Figuram*, quod est æquè conforme græco τύπον. *Figura*, *Vestigium*, *Typus*. Hoc est eam, quam clavi fecerant *Figuram*, Vestigium, seu *Locum*, ùt statim vertitur in Vulgata idem verbum Græcum, & habetur in textu Syriaco.

CAPUT XXI.

ỳ. 12. *Nemo audebat discumbentium.* Quædam Latina habent: *Discentium*, quam esse genuinam lectionem putant Jansenius Gandensis, & Emmanuël Sa, pro qua lectione faciunt textus Syrus, & Græcus τῶν μαθητῶν, *Discentium*, seu *Discipulorum*.

ỳ. 22. & 23. *Sic eum volo manere donec veniam.* Hìc trifaria lectio est. Prima communis Latinorum jam allegata. Secunda: *Si eum volo manere* &c. Tertia: *Si sic eum volo manere* &c. De his ita Franciscus Lucas in suis Notationibus: *Georgius Trapézuntinus libello ad Papam edito primum legendi modum: Sic eum &c. statuere conatus est. Trapezuntium altero libello Bessarion Cardinalis refellit, ac secundum legendi modum asseruit. Si eum* &c. *Utriusque libellum apud Reverendissimum D. Lindanum legi. In Beßarionis verò sententiam eunt complures: Jansenius* Gand. *Koningstein*, *Magdalius*, *Cajetanus*, *& alii. Nicolaus Zegerus tertium probat legendi modum: Si sic* &c. *quem libro De optimo genere interpretandi R.D. Lindanus sequitur.* Ita Lucas Brugensis ipse nihil resolvens.

Esse legendum: *Sic eum volo manere*, acriter contendit noster La Haye, atque ita legerunt *S. August.* Tract. 124. in Joan. & aliis locis. *S. Ambros.* lib. 7. in Luc. & in Ps. 45. & 118. *S. Bernardus* Serm. de Innocentibus. *V. Beda*, *Rupertus*, *Albertus Magnus*, *Thomas*, *Liranus*, & alii plurimi. Sic omnes, ait La Haye, manuscripti mei codices. Item *S Cæsarius* Græcus frater S. Gregorii Nazianzeni Dialogo 5. & *Georgius Trapezuntius* Græcus apprimè doctus libro ad Papam hac de re edito. Et sanè, addit La Haye, nostra lectio una aliis præferenda, tum quia discipuli ex ea faciliùs concipiunt opinionem de Joanne, quòd non esset moriturus, tum quia juxta eam Christus magìs satisfacit interrogationi Petri. Ita La Haye. Sed contra: pro *Si* facit illud: *Quid ad te?*

Itaque pro: *Si eum volo manere* contendit Estius his verbis: *Sic* irrepsit pro *Si*. *Si* legendum manifestè patet ex græcis ἐὰν, non enim inter græcas voces ἐαν *Si*, & οὕτως *Sic*, ea affinitas est, ut errore aliquo alterum in alterum mutari potuerit, sicut apud Latinos *Si* in *Sic* mutatum fuit. Idem confirmat ex variis vetustis Latinis codicibus, & ex authoritate Cardinalis Bessarionis Petrus de Rivo Theologus Lovaniensis, in libro de anno, die, & feria Dominicæ Passionis Tract. 2. cap. 3. part. 6. Testificans Paulum à Middelburgo, contra quem alioqui scribit, id benè observasse.

S. Augustinum legisse *Si*, non *Sic* in explicatione hujus loci, putat Jansenius Gand. At ex lib. 4. de Consens.

Evang. cap. ult. apparet eum legisse *Si.* Clenardus quoque in Epistola ad Rutgerum Rescium testatur in codice Arabico ante annos sexcentos è Græco translato, legi: *Si eum* &c. Miror Biblia Sixtinæ correctionis retinere *Sic.* Ita Estius, pro cujus sententia stat communissima lectio græca & Syra, græcique tractatores, signanter Chrysostomus, Nonnus, Cyrillus.

Noster Pater Tacitus Nicolaus Zegerus sic scribit in suo Epanorthote ad hunc locum Joannis: In græcis non est *Sic*, sed *Si eum volo manere*, atque id magis placere video hujus sæculi Theologis. Verùm mihi neutra lectio videtur sincera. Suspicor autem & Evangelistam scripsisse ἐὰν οὕτως αὐτὸν θέλω μένειν, & Interpretem vertisse: *Si sic eum volo manere*; sed utrumque postea librariorum errore, aut temeritate mutilatum.

Probabile enim est, quòd tum Latinus scriba semidoctus, dum utrumque legeret *Si*, & *Sic*, alterum putans superesse, quod rectiùs judicabat descripserit, altero prætermisso. Tum etiam scriba semigræcus, dum binas voces offenderet minimùm dissimiles, præsertim si ita scribantur οὐτ̃ αὐτ̃ priorem similiter reliquerit quasi superfluam: atque hoc pacto verosimillimum est, natam esse inter græcos & latinos dissonantiam.

Et ne quis temerè hoc me suspicari, aut divinare contendat: *Si sic eum volo manere*, scriptum repperi apud D. Hieron. advers. Jovin. lib. 1. circa med. Ad hæc, si quis propiùs expendat veterum græcorum, præsertim Cyrilli commentarium, ut ut contextus habeat, non me frustra divinare probabit. Nacti quoque tandem sumus vetustum quoddam Correctorium, quod testatur olim tam in græcis, quàm in antiquis latinis *Si sic* scriptum fuisse. Ita insuper se vidisse in pervetusto quodam exemplari Bibliothecæ Cusanæ nobis testatus est vir magnæ tum probitatis, tum eruditionis Nicolaus Eschius. Hactenus Zegerus noster, qui obiit anno 1555.

Pro cujus erudita conjectura addo sequentia ex Francisci Lucæ Notationibus: Victorius Marianus, inquit, in scholiis, quæ in B. Hieronymum scripsit, notat antiquissimum quemdam Græcum codicem, quem Tridentum attulit Claromontanensis Episcopus anno Domini 1546. habere: ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν οὕτως ἕως ἔρχομαι, quod est: *Si eum volo manere sic donec veniam.* Joannes Gagneius scribit in Commentario quodam in Joannem ἐὰν οὕτως, id est, *Si sic* haberi. Addit Chrysost. & Theophylacti commentarium ad id satìs videri alludere, id quod de Cyrilli præsertim commentario sentit Zegerus. Verùm hoc ita videri existimarim, propterea quòd verbum *Manere* explicent, id quod quoddam *Sic* in se comprehendit, aut subaudiendum relinquit. Porrò manifestiùs huic tertiæ lectioni Hieronymus favere videtur, qui libro in Jovinianum priore legit: *Si eum sic volo esse, quid ad te?* Quod & Hieronymi Scholiastes Mariana annotat. Ceterùm Bessarion Cardina-

dinalis ad secundam hoc trahit lectionem: *Si eum volo manere*, quia *Sic esse*, non aliud est, quàm *Manere*. Ita Franciscus Lucas.

ACTUS APOSTOLORUM.

CAPUT I.

VErs. 4. *Convescens, præcepit eis.* Aliqui Vulgatæ libri pro *Convescens*, habent *Conversans*; sed hi videntur sequi græcum mendum, quo in paucissimis codicibus est Συναυλιζόμενος, *In eadem aula*, seu *hospitio commorans*. Erasmus, Arias Montanus, Calvinus vertunt *Congregans*. Beza *Conveniens*, quod quidem potest significare græca vox Συναλιζόμενος, quæ est genuina, atque communior lectio græci textûs.

Optima nihilominùs est Vulgatæ lectio moderna *Convescens*, conformis Hieronymo ad Hebidiam q. 7. Bedæ, ceterisque Latinis, estque hæc genuina translatio vocis Συναλιζόμενος, quæ derivatur à συν *Cum*, & ἅλς *Sal*, unde ἁλίζω, *Sale conspergo*. Hinc συναλίζω. *Simul sale conspergo* eundem cibum, seu *Simul salem comedo*, q. d. *Convescens eodem sale*, hoc est communi sale communique mensâ utor. Sic etenim vocem illam intellexerunt, atque adeò interpretati sunt Patres in græca lingua doctissimi *Hesychius* in Levit. VIII. *Chrysostomus*, *OEcumenius*, *Theophylactus*, *Hieronymus* Epistola 150. cap. 7. *Horum*, inquit noster Zegerus, *nobis auctoritas pluris esse debet, quam Recentiorum, quandoquidem Chrysostomus legens* συναλιζόμενος, *palàm de cibo interpretatur.* Etiam *Syriacus* textus habet. *Et quum edisset cum eis panem.* Æthiopicus: *Et prandens cum eis.* Nota illud I. Esdr. IV. 14. *Memores salis, quod in palatio comedimus.*

Hinc ἅλες *Convictus*, *Communio*, *sodalitatis necessitudo apud Æsch. de falsa lege*, inquit Scapula in Lexico, qui & addit: *Apud Chrysost.* ἁλῶν κοινωνοῦντες. *Sodales*, *Convictores*, utique sic dicti, quod eodem sale communicarent. Meritò hanc comestionis circumstantiam Lucas hîc notare voluit, ad veritatem resurrectionis Christi demonstrandam, propter quod eandem tam solerter insinuarunt Marcus XVI. 14. Lucas XXIV. 42. Joannes XXI. 12. Petrus Act. X. 41.

℣. 13. *Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant* &c. Ex dictis libro præcedenti fol. 102. constat græcum textum hanc interpunctionem Vulgatæ corrigere, & comma istud esse collocandum ante *In cœnaculum*, non post; itaque sic lege: *Et cùm introissent, in cœnaculum ascenderunt, ubi manebant* &c.

℣. 20. *Fiat commoratio eorum deserta.* Ita quidem in plurali habetur Psalm. LXVIII. quem citat S. Petrus, verumtamen hujus loci lectio genuina videtur esse singulare *Ejus*; sic enim habent multi Vulgatæ codices, sic habent constanter textus Græcus & Syrus, sic denique habet S. August. in Actis cum Felice Manichæo.

CAPUT II.

℣. 23. *Per manus iniquorum affligentes interemistis.* Ita impressum est in Editioni-

tionibus Vaticanis Bibliorum tum Sixti V. 1590. tum sequentibus Clementis VIII. nempè 1592. 1593. 1598. item inRomana 1624. Sequuntur hanc lectionem paucæ recentiores editiones, ùt Coloniensis 1630. & 1682. Plantiniana 1664. Lugdun. in 4. 1680. Parisiensis 1691. Bambergensis 1693.

Anteriores Plantinianæ passim habent *Affigentes* ùt 1603. 1605. 1608. 1618. 1629. 1645. 1650. Francofurtensis 1615. Parisiensis 1618. Coloniens. 1647. 1666. Lugdunensis in folio 1684. Ita etiam legunt omnes penè antiqui Vulgatæ libri, in tantùm ut Hentenius, & Lovanienses in Bibliis suis non solùm legant *Affigentes*; sed nullam quoque notent hujus loci aliam esse in ullo codice lectionem; quam tamen subesse patet ex Zegero nostro, qui ad præsentem locum hanc subdit Crisim: *Affligentes interemistis. Lege Affigentes juxta Græca & Latina exemplaria vetustiora, & Irenæum lib. 3. cap. 12. & Gregorium in Job ni fallor.* Hæc scripsit Zegerus Disthemii anno 1553.

Hinc non satìs constat de veritate istìus, quod hìc asserit Brugensis: *Pro Affigentes, quod est Crucifigentes, errore excusum est in exemplari Romano, additâ unâ litterâ Affligentes, quod est Tribulantes.* Cùm enim antea in variis Latinis legebatur *Affligentes*, undenam novit Franciscus Lucas, non voluisse Correctores justâ de causâ istud retinere, sicuti similia varia retinuerunt, quæ non immeritò correctione videbantur indigere?

Interim non dubito, quin genuina lectio sit *Affigentes*; ita enim habent vetustiora Latina exemplaria, & nova editio S. Hieronymi. Ita constantissimè græca προσπήξαντες, *Affigentes*, seu *Postquam affixistis*. Ita Æthiopica *Suspendistis*. Ita Syra וזקבתון *Vazkabthun. Et crucifixistis*; unde Fromondus, Tirinus, aliique Theologi, item, ùt dixi, variæ Editiones Bibliorum, post correctionem Romanam adhuc legunt *Affigentes*, non *Affligentes*.

CAPUT III.

℣. 12. *Quasi nostrâ virtute aut potestate.* Vulgata hìc videtur sequi Syriacum textum, qui pro secundo membro habet בשולטנן *Be-Sultanan. In imperio nostro*, seu *Per imperium nostrum*. Vel certè inversa sunt verba in nostra Vulgata, ita ut *Virtus* sumatur pro *Pietate*, aut meritis; *Potestas* autem pro *Potentia*. Saltem ita possumus intelligere, sæpiùsque illa inversio in Scripturæ verbis transferendis facta est, v. g. Gen. II. 4. Hebræa: *Terram & Cælum*. Vulgata: *Cælum & terram*. Similia occurrunt Gen. V. 3. Matth. VI. 19. XXIV. 7. Luc. XXI. 11. Hebr. I. 7. Quibus locis, vox quæ in originali textu ponitur ultima in oratione copulativa, seu post *Et*, illa eadem collocatur in Vulgata ante copulam, & econverso.

Aliàs in multis Latinis, inquit Brugensis, est *Pietate* pro *Potestate*, & Bartholomæus Petri: *Pietate habent optimi quique codices Latini*, ac Lyrano teste: Sic habent libri correcti, nempè: *Nostra*

stra virtute, aut pietate. Hanc esse genuinam lectionem existimo cum nostro Zegero, nam, ùt benè reflectit, *Virtute* positum est pro *Potestate*, est enim in græco ὡς ἰδίᾳ δυνάμει, ἢ εὐσεβείᾳ. *Tamquam* vel *Quasi propriâ potentiâ, aut pietate*. Ut nimirum Petrus à se removeat tam physicam potentiam, quàm meritoriam, totumque adscribat Deo & Christo Domino.

℣. 18. *Deus autem quæ prænunciavit*. *Quæ* legunt Biblia Vaticana 1593. omniaque alibi terrarum deinceps impressa, saltem illa, quæ videre potui; quamvis Biblia Lovaniensium, item Sixti V. 1590. & prima Clem. VIII. hoc est anni 1592. habeant *Qui*; sed Index correctorius pro Vaticanis 1592. expressè monet legendum esse *Quæ*, quod est conforme textui græco, in quo est ἃ *quæ*, non ὃς *qui*.

CAPUT IV. IX.

Cap. IV. 2. *Annunciarent in Jesu*. Hanc lectionem Editionis Vaticanæ Clem. VIII. 1593. sequuntur passim posteriores Editiones, & conformis est tum plurimis antiquis, tum græcis ἐν τῷ Ἰησοῦ. Legunt equidem varii antiqui, cum Vaticanis Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. *In Jesum*.

Cap. IX. 25. *Accipientes autem eum discipuli*. In Clementinis, ac posterioribus Editionibus meritò est omissum *ejus*, quod post vocem *discipuli* habetur in Sixti V. & quibusdam aliis. Etenim in græco non est *ejus*, nec illud videtur hîc posse apponi; nam isti *Accipientes* non erant *discipuli Pauli*, sed hoc loco *discipuli* simpliciter vocantur Christiani, prout & passim toto hoc libro; unde dicitur Cap. XI. 26. quòd cognominati sint *primùm Antiochiæ discipuli Christiani*. Similiter præcessit hoc Cap. IX. 10. *Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias*; Ananias autem non erat *Discipulus*, sed potiùs *Magister*, & *Instructor* Pauli. Nota etiam, & expende Cap. XIX. 12.

CAPUT XIII.

℣. 19. *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit Judices usque ad Samuel Prophetam. Et exinde postulaverunt Regem* &c. Hæc est constantissima tam antiquorum, quàm recentiorum Vulgatæ Latinæ librorum lectio, atque adeò omninò retinenda, contra variantes inter se, ac consequenter mendosos Græcos codices, præsertim cùm Latinæ lectioni suffragetur historiæ veritas, cui dissentire videtur communior, sed mendosa, lectio græca, quæ talis est: *Et post hæc quasi annis quadringentis & quinquaginta dedit Judices usque ad Samuel* &c.

Dicit itaque Scriptura juxta veram Vulgatæ lectionem: *Distribuit eis terram, quasi*, hoc est circiter *post* 450. *annos*, à nato nimirum Isaac computandos juxta SS. Patrês, & Theologos communissimè; etenim à nato Isaac ad egressum filiorum Israël fluxerunt anni 405. deinde 40. quibus filii Israël morati sunt in deserto, atque insuper circiter 7. antequam Josuë Israëlitis terram

ram divideret, ùt colligitur ex Jos. xiv. 10. Adeòque habentur universim anni 451. aut 452. hoc est Circiter, seu *Quasi anni* 450.

Econtra communior quidem, sed non universalis, lectio Græci textûs, repugnat Historiæ ac Scripturæ, quod ita demonstro. Numerat hæc à distributa terra sub Josuë usque ad initia Samuëlis judicantis annos 450. *Et post hac* (distributam terram) *quasi annis* 450. *dedit Judices usque ad Samuël* &c. Tot autem invenire impossibile est, cùm istis 450. addendi forent alii 40. quibus morati sunt Israëlitæ in Deserto post egressum de Ægypto, item alii 40. quibus tum Samuel, tum Saul imperarunt juxta Act. XIII. 21. item 40. Davidis, & 3. Salomonis. Denique circiter 7. qui fluxerunt ab ingressu in terram Chanaan ad eandem distributam, adeòque simul 130. ut haberetur tempus ab egressu filiorum Israël ex Ægypto ad fundatum templum anno 4. Regni Salomonis, quod consequenter esset 450. & 130. hoc est simul 580. annorum completorum, seu 581. inchoatorum. Cùm tamen constet annos 100. minùs fluxisse; siquidem dicitur III. Reg. VI. 1. *Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti in anno quarto... regni Salomonis... ædificari cœpit domus Domino.* Hoc ita legitur in omnibus omninò omnium linguarum codicibus, nisi quòd pauci græci codices, adhuc minuant numerum, cùm dicant fundatum templum anno ab egressu 440.

Dico itaque græcum textum hujus loci, quem modo tractamus, nempè Act. XIII. 20. in plerisque codicibus esse corruptum, & ex Vulgata corrigendum. Illa itaque καὶ μετὰ ταῦτα. *Et post hac*, sunt in græcis plerisque loco suo dimota per incuriam Amanuensium, & ponenda sunt posteriùs, nimirum ùt sequantur vocem πεντήκοντα. *Quinquaginta*, sicut illa sunt in Vulgata, & in quibusdam græcis: *Et post hac dedit Judices.*

Ita censent non solùm Catholici Expositores *A Lapide*, *Sanctius*, &c. sed & ipsi Heterodoxi *Beza*, *Lutherus* aliique, quam corruptionem non solùm probant prædicta, sed etiam authoritas *S. Chrysostomi*, ùt patet ex ipsius Commentariis in hunc locum, quod plusquam à sesqui sæculo reflexit noster Zegerus: *Græci*, inquit, *codices ita distinguunt, ut illud: Quasi post 450. ad sequentia pertineat... sed huic lectioni refragatur Chrysostomus, si quis non ad Lucæ verba, ùt ibi posita sunt, sed ad Chrysostomi commentum respiciat.*

Fatetur insuper Matthæus Polus heterodoxus Anglus in Synopsi Criticorum à se composita, & impressa anno 1686. fol. 449. ad III. Reg. VI. 1. Ita sicut in Vulgata Latina Act. XIII. 20. etiam esse in variis græcis manuscriptis teste Marianâ. Item sic habet antiquissimum manuscriptum græcum in Anglia asservatum, item aliud in novo Collegio Oxoniensi, item aliud à Beza productum. Item hoc inter diversas lectiones ad novum Testamentum à se excusum anno 1568. adfert Ro-

Robertus Stephanus. Denique Stephanus Curcellæus in Novo Testamento græcæ impresso Amstelodami 1685.

Pro Vulgata igitur est ipsa rei, & historiæ veritas in Vulgata asserta, deinde quòd Vulgata Latina sic constanter habeat, græci autem codices & inter se varient, & quæ à Vulgata dissentiunt repugnent Chronologiæ ex aliis Scripturis stabilitæ, atque adeò hîc aliter quàm Vulgata legentes, judicandi sunt mendosi.

℣. 33. *Hanc Deus adimplevit filiis nostris*. Latina aliqua exemplaria, signanter Sixti V. 1590. pro *Nostris* habent *Vestris*. Aliqua *Suis*, aliqua etiam: *Israël*. In textu tum Syriaco, tum Græco constanter est τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν. *Natis*, seu *Filiis eorum nobis*. Hanc puto esse genuinam lectionem.

CAPUT XV. XVI.

Cap. XV. 41. *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*. De his verbis ita Zegerus in Epanorthote: *Multa sunt, quæ arguunt hæc esse tollenda ùt adscitia, nimirum quòd non sint in Græcis* (prout nec in Syris, nec in Latinis quibusdam) *quòd non recitentur ab Hieronymo in Epist. ad Augustinum, ubi tamen præcedentia, & sequentia verba recitantur. Quòd non attingantur à Chrysostomo. Quòd parùm aptè cohæreant cum præcedentibus: junguntur enim duo Participia citra copulam: Confirmans Ecclesias, præcipiens custodire. Quòd eadem sententia de ipso Paulo, de quo & hîc scribitur, ponatur paulò inferiùs Cap. XVI. 4. Tradebat eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis. Denique quòd non enarrentur ab Hugone Cardinali, Commentatore alioqui perpetuo.*

Sed rursùs sunt nonnulla, quæ arguunt non esse tollenda. Primùm consensus codicum Latinorum, paucis exceptis, qui videri possunt emendati juxta inemendatum exemplar græcum: mox vetustissimus Codex Donatianicus, qui aliàs ferè consentit cum græcis: Deinde suspicio de concisa Scriptura per Hæreticos: postremò quòd non videantur adjecta explananda aut complendæ sententiæ gratiâ. Adde quòd conveniant cum illis, quæ post tres versus de Paulo narrantur, nempè Cap. XVI. 4. Nec insolens est Scripturæ, eadem aliquoties repetere.

Cap. XVI. 1. *Filius mulieris Judææ*. Ita legendum patet ex Græco & Syro, item, ùt reflectit Zegerus, quòd huic opponatur id, quod subditur. *Patre Gentili*, quod etiam Rhabanus animadvertit. Pro *Judææ* tamen plurimi libri habent *Viduæ*, qualiter etiam Hieronymus, & Augustinus legisse inveniuntur.

CAPUT XVII. XXI.

Cap. XVII. 6. *Quoniam hi, qui urbem concitant*. Zegerus: *Orbem haud dubiè legendum*: Ita enim communissimè omnia Latina antiqua habent, ita Syrus textus, ita Græcus οἰκουμένην, quæ vox non potuisset faciliter in græco irrepere, si antea fuisset πόλιν, *Urbem*, sed pronum fuit pro Latino *Orbem*, à minùs advertente Amanuensi describi *Urbem*.

℣. 18. *Quid vult seminiverbius hic, dicere?* Ita etiam legit S. Ambrosius Epist. ad Ecclesiam Vercellensem, item V. Beda tam in Commentario, quàm in Retract. Voluit hoc verbo composito Interpres Latinus imitari Græcum textum, qui unâ voce compositâ habet Σπερμολόγος, quæ rectè verti posset: *Verborum-sator*, nec malè in plerisque Latinis transfertur: *Seminator verborum*; qualiter invenitur apud Augustinum contra Epicuræos, & Stoicos, atque Hieronymum, qui quoad hoc corrigit veterem Interpretem teste Bartholomæo Petri, quem miror, etiam post tempora Clementis VIII. scripsisse: *Minoris nota sunt libri*, qui legunt *Seminiverbius*.

Cap. XXI. 25. *Ut abstineant se ab Idolis, immolato, & sanguine.* Nescio qualiter irrepserit interpunctio, seu comma unum inter *Idolis* & *Immolato*, quod superfluere nullus dubito, ac probavi libro præcedenti fol. 106. manifestissimumque est ex græco textu, in quo pro *Idolis immolato* est una vox composita εἰδωλόθυτον. *Idolothytum*, *Immolatum-Idolis*.

CAPUT XXIII.

℣. 25. *Timuit enim ne fortè raperent eum Judæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam.* Totum hunc versiculum omittunt Græca, Syra, multaque Latina. De eo ita noster Zegerus: Hæc omnia nec in antiquioribus nostris, nec inveniuntur in exemplaribus græcis, nec apud Chrysostomum, ut Hugonem Cardinalem sileam, ideòque & è contextu submoveo, secutus Nicolaum Lyranum, & alios: sed interim eadem ad marginem adnotanda censeo, sicuti & adnotata cernuntur in nonnullis exemplaribus antiquis. Ipse quoque sermo, per hæc ipsa interruptus, arguere potest, esse subdititia. Et ne quis credat hæc à Rhabano esse lecta in Glossa Doctr. Sciat ipsum Rhabanum super illud: *Parate milites*, aliquid referre ex his verbis, ùt sua propria, non ùt posita ab ipso Luca, utì liquere potest rem diligentiùs intuenti. Coacervata autem videntur hæc verba partim ex illo, quod supra dicitur: *Timens Tribunus ne discerperetur Paulus* &c. Partim ex illo quod infra sequitur cap. seq. *Sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo.* Hactenus Zegerus.

℣. 30. *Misi eum ad te denuncians: & accusatoribus ut dicant apud te.* Ita interpungunt Romana omnia 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. Sed in Plantinianis omnibus duo ista puncta post vocem *Denuncians* sublata sunt, & econtra ante illam posita interpunctio, hoc modo: *Misi eum ad te, denuncians & accusatoribus* &c.

Ex græco quidem nihil determinari potest, cùm in illo sit eadem constructio verborum, quæ est in Vulgata; attamen pro lectione Plantiniana facit contextus, maximè istud Dativum *Accusatoribus*, quod satìs clarum est regi à participio *Denuncians*.

Credo in Plantinianis ita, ùt dixi, mutatam esse interpunctionem propter Notam Lucæ Brugensis, qui etiam locum

locum affert, quasi Vaticana eodem modo interpungerent (quod tamen non est verum) Sic enim scribit: *Misi eum ad te, denuncians & accusatoribus. Ita interpungendum est, ut participium* Denuncians *jungatur sequentibus, non praecedentibus.*

CAPUT XXIV.

℣. 6. 7. *Quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram judicare, superveniens autem Tribunus Lysias, cum vi magnâ eripuit eum de manibus nostris, jubens accusatores ejus ad te venire.* In paucis Graecis, & Syris, atque in aliquibus Latinis, non est pro his omnibus aliud, quàm hoc: *Quem apprehendimus.* Ita verò de illis Zegerus: Hæc tametsi ante annos circiter 60. aut 80. in paucissimis reperta sint exemplaribus græcis, quæ tum erant corruptissima (nimirum græcâ linguâ ad id tempus usque, propemodùm sepultâ) non sunt tamen adulterina existimanda, maximè quum sublata, sermonem ac sensum planè reddant concisum & mutilum. Præterea enarrat hæc verba Chrysostomus; & Beda palàm testatur se eadem legisse in græcis, licet non in omnibus latinis. Ita Zegerus.

Testatur etiam Franciscus Lucas in manuscriptis græcis parùm antiquioribus passim haberi, imò in omnibus, quos ipse vidit.

℣. 14. *Sic deservio Patri, & Deo meo.* Variat hîc lectio Latina, plures enim codices tantùm omittunt *Meo*, aliqui habent: *Patrio Deo.* Porrò hæc videtur genuina lectio, de quâ V. Beda: *Meliùs in Græco legitur: Patrio Deo.* τῷ πατρῴῳ Θεῷ. Ita etiam est in Syro. At Chrysostomus legit: *Patri Deo*, si credimus Zegero.

℣. 20. *Cùm stem in concilio.* Fortè genuina lectio nostræ Vulgatæ est: *Cùm starem in concilio*; nam, cui modò assistebat Paulus, non erat *Concilium*, seu *Synedrium*, ùt est in græco, sed simplex Tribunal coram Felice Præside: sequentia etiam, & præcedentia indicant, Paulum agere de *Concilio*, in quo clamaverat se Pharisæum esse Cap. XXIII. 6. Denique in græco est Στάντος μου ἐπὶ τῦ συνεδρίου, quod ad litteram vertas: *Stante me in concilio*, sed sensus est: *Cùm starem*, sive: *Quando steti*, istud enim participium σὰς σάντος, est in Aoristo, involvitque aliquid de Præterito, aut Imperfecto.

CAPUT XXVII.

℣. 5. *Pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ.* Videtur à Lucâ additum: *Quæ est Lyciæ*, ut noverimus hanc Lystram fuisse diversam à *Lystra Lycaoniæ*, de qua Cap. XIV. Quòd enim Petrus Comestor, à Lapide, Menochius, Tirinus dicant hanc *Lystram Lyciæ* eandem esse cum illa Lycaoniæ, est incredibile, tum quòd aliæ, & quidem condistinctæ Regiones essent *Lycia*, & *Lycaonia*, intermediam habentes *Pamphyliam*, item *Pisidiam*, atque insuper tractum altissimorum montium, qui vocantur *Taurus*; unde *Lystra* Lycaoniæ ad minimùm 60. Leucis Belgicis distabat à littoribus Lyciæ, & ab ea per

montem Taurum totamque, ùt dixi Pamphyliam & Pisidiam erat separata.

Deinde sequitur expressè in textu: *Ibi*, nempè *Lystris* (vel *Myra* juxta græcos, de quo postea) *inveniens Centurio navem Alexandrinam, transposuit nos in eam.* Navem Alexandrinam non potuit invenire Centurio *Lystris Lycaoniæ*, nisi fingamus hanc 60. & ultra Leucis per terram navigasse, & navigio montem *Taurum* superasse; neque enim fluvius ullus est, qui à *Lystris Lycaoniæ* versus mare tendit, ut vel sic navis hæc *Lystram* venerit, vel *Lystra* vocaretur portus aliquis ad Lystram istam pertinens.

Videtur proinde hæc *Lystra Lyciæ* fuisse civitas aliqua maritima in Lycia, de qua urbe, nulla apud antiquos Geographos aut Historicos fit mentio, prout nec de Cretæ civitate *Thalassa*, aut *Lasæa* Λασαία, ùt in græco vocatur hîc ℣. 8.

Quòd verò hîc pro *Lystra* in græco textu communissimè, atque inde in Syro habeatur *Myra*, mendosum videtur. Potuit enim faciliùs oriri in græco mendum quoad hoc, quàm in Latino; nulla siquidem est vel apparens ratio, aut occasio, ut ex *Myra, quæ est Lyciæ*, fieret *Lystra, quæ est Lyciæ.*

Sed cùm *Myra* sit in *Lycia*; famosior autem *Lystra* sit illa, quæ est in *Lycaonia*, sciolus aliquis priscus Amanuensis græcus in suo, quem describebat codice legens: *Lystram, quæ est Lyciæ*, neque ibidem aliquam *Lystram* esse, aut fuisse sciens, facilè putavit mendum esse in illo codice græco ex quo scribebat, atque *Myram* esse substituendam; itaque dum errorem corrigere putavit, errorem commisit, codicesque depravavit. Hoc tantò credibilius est, quòd in Novo Testamento græco edito Amstelodami anno 1685. notetur, aliquos Codices græcos etiam habere Λύστρα.

Multis tamen magìs placet lectio græca εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. *In Myram Lyciæ*, quomodò etiam Syrus textus legit, itemque S. Chrysostomus, pro qua lectione insuper militat, *Myram* certo certius fuisse maritimam *Lyciæ* civitatem, in qua Provincia nusquam legitur ulla fuisse *Lystra*.

Myram esse legendum etiam tenent Isidorus, Glossa ordinaria, Hugo, Gagneius, Vatablus, Salmeron, Baronius, Fromondus, Bartholomæus Petri &c. Zegerus scribit: *Hîc rectiùs est, quod habetur in Græcis: Venimus Myram: nam ita legit Chrysostomus, & Hieronymus dum libro de Nominibus Hebraïcis interpretatur Amara: apud eundem tamen libro de locis Hebraïcis scribitur Smyrna, quomodò & Beda scribit, sed utrumque idem est teste Calepino.*

CAPUT XXVIII.

℣. 1. *Cognovimus quia Melita insula vocabatur.* Ita rectè substitutum est ex Græco & Syro, pro eo, quod aliqui Vulgatæ libri habebant *Milete*, Alii communiter *Mitylene*. Hæc enim in Ægæo mari est non procul ab antiquâ Troia in insula *Lesbo*; at illa propè quam Paulus naufragium passus est, non procul distabat à Sicilia, ùt ex sequen-

sequentibus in textu constat.

℣. 11. *Cui erat insigne Castorum.* Aliqui Latini libri habent mendosè: *Castrorum*, de quo V. Beda: *Credo primitùs insigne Castorum esse positum, sed vitio librariorum litteram adjectam... in Græco enim Διοσκούροις scriptum est: Διόσκουροι autem gemini Castores, id est Castor & Pollux Græcè vocantur*; nam *Jovis filii* putabantur, quod significat græcum *Dioscouri.*

AD ROMANOS.

CAPUT I.

VErs. 3. *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Pronomen *Ei* neque in græco est, neque in Syro, abest etiam ab aliquibus antiquis Vulgatæ codicibus, *Ac sententiæ videtur etiam obstare*, inquit Estius, nempè quia agitur de natura humana Christi, secundùm quam non videtur genitus Patri Deo, sed matri homini; non Deo, sed nobis. Isa. IX. 6. *Filius natus est nobis.*

Nihilominùs contra Estium censeo istud *Ei* meritò esse retentum in Vulgata; eo enim adjuncto legunt Ambrosius lib. de Incarn. Dom. Myst. c. 6. Augustinus Expos. inchoat. Epist. ad Rom. & varii alii, signanter Doctor Angelicus, qui specialiter hanc particulam urget: *Qui factus est ei. Excludit*, inquit, *dictum Sabellii; non enim potest esse Filius factus* PATRI, *si sit eadem persona cum ipso.* Puto igitur primitùs etiam in græco fuisse *αὐτῷ Ei*, sed jam dudum excidisse.

Nec verum est sensui officere. Nam Jesus Christus Homo-Deus, verus est Filius Dei, unde Gabriël ad Mariam Luc. I. 32. *Filius Altissimi vocabitur.* 35. *Vocabitur Filius Dei.* Est autem Scripturæ usitatissimum, ut patribus nasci filios dicat. Luc. I. 13. *Uxor tua Elisabeth pariet* TIBI *filium.* Sic & Onan sciebat Gen. XXXVIII. 9. *Non nasci* SIBI *filios*, si quem genuisset primogenitum, sed defuncto fratri *Her.*

Imò de Jesu in Bethlehem nasciturо loquitur Deus Pater Mich. V. 2. *Ex te* MIHI *egredietur*, etiam in hebræo לי *Li. Mihi*, ad quem locum fortè respexit Paulus. Sicut ergo Christus secundum carnem ex Bethlehem Deo *egressus est*, sic etiam *factus* EI tum ùt *Patri*, tum ùt *Deo*, ad ejus gloriam, qui simul nobis ad salutem.

℣. 32. *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Hæc est constans lectio Latinorum codicum paucissimis exceptis. Ita etiam legunt Cyprianus lib. 1. Epist. 4. Hesychius in Levit. xx. Auctor Comment. inter opera Hieronymi, Primasius, Sedulius, Haymo, Anselmus, Ambrosius de bono mortis cap. 7. Augustinus in Psal. 57. Qui tamen in libro Exposit. quarumdam proposit. Epist. ad Rom. legit: *Non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus*, quæ constans est lectio librorum Græcorum atque Syrorum, Græcorumque Interpretum Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Theophy-

 lacti,

lacti, OEcumenii. Græci etiam codices passim omittunt illa: *Non intellexerunt*, non tamen omnes omninò.

CAPUT VI.

℣. 6. *Ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* Notat hîc Estius: *Legendum*: UT *ultra non serviamus peccato; in hanc enim lectionem omnes ferè nostri Codices, & Commentatores conspirant, eademque est apud Augustinum, nec Græca diversam admittunt*; habent enim sine copula media: ἵνα καταργηθῇ... τοῦ μηκέτι δουλεύειν. *Ut destruatur... ad non ultra serviendum.* Igitur *Et* in Vulgata videtur superfluere, ibidemque saltem subintelligi debet *Ut*, hoc modo: *Et ut destruatur* &c. Crediderim ego per inadvertentiam ex *Ut* factum esse *Et*. Monet equidem Brugensis: *Non est mutandum* ET *copulativum, in* UT *causale.*

CAPUT VIII.

℣. 37. *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Ita constanter habent libri Vulgatæ hoc tempore, & ab aliquot sæculis; unde videtur Interpres Vulgatæ in græco legisse Διὰ τὸν ἀγαπήσαντα ἡμᾶς, qualiter esse in quibusdam exemplaribus græcis, notatur in Novo Testamento græco edito Amstelodami anno 1685. Vel sensit Interpres διὰ præpositum Genitivo etiam posse verti *Propter*, præsertim cùm vox *Propter* hoc loco ita ùt *Per* accipi possit, imò forsitan debeat, ut *Propter eum* sit idem, ac *Propter*, seu *Per ejus auxilium*, ùt benè explicat S. Thomas.

Aliàs in Syro, & Græco passim est *Per eum.* Διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. Sic etiam legunt Basilius lib. 8. de Spiritu S. Augustin. lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 20. & libr. 22. Civit. Dei cap. 23. S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 5. aliàs 15.

Græca præpositio διὰ si jungatur Genitivo, ùt hoc loco jungitur, propriè significat *Per*, non *Propter*; sed quando ista præpositio præcedit casum Accusativum tum valet *Propter*, ùt patet ex hoc ipso Capite ℣. 20. & 25.

CAPUT XII.

℣. 11. *Domino servientes.* Ita legunt passim Latini libri & Auctores, etiam antiquiores, excepto solo Ambrosiastro, qui etsi pro *Domino* legat *Tempori*, fatetur equidem in græco esse Κυρίῳ *Domino*, qualiter legunt Scholia græca, Chrysostomus, Theodoretus, OEcumenius, Theophylactus. Origenes utriusque lectionis meminit. Syriacus textus etiam habet *Domino*, quam lectionem ex professò defendit S. Hieronymus Epist. 102. ad Marcellam, vocans *Bipedes asellos* adversarios suos, de quibus subdit: *Illi legant: Tempori servientes, nos legamus: Domino servientes.*

Quidam tamen Vulgatæ libri habent: *Tempori*, sed illi ex mendosis græcis hunc errorem receperunt, cujus in Latino non fuit tanta occasio, quanta in græco; non enim est pronum ut per inadvertentiam, aut ignorantiam scribatur *Domino* pro *Tempori*, cùm nulla sit affinitas utriusque Latinè vocis,

vocis, sed levi oscitantiâ pro græca voce Κυρίῳ *Domino*, potuit exscribi vox similis Καίρῳ *Tempori*. Imò cùm soleret scribi abbreviatè ΚΩ, prout etiamnum in quibusdam antiquis manuscriptis reperitur, Aliqui hanc abbreviaturam omissas intermedias litteras supplentes, benè legerunt ΚΥΡΙΩΙ *Domino*, Alii malè ΚΑΙΡΩΙ *Tempori*.

℣. 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Ita per Infinitiva legendum est juxta communem Latinorum, & unanimem Græcorum codicum consensum χαίρειν, κλαίειν, non per Imperativa *Gaudete*, *flete*, quomodò legunt varii Vulgatæ libri, signanter Sixti V. Interim sensus idem est utriusque lectionis.

CAPUT XIII.

℣. 1. *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*. Ita congruentiùs interpungitur & legitur, quàm in neutro, sic interpungendo: *Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*; quamvis ita in neutro multi Vulgatæ libri habeant, ac præ ceteris Biblia Sixti V. anni 1590.

Sed prior lectio manifestè stabilitur ex Græco & Syro, in quibus passim est Αἱ δὲ ὖσαι ἐξȣσίαι, ὑπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ τεταγμέναι εἰσιν. *At existentes* (seu *Quæ autem existunt*, sive *sunt*) *potestates, à Deo ordinata sunt*.

CAPUT XVI.

℣. 23. *Salutat vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia*. Hæc lectio, quia antiqua est, & probabilis; fuit retenta in Bibliis tum Sixti V. tum Clementis VIII. magìs tamen genuinam arbitror eam, quæ in Genitivo habet: *Universæ Ecclesiæ*, ut sit laus & commendatio Caii, quòd liberalis esset fidelium hospes, quam laudem ei pariter tribuit S. Joannes in Epistola ad illum, si tamen idem *Cajus* sit.

Ita in Genitivo legunt varii Vulgatæ codices, omnesque græci Καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης. *Et Ecclesiæ totius*. Ita etiam textus Syrus, & Arabicus, Ambrosiaster, & Primasius.

Confirmat hanc lectionem, quòd nunc, seu hoc loco non erat opus adscribere salutationem ab una Ecclesia, cùm parùm antea dixerat, nempè ℣. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*. Insuper magìs proclive fuit pro *Universæ Ecclesiæ*, per mendum exscribi *Universa Ecclesia*, quàm ut pro ἡ ἐκκλησία ὅλη, scriberetur τῆς ἐκκλησίας ὅλης.

I. AD CORINTHIOS.

CAPUT I. VI.

CAp. I. 10. *Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Latini libri quamplures, prout & Biblia Sixti V. habent *Scientia*, quibus suffragantur pauci græci, in quibus est γνώσει. Sed passim in græcis est γνώμῃ *Sententia*, qualiter etiam est in Syris, variisque Latinis; atque ita legunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, aliique Græci. Inter Latinos autem Augustinus, Cyprianus, Damasus, Carolus M. &c.

Cap. VI. 11. *Et hæc quidam fuistis*. Ita om-

omninò legendum esse constat tum ex antiquis Doctoribus, tum ex græco textu constanter legente τινὲς ἦτε. *Quidam eratis*; nempè non *omnes*, sed *quidam*. Ita etiam textus Syriacus. Mendosum proinde est, quod ex affinitate vocis irrepsit in omnes penè incorrectos Vulgatæ libros, atque in ipsa Biblia Sixti V. *Quidem* Adverbium, pro *Quidam* Pronomine.

CAPUT X.

℣. 13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Ita quidem communiùs legitur in Vulgata, legitque Ambrosiaster, ac Primasius in Comment. Item Augustinus lib. 2. de Serm. Dom. cap. 9. & Auctor q. q. Vet. & Nov. Testam. q. 99. Verùm reprehendit, & corrigit eam lectionem Sedulius, ita scribens: *Quod Apostoli testimonium non intelligentes, quidam posuerunt pro Indicativo Optativum modum.* Hæc eadem ipsa verba habet Cassianus lib. 5. cap. 16.

Sciendum igitur in græco non esse Imperativo modo ἐιληφέτω. *Capiat*, *Apprehendat*, sed Indicativo ἔιληφε. *Cepit*, *Apprehendit*, qualiter etiam est in Syro, legitque Chrysostomus, & ceteri græci. Item S. Cyprianus lib. 3. Testim. cap. 91. *Tentatio vos non occupavit nisi humana.* Etiam *Apprehendit* est in Bibliis Complutensibus & Regiis, atque in variis aliis Vulgatæ libris.

CAPUT XI. XIII.

Cap. XI. 10. *Debet mulier potestatem habere supra caput.* Puta *Velamen*, quod est signum potestatis, & Dominii viri in mulierem. Pauci Latini, cum Bibliis Sixti V. legunt: *Velamen*; sed germana lectio est *Potestatem*, ita enim plerique Vulgatæ libri, ita & græci omnes ἐξουσίαν. Ita Syri, omnesque Commentatores prisci & recentiores, variisque locis Tertullianus Latinorum senior.

Cap. XIII. 3. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam.* Istud *Ita* non juvat sensum, sed omninò redundat, potiùsque officit; unde potuisset à Correctoribus omitti, cùm non solùm desit in multis Vulgatæ libris, sed etiam in Græcis ac Syris, illudque omittunt Ambrosiaster, Primasius, Augustinus, Cyprianus, Prosper, & Græci omnes.

Pro *Ut ardeam* hoc est: ut comburatur corpus meum, olim aliqui legerunt: *Ut glorier*, quam lectionem præfert S. Hieronymus in Comment. super Gal. V. Sed in hoc deseritur ab omnibus, & meritò, cùm reliqui universi legant *Ardeam*, atque ita habeant Græca, Syra, Latina. Istud *Glorier* in paucis Latinis irrepserat ex mendo Græco, quo litterâ unâ mutatâ pro ἵνα καυθήσωμαι, *Ut ardeam*, incurius Amanuensis exscripserat ἵνα καυχήσωμαι, *Ut glorier*. Videatur hoc loco Estius.

CAPUT XV.

℣. 31. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres.* Ita meliùs legitur, quàm *Propter*, ùt est in multis Vulgatæ Bibliis, signanter in Sixti V. *Propter vestram gloriam*; nam *Per* habent plerique libri, & Auctores; nec genuinè significat *Propter*, id, quod communis-

munissimè reperitur in græco, nempè νὴ, quæ est affirmantis, & quasi jurantis particula; unde etiam Apostolum hîc jurasse docet Augustinus tum libro de Serm. Domini, tum libr. de verb. Apost. cap. 28. quod & liquere asserit ex verbo græco. Imò Epist. 89. ex hoc loco probat jurare esse licitum. Itaque sic illud *Per* est intelligendum: unde textus Syriacus: *Juro ego per gloriam vestram.* Est autem hîc *Gloria*, idem quod *Gloriatio*, ùt patet ex græco καύχησις.

II. AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

Vers. 11. *Ut ex multorum personis.* Ita meritò restitutum est in Bibliis Clementis VIII. cùm priùs in omnibus penè Vulgatæ libris, etiam Lovaniensium, & Sixti V. haberetur: *Ex multarum personis facierum.* Sed græca tantùm habent: ἐκ πολλῶν προσώπων, quæ verba possunt transferri &: *Ex multorum personis*, &: *Ex multis personis*, vel *Ex multis faciebus*, nam πρόσωπον & *faciem* significat, & *Personam*, indèque videtur ab incautis Amanuensibus utrumque verbum consequenter positum in Vulgatæ plerisque libris paulò antiquioribus.

CAPUT VII.

ỷ. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritûs perficientes sanctificationem in timore Dei.* Ita quidem habent, seu interpungunt Biblia Vaticana Sixti V. 1590. item Clem. VIII. 1592. 1593. 1598. Prout & prima post Clementinam correctionem Editio Plantiniana, nempè anni 1603. item Parisiensis 1618.

Si ita distinguas illud *Spiritûs* regitur à participio *Perficientes*, ut sensus sit: *Perficientes sanctificationem spiritûs*, quomodò construit Ambrosiaster.

Nihilominùs (quo auctore, vel quâ authoritate nescio) Biblia Plantiniana secunda, nimirùm anni 1605. ac deinceps sequentia universa, imò Romana à privato Typographo impressa anno 1624. aliaque alibi edita, hoc modo distingunt: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Sic etiam legunt codices antiqui tam impressi, quàm manuscripti cuncti, quos videre potui, nisi quòd quidam omni prorsùs interpunctione careant.

Porrò hæc postrema interpunctio videtur exactior, cùm si primam intendisset Paulus, congruè scripsisset: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus* PERFICIAMUS *sanctificationem.* Vel certè illo *Et* omisso: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, spiritûs perficientes sanctificationem.* Atque adeò tum illud *Et*, tum participium *Perficientes* (quod utrumque etiam est in græco) multum suffragantur secundæ lectioni, prout expendenti verba Apostoli manifestè apparebit.

His tamen non obstantibus potest satìs commodè etiam aptari primæ lectioni, si dicamus Paulum in decursu sermonis mutasse verborum tempora, seu casus, quod ipsi non est inconsuetum.

tum. Itaque dico cum S. Augustino lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 2. *Ubi neque præscripto fidei, neque ipsius sermonis textu ambiguitas explicari potest, nihil obest secundùm quamlibet earum, quæ ostenduntur sententiam distinguere, veluti est illa ad Corinthios: Mundemus nos ab omni coinquinatione* (sic ipse legit) *carnis & spiritûs perficientes sanctificationem in timore Domini. Dubium quippè est, utrum: Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritûs, secundùm illam sententiam: Ut sit sancta corpore & spiritu; an: Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, ut alius sit sensus: Et spiritûs perficientes sanctificationem.*

CAPUT IX.

℣. 5. *Ut præveniant ad vos.* Ita legunt antiquiores Scriptores, & textus omnes alii, conformiter græco ἵνα προέλθωσιν. *Ut praeant.* Quapropter meritò in Bibliis tum Sixti V. tum Clementis VIII. repositum est. *Præveniant*, pro *Perveniant*, quod mendum omnes propemodùm codices Latinos invaserat.

AD GALATAS

CAPUT II.

VErs. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectione.* Ita pariter est in græco οὐδὲ, *Neque*, prout & in Syro, ac Arabico, lectumque fuit ab Augustino, & Latinis omnibus post Hieronymum, qui & ita legendum esse monuit, & unà asserit, ante sua tempora Latinos plerosque legisse sine negatione: *Quibus ad horam cessimus*; quomodò etiam legit Irenæus Græcus, & varii alii. Biblia Sixti V. legunt: *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni.* Hæc fuit ante Biblia Clem. VIII. communior lectio, sensu conveniens cum moderna. Græcus textus utramque lectionem admittit τῇ ὑποταγῇ, quod quidem est in Dativo, sed græci Dativo utuntur pro Ablativo, quo carent; sicut communiter loquuntur Grammatici; ut autem veriùs loquamur: In græco eadem inflexionis forma est pro Dativo, & Ablativo: hìc porrò græcum τῇ ὑποταγῇ *Te hypotage* congruentiùs transfertur per Ablativum: *Subjectione.*

CAPUT III.

℣. 1. *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est.* Ante correctionem Clementinam cuncti propemodùm Vulgatæ codices habebant *Proscriptus*, quasi *Condemnatus*, prout explicant varii antiqui Auctores, eodem modo legentes. Imò etiam in Bibliis Sixti V. habetur *Proscriptus*; sed vera lectio est *Præscriptus*, quod sonat græcum προεγράφη; hoc tamen indifferenter significat *Præscriptus*, & *Præpictus*, ùt habent textus Syriacus, & Arabicus. Vide quæ diximus libro præcedenti fol. 113.

CAPUT IV.

℣. 7. *Itaque jam non est servus, sed filius.* Aliqui Latini libri pro *Est* habent in secunda persona *Es*, quæ lectio mihi atque Estio videtur probabilior, tum quia conformis est Syro, & Græco ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος. *Itaque non amplius es servus.* Tum quòd Galatas alloquatur

tur

tur Paulus, ùt patet ex præcedentibus, & sequentibus verbis: propter emphasim verò mutat numerum pluralem in singularem, q. d. Tu quisquis es, qui per Spiritum Filii Dei clamas ad Deum: *Abba, Pater*, jam ampliùs non es servus ab heteditate alienus; sed ipsius Spiritûs S. testimonio, Filius es.

AD EPHESIOS.

CAPUT III. IV. V.

CAp. III. 8. *Investigabiles divitias Christi.* S. Hieronymus legit *Ininvestigabiles.* Hanc puto esse genuinam lectionem tum hîc, tum Rom. xi. 33. Saltem ita privativè intelligendum esse, q. d. *Inscrutabiles*, constat ex græco ἀνεξιχνίαστον *Impervestigabilem.* Huic consonat textus Syriacus. Ambrosiaster habet *Incomprehensibiles.* Vide dicta libro præcedenti fol. 113.

Cap. IV. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis.* Videtur Apostolus designare diem beatæ mortis, aut potiùs resurrectionis, ultimique judicii, ideóque legendum in Accusativo *in diem*, qualiter est in multis antiquis Latinis, in Syro, & græco εἰς ἡμέραν. Equidem varii codices Latini cum Bibliis Sixti V. legunt *in die*, qui secundùm hanc lectionem intelligendus est dies Baptismi, quò die redempti sumus à servitute peccati & diaboli. Etiam græcum εἰς ἡμέραν, verti potest *in die.*

Cap. V. 27. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.* Hæc lectio congrua est, & plana, atque communis tum recentiorum codicum, tum antiquorum, unde meritò restituta est in Bibliis Vaticanis 1593. 1598. ac deinde in posterioribus typis conservata. Etiam est conformis græco, in quo non est εἰς *In.*

Nihilominùs Biblia Sixti V. 1590. & prima Clement. VIII. seu anni 1592. habent: *Ut exhiberet ipse sibi in gloriosam Ecclesiam.* Sed Index correctorius pro Bibliis anni 1592. monet in illis istud *in* esse delendum.

AD PHILIPPENSES.

CAPUT III.

VErs. 3. *Qui spiritu servimus Deo.* Sic modò habetur in Vulgatæ libris omnibus, in codicibus autem græcis antiquioribus passim legitur non Θεῷ *Deo*, sed Θεοῦ *Dei*, hoc modo οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες, quæ verba non possunt aliter verti, quàm *Spiritui Dei Latriam exhibentes*, seu: *Qui Spiritui Dei servimus*, tali servitute, quæ sit *Latria* λατρεία. Ita, nempè *Spiritui Dei*, legendum esse contendit S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 6. asserens Latinos codices partim variare, partim esse falsatos, illos nimirum qui habent: *Spiritu Deo.*

Eodem modo variis locis legit S. Augustinus, probans itidem ex hac Scriptura Spiritum Sanctum esse Deum. Ita scribit lib. 1. de Trin. cap. 6. *Non est utique creatura Spiritus Sanctus, cui ab omnibus sanctis talis servitus* (λατρεία, non δουλεία) *exhibetur, dicente Apostolo:* Nos sumus circumcisio, Spiritui

Dei servientes, *quod est in græco* λατρεύοντες. *Plures enim codices, etiam Latini sic habent*: Qui Spiritui Dei servimus, *Græci autem omnes, aut penè omnes. In nonnullis autem exemplaribus Latinis invenimus, non*: Spiritui Dei servimus, sed: Spiritu Deo servimus. Idem Serm. 169. *Quantùm inspicere potuimus, plures Græci habent*: Qui Spiritui Dei servimus. Item Serm. 15. de Verbis Apost. cap. 3. simpliciter legit: *Qui Spiritui Dei servimus.*

Equidem, ùt ex relatis Augustini verbis constat, ipsis Augustini temporibus quidam græci codices habebant: οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, quæ verba possunt indifferenter verti: *Qui Spiritui Deo servimus*, seu *Latriam exhibemus*, &: *Qui Spiritu Deo servimus*, quomodò Augustino fatente, *nonnulla exemplaria latina* suo tempore habebant, his verò temporibus pleraque tam latina, quàm græca.

Sic etiam passim antiquiores Commentatores Græci legunt, & exponunt, signanter Chrysostomus, nempè quòd Christianorum *Servitus Dei*, seu *Latria Deo exhibita* à Christianis, fiat in *Spiritu*, hoc est sit *Spiritualis*, & hîc ab Apostolo opponatur externæ, seu *carnali* Judæorum *Latria*; utpote quæ tota in externis cæremoniis, carnali circumcisione, carnalibusque sacrificiis peragebatur. Hunc sensum, atque adeò Vulgatæ modernæ lectionem, circumstantiæ textûs verosimiliorem reddunt.

AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

Vers. 12. *Deo Patri.* Monet quidem Brugensis: *Non est interjicienda Conjunctio* Et *inter* Deo, & Patri. Sed ego noto plerosque antiquos Vulgatæ libros, atque etiam Biblia Sixti V. illam interjicere, conformiter pluribus græcis τῷ Θεῷ, καὶ πατρὶ. Græca autem quæ non addunt Conjunctionem, etiam omittunt *Deo*, leguntque simpliciter τῷ πατρὶ *Patri.*

℣. 14. *Redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Illa ipsa totidem præcisè verbis habentur in omnibus Latinis, & Græcis Ephes. I. 7. hoc autem loco à variis tam græcis, quàm latinis absunt ista: *Per sanguinem ejus*, quæ hîc videntur apposita ex Ephes. I. 7. Quòd verò Editio Sixti V. loco illorum: *Per sanguinem*, habeat simplicem copulam: *Redemptionem, & remissionem*, nullis, quos scio Græcis consonat, sed Syro, & Latinis aliquibus.

CAPUT II.

℣. 14. *Delens quod adversus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* Quidam Latini libri habent in plurali *Decretis*, prout etiam Syri, & Græci τοῖς δόγμασιν. *Per decreta*, seu *In decretis*, qualiter est in Ambrosiastro, & Augustino Epist. 59. q. 7.

Sed Græca, Syra, aliaque intelligenda sunt eodem sensu, quo Latina, sive hoc, sive illo modo legatur; ponitur enim per Hebraïsmum Dativus pro

pro Genitivo, nempè Christum passione suâ delevisse obligationem, quâ, tamquam Chirographo eramus obstricti ad æternam damnationem ex transgressione Adæ, & Decreti, seu Decretorum Dei, Gen. II. 17. *In quocumque die comederis ex eo* &c. Si enim per hæc Decreta cum aliquibus intelligas præcepta Evangelica, & per Chirographum legem Moysi, oratio Apostoli erit hiulca, & incisa; nam vox *Decretis* interjicitur, & divellit *Chirographum* à suo sequenti Epitheto: *Quod erat contrarium nobis.*

I. AD THESSALON.

CAPUT II.

VErs. 16. *Pervenit ira Dei super illos usque in finem.* Vulgatæ plures, & antiquiores codices, signanter Lovaniensium legunt *Prævenit*, qualiter legisse constat Ambrosium, Anselmum, Haymonem, aliosque. Hoc etiam magis propriè significat græcum ἔφθασε, à φθάνω *Prævenio*, *Anteverto*, *Præoccupo* (quamvis etiam patiatur transferri *Pervenit*) idemque verbum græcum vertitur infra Cap. IV. 14. *Non præveniemus eos, qui dormierunt.*

I. AD TIMOTHEUM.

CAPUT III.

VErs. 2. *Prudentem, ornatum, pudicum.* In plerisque Vulgatæ libris, & tractatoribus duo tantùm pro his tribus ponuntur, quod est conforme textibus Græco, & Syro; videturque tertium, nempè *Pudicum* additum in moderna Vulgata ex alia versione vocis Σώφρονα, quæ & *Prudentem* significat, & *Pudicum*, à verbo Σωφρονέω *Sum pudicus*, *Sum mente sanâ præditus.* Hinc meritò utrumque retentum fuit.

CAPUT VI.

℣. 8. *His contenti sumus.* Ita in præsenti *Sumus* habent Biblia *Moguntina* 1472. *Nurimbergica* 1478. *Coloniensia* 1479. Omnia quoque *Hentenii*, ac *Lovaniensium*. Item *Vaticana* 1592. & 1598. *Romana* 1624. Denique *Plantiniana* universa, & cuncta penè *Recentiora* alibi edita.

Quòd ita habeant Plantiniana, & alia recentiora, evenisse reor per hoc quòd Lucas Brugensis tali modo hunc locum afferat, acsi in Bibliis Vaticanis 1593. haberetur *Sumus*, quod tamen non est ita. Sic Brugensis: *His contenti sumus. Præsens Indicativum* SUMUS, *mutatur ab aliis in Præsens Imperativi* SIMUS.

Certè non ab aliis tantùm, sed ab ipsomet Codice, quo Lucas Brugensis usus est; ille siquidem habet *Simus*, prout & Editio Sixti V. 1590. Item varia *Manuscripta*, & plurima impressa, signanter *Basiliensia* 1491. 1509. 1514. *Veneta* 1494. *Nurimbergica* 1522. *Parisiensia* 1534. 1541. 1553. *Lugdunensia* 1512. 1556. item famosissima *Complutensia*, & ex recentioribus *Coloniensia* 1666. 1679. ac *Lugdunensia* in 4. anni 1680.

Hæc lectio magìs quadrat contextui; Apostolus enim ibi totus est, ut dissuadeat avaritiam; unde inter alia monet: *Ha-*

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Suadet eandem græcus textus, in quo est ἀρκεσθησόμεθα. *Contenti erimus*, seu *Contentabimur*; ubi, ùt ex circumstantiis patet, per phrasim in Scriptura frequentissimam, ponitur Futurum pro Imperativo, sicuti Exod. XX. 13. *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, pro *Ne occidas* &c. Matth. IV. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, pro *Adorato, Servito.*

Imò forsitan non scripsit Apostolus græcè per ο, sed per ω, ita ἀρκεσθησώμεθα. *Contenti fuerimus*, hoc est *Simus*, qualiter etiamnum esse in aliquibus græcis, notatur ad marginem in novo Testamento græco impresso Amstelodami anno 1685.

AD TIMOTHEUM II.

CAPUT II.

VErs. 22. *Sectare verò justitiam, fidem, spem, charitatem, pacem.* Addunt *Spem* omnes ferè Vulgatæ libri ab invento prælo usque ad annum 1600. impressi, signanter Moguntini 1472. Nurimberg. 1478. 1522. Basiliens. 1491. 1514. Colon. 1479. Lugdun. 1513. 1515. Parisienses 1534. 1541. 1553. item Biblia Parisiensia Joannis Benedicti. Imò etiam Complutensia per nostrum Ximenium edita.

Varii quoque Scripturæ Interpretes, qui scripserunt ab anno 1500. ad 1600. *Spem* addunt, ùt Titelmannus, Catharinus, Salmeron. Etiam *Spem* additam habent in textu Scripturæ pleraque opera Patrum Latinorum impressa ab anno 1470. ad 1600. Denique, quod præcipuum est, *Fidem, spem, charitatem* habent omnia Biblia Vaticana tum Sixti V. 1590. tum Clementis VIII. 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. Nec ullus ex Indicibus correctoriis notat removendam *Spem*.

His tamen non obstantibus omissa est vox *Spem* in primis Bibliis Plantinianis post correctionem Clementinam editis, anno 1603. prout & in ceteris omnibus subsecutis Plantinianis Editionibus. Neque in ullis deinceps per Orbem Catholicum extra Romam factis impressionibus *Spem* reperi.

Hoc factum puto propter Lucam Brugensem, qui in suo vulgatissimo libro vocato: *Romanæ correctionis loca insigniora* &c. impresso, atque apposito ad calcem in istis primis Bibliis Plantinianis 1603. hoc modo refert, & notat: *Fidem, charitatem, & pacem. Non interponas Spem, inter fidem & charitatem.* Quasi verò vocem *Spem* omitteret Romanum exemplar anni 1593. quod ipse solum novit, & quo solo usus est, ùt ostendam libro 3. cap. 7. puncto 4.

Sed in quo Codice (aut Indice correctorio) ipse legerit non interposito *Spem*, ego quidem ignoro, aut potiùs scio, in nullo legisse, quia in nullo habetur, præsertim in isto anni 1593. Interim tamen propter hanc ipsius Notam & Joannes Moretus primus, & deinceps omnes Typographi, putarunt in Romanis Clementis VIII. Codicibus deesse *Spem*, & consequenter vocem istam in prælo esse omittendã.

Si tamen authoritas Ecclesiæ, aut Summi Pontificis consensus accedat, rectè *Spem* omittent Typographi; existimo enim vocem illam non esse hoc loco de textu Scripturæ, & ex primis impressis Moguntiæ 1472. in reliquos typos irrepsisse. Sanè *Spem* omittunt Biblia Veneta 1494. & Lugdun. 1512. neque in ullo codice manuscripto ea vox reperitur. Deserta est ab Hentenio & Lovaniensibus, abest etiam ab omnibus græcis Scripturæ libris, & Patribus. Nec ullus est Latinus vel paulò vetustior, qui *Spem* legat, adeò ut omittatur etiam ab omnibus mediæ ætatis Scriptoribus *V. Beda*, *Haymone*, *Rhabano*, &c.

S. Bruno, *Hugo de S. Victore*, *Hugo Cardinalis*, *Dionysius Carthusianus*, *Gorram*, *Lyranus* ita *Spem* omittunt, ut præterea ex ipsorum Commentariis clarè pateat, illos vocem istam in suis Bibliis non legisse.

Idem de S. Thoma manifestè constat ex ipsius Commentariis in Epistolas Pauli impressis Basilææ anno 1495. Licet in posterioribus Editionibus, ùt Parisiensi 1538. & Veneta 1595. sint intrusa illa verba: *Tertium est spes*, apparenter, quia in textu Epistolæ, pro more istius sæculi *Spem* interposuerant illi, qui opera revidebant, aut prælo intendebant.

AD TITUM.

CAp. I. 12. *Ventres pigri.* Sic esse legendum ostendam lib. III. cap. 2. in Reflex. ad Edit. Sixti V. qui habet *Ventris pigri*, prout & Clem. VIII. 1592.

AD HEBRÆOS.

CAPUT V.

VErs. 11. *Grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum.* Hæc est vera hujus loci lectio, conformis tum Syro, tum Græco δυσερμήνευτος. *Interpretatu difficilis.* Unde hæc jure meritò est restituta, pro eo, quod passim antea, etiam in Bibliis Sixti V. legebatur: *Interpretabilis.*

CAPUT VII.

℣. 25. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.* Ita etiam in plurali habet textus Syriacus מתקרבין *Methkarbin. Appropinquantes*, quod etiam significat græcum τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ. Ita pariter omnes Græci Commentatores, excepto fortè Hesychio lib. 2. in Leviticum, qui, ùt Zegerus refert, habet in singulari *Accedens*, quod etiam est in multis Vulgatæ libris, signanter Sixti V. Pro hac lectione facit illud *Per semetipsum*; est enim congrua locutio si dicas: *Accedens per semetipsum*, non verò hæc: *Accedentes per semetipsum.*

Sed cum Estio, omninò præfero modernam nostram lectionem, neque enim facilis est lapsus in græco, præsertim in articulo τοὺς. Ista quoque lectio sensum facit multò augustiorem. Potest etiam satis congruè dici *Per semetipsum*, si hunc formes sensum: Christus *salvare in perpetuum potest per semetipsum hos*, *qui accedunt ad Deum* per fidem &c. Deinde istud αὐτοῦ tam be-

nè potest transferri *Ipsum*, quam *Semetipsum*; ut hic sit sensus: *Salvare in perpetuum potest, per ipsum accedentes ad Deum.*

Franciscus Lucas in notis ait: Existimarim *Accedentes* in *Accedens* mutatum fuisse in quibusdam codicibus propter tò *Semetipsum*; sed non est Interpres Vulgatæ anxius observator pronominis reciproci, & non reciproci. Opinor tamen non incongruè hîc reciproci pronominis *Se* usum esse posse, verùm ad vitandam amphibologiam videtur Interpres posuisse *Per semetipsum*, ne si dixisset *Per se*, videretur referri ad *Accedentes*, quasi dicerentur hi *Per se* ipsos *accedere*, qui per Christum accessum habent ad Patrem, seu Deum. Ita quoad substantiam Brugensis, sed verba ipsius mutavi, & ampliavi, ut essent clariora legentibus, nam mihi admodùm involuta, atque obscura videbantur.

CAPUT X. XI.

Cap. X. 6. & 8. *Holocautomata pro peccato.* Ita etiam sine interpunctione, aut copulâ intermediâ habent Biblia Sixti V. nisi quod utroque versu legant: *Holocaustomata.* At Biblia Hentenii & Lovaniensium omnia, aliaque permulta legunt: *Holocautomata, & pro peccato*, quomodò est expresse in græco: Θυσίαν καὶ προσφορὰν, καὶ ὁλοκαυτώματα, καὶ περὶ ἁμαρτίας. *Hostiam, & oblationem, & holocautomata, & pro peccato.* Sunt enim totidem diversæ oblationes, atque sacrificia; unde valdè miror, non ita sicut habent græca, & multa Latina, fuisse positum in Bibliis correctionis Romanæ sub Clem. VIII. in quibus, si non copula *Et*, saltem interpunctio, seu comma ante *Pro*, minùs rectè deest utroque versu. Vide dicta libro præcedenti fol. 120.

Cap. XI. 34. *Effugerunt aciem gladii.* Ita prudenter correctum est, cùm plerique Vulgatæ libri haberent: *Effugaverunt*, quod etiam est in Editione Sixti V. 1590. Sed tam antiquiora manuscripta Latina, quàm græci libri omnes habent ἔφυγον *Effugerunt*, hoc est evaserunt hostiles gladios. *Fugatur* hostis; at acies gladii non *Fugatur*, sed *Fugitur*. Sic Elias effugit gladium Jezabelis, David Saulis, Moyses Pharaonis. Hanc lectionem etiam comprobat textus Syriacus: *Liberati sunt ab ore gladii.*

CAPUT XII.

℣. 2. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* In græco est ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς. *Qui pro proposito sibi gaudio* &c. quomodò etiam habetur in Bibliis Regiis, atque ita vertisse Interpretem Vulgatæ planè crediderim cum Estio, Ribera, Aliisque; nempè ut alterum *Pro* per inadvertentiam Amanuensium effluxerit, quod in concursu syllabarum similium facilè contingit. Vitabis incommodum, si verba transponas hoc modo: *Qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem.*

Optassem ego quòd translatum fuisset ita: *Qui loco gaudii sibi propositi*, tunc enim & nulla fuisset occasio mendi, & unà fuisset sublata æquivocatio, quæ hîc multis ingessit sensum alienum.

num. Vide dicta libro præc. fol. 120.

℣. 9. *Non multò magis obtemperabimus?* Antequam Biblia correcta fuerunt sub Sixto V. & Clem. VIII. Vulgatæ libri propemodùm universi habebant *Num*; sed hoc judiciosè mutatum est in *Non*, qualiter etiam legit S. Thomas, & ex consequentia sermonis ita legendum esse constat: etenim juxta Grammaticos vox *Num* negantem exigit responsionem, *Non* verò, si interrogativè sumatur, affirmantem, q. d. *Nonne?* Hoc autem loco indubiè exigitur responsio affirmativa.

℣. 18. *Accensibilem ignem.* Græcè Κεκαυμένῳ *Accensum*, quomodò etiam Syrus textus. Meritò proinde in Bibliis Clem. VIII. correctum est mendum, quo ex affinitate vocabuli irrepserat, etiam in Bibliis Sixti V. *Accessibilem.*

CAPUT XIII.

℣. 2. *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Jacobus Faber, & Ambrosius Catharinus opinantur hunc esse sensum: Merito hospitalitatis conservati sunt *occultati, & non visi* Lot ejusque familia Gen. XIX. Sed non videntur hi assecuti mentem Pauli, hic enim sensus (inquit Estius) nequaquam exprimit proprietatem græci sermonis, quemadmodùm Ribera doctè ostendit.

Est ergo iste sensus: Ipsosmet, qui receperunt latuit, seu: *Nescientes, hospitio receperunt Angelos*, quomodò legit S. Augustinus lib. 2. de Trin. c. 2. lib. 3. contra Maximin. c. 26. lib. 16. Civit. c. 29. item Quæst. 33. 34 41. in Gen. Ita quoque aliqui antiqui libri Vulgatæ habent, atque etiam textus Syriacus: *Digni habiti sunt quidam, ut cùm non sentirent, exciperent Angelos.* Nempè Abraham Gen. XVIII. 3. Lot. Gen. XIX. 2. Manue Judic. XIII. 15. Tobias.

Sic pariter omnes Græci Tractatores, signanter Chrysostomus: *Quid est* LATUERUNT? *Non cognoscentes hospitio receperunt.* Porrò ita exposuerunt propter græci textûs ἔλαθον, quod non potest aliter verti, quàm *Latuerunt*; sensu jam allegato, minimè verò: *Placuerunt*, ùt habebant universi fermè libri Vulgatæ ante correctionem Clementinam impressi, etiam Sixti V. & Lovaniensium, qui unicum notant manuscriptum, quod habet *Latuerunt.*

Istud autem *Placuerunt* irrepsit ex ignorantia Amanuensium, qui loco verbi *Latuerunt*, putarunt scribendam esse vocem similem *Placuerunt*, idque quia ipsos latuit phrasis græca (quam hîc imitatur lectio Vulgatæ, *& apud Tertullianum alicubi occurrit*, inquit Estius meritò videndus) quâ *Lateo* λανθάνω cum adjuncto participio significat quempiam nescientem aliquid fecisse, aut passum esse; ut nimirum actio vel passio per participium significata, lateat. Sic dicunt: *Lateo senescens*, id est, Non sentio, non animadverto me senescere, quam phrasim videtur respexisse Poëta cantans: *Tacitisque senescimus annis.* Sic item: *Latuit percussus*, idem est ac si dicas: Non sen-

sensit se percuti. *Latui transgrediens legem*, hoc est, ignoranter contra legem feci. Sic Aristophanes in Vespis: *Serviens latuisti*, id est, servire te ignorasti. Ita pariter hîc: *Latuerunt Angelis hospitio receptis*, seu, ùt in græco est, *Latuerunt hospitio recipientes Angelos*, hoc est: *Nescii Angelos hospitio receperunt.*

JACOBI.

CAPUT I. III.

CAp.I. 25. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis.* Ita pariter est in textu Syro, prout & in græco εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας. Tamen ante correctionem Clem. VIII. Vulgatæ communis lectio èrat: *In lege perfecta libertatis*, quæ lectio propterea fuerat retenta in Editione Sixti V.

Cap. III. 7. *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur.* Ita quidem communissimè legitur in Vulgatæ libris, etiam antiquis; in aliquibus tamen pro *Ceterorum* habetur *Cetorum*, ùt se vidisse testatur Estius, quam lectionem ipse, prout & Gagneius, Cajetanus, Salmeron, putant esse genuinam Interpretis nostri, quia in græco habetur ἐναλίων *Marinorum*, quorum præcipua species est *Cetus*. Etiam *Cetorum* legit OEcumenius. Noster tamen Zegerus eruditè reflectit fortè modernum græcum textum esse mendosum, atque Interpretem Vulgatæ fortassis non legisse ἐναλίων, sed ἑτάλλων, vel ἄλλων, hoc est *Aliorum*, *Ceterorum.*

Denique etsi concedamus lectionem modernam græcam ἐναλίων *Marinorum* esse germanam: manifestum est equidem Interpretem, si verterit *Ceterorum* (quod tamen minùs verosimilè habeo) rem transtulisse, quamvis non ipsam vocem; postquam enim commemorata sunt animalia irrationabilia, quæ gradiuntur, quæ volant, quæ reptant; qui addit *Cetera*, quænam alia significat, quàm *Marina*, seu quæ natant?

℣. 17. *Non judicans, sine simulatione.* Ex græco patet hîc allegari duas proprietates, seu Epitheta veræ Sapientiæ, nempè illam non esse temerè judicativam proximi, neque simulatam, sive hypocriticam; est enim ibi ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος. *In-judicativa*, & *Non-simulata*, seu *In-hypocritica.* Ex quo manifestè constat, non esse genuinam lectionem Editionis Sixti V. *Judicans sine simulatione.*

CAPUT V.

℣. 6. *Addixistis, & occidistis justum.* Sic benè restitutum est in Bibliis Clementis VIII. pro eo, quod passim in aliis, etiam Sixti V. erat *Adduxistis*, pro *Addixistis*; nam in Syro, Arabico, Græco est: *Morti adjudicastis*, *Reum egistis*, *Condemnastis*, id quod Latinè dicitur uno verbo *Addixistis.* Istud enim significat græcum Κατεδικάσατε.

℣. 13. *Tristatur aliquis vestrum? Oret. Æquo animo est? Psallat.* Sic esse interpungendum, & legendum manifestum fit ex græco Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. εὐθυμεῖ τις; ψαλλέτω. *Tristatur quis in vobis? Oret. Animæquior est quis? Psal-*

Psallat. Cum quo textu non possum concordare lectionem Sixti V. *Tristatur autem aliquis vestrum? Oret aquo animo, & psallat.*

Hoc ex ipsis verbis satis patet esse mendosum, præsertim ex illo εὐθυμεῖ τις; quod evidenter est verbum, & importat interrogationem, significat enim: *Bono ac læto animo est quis? Animæquior est aliquis?* Nam illud εὐθυμεῖ est verbum tertiæ personæ singularis numeri, præsentis temporis, unde nequit transferri per merum Nomen, sed debet addi *est.* Insuper ex græco constat, non esse addendum *autem*, neque & ante *Psallat.*

I. PETRI.

CAPUT II.

VErs. 23. *Tradebat autem judicanti se injustè.* Nempè Pilato, Caïphæ, &c. Ita quidem habent plerique libri Vulgatæ, atque etiam S. Paulinus Epist. 2. ad Severum. Item S. Cyprianus cap. 59. & S. Leo Papa, ùt refert Zegerus. Si hæc lectio præferatur, dicendum est in græco priùs fuisse ἀδικαίως *Injustè*; sed eraso, aut omisso α privativo, jam dudum irrepsisse δικαίως *Justè*. Etenim omnes planè tam Græci, quàm Syri Codices nunc legunt: *Tradebat judicanti se justè.* Hoc est Christus Deo Patri se justè judicanti, vindictam causamque suam committebat.

Sic etiam legit S. Augustinus Tract. 21. in Joan. *Commendabat illi, qui justè judicat.* S. Fulgentius ad Trasimundum: *Commendabat autem judicanti justè.* Syrus: *Tradebat judicium suum judici justitiæ.* Arabicus: *Sed negotium suum refudit ad eum, qui fert judicium rectum.*

Verisimile est, inquit Estius, Interpretem nostrum non aliud vertisse, quàm quod in omnibus græcis legitur, sed cùm non intelligeretur, librariorum inscitiâ, jam olim fuisse mutatum in sensum magìs obvium.

CAPUT III.

℣. 8. *In fine autem omnes unanimes.* Hoc est *Postremò, Denique, Pro fine.* Porrò sic legendum esse constat ex græco τὸ δὲ τέλος. Item ex Syro, & Arabico; non verò *In fide*, ùt Biblia Sixti V. & alii quamplurimi Vulgatæ libri; sed hoc irrepserat ex ignorantia amanuensium, & affinitate verborum *fine* & *fide.*

℣. 18. *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Ita meritò restitutum est in Bibliis Clem. VIII. ex antiquis manuscriptis Latinis, ac constanti lectione textûs tam Græci, quàm Syri, cùm antea omnes Vulgatæ codices, etiam Sixti V. haberent: *Mortificatos. Vivificatos.*

℣. 20. *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Sic habent penè omnes libri Vulgatæ, etiam ante correctionem sub Clemente VIII. factam; sed tamen in græco est ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία. *Quando expectabat illa Dei longanimitas*, seu *Patientia.* Hoc est: Quando Deus illos tam patienter, & longanimiter tot annis ad resipiscentiam expectabat, antequam illos diluvio deleret, sicuti Epist. II. Cap. III. 9.

dicit idem Apostolus: *Patienter agit propter vos.*

Græco textui correspondent Syriacus, & Arabicus, atque etiam ita, ùt illi, legerunt Hieronymus, Augustinus, Idacius contra Varimundum, Dionysius Carthusianus, atque V. Beda, prout Bedæ commentarius non obscurè indicat.

Hæc proinde lectio magìs genuina videtur, quàm illa modernæ Vulgatæ, cùm & hoc accedat: Dicere, quòd homines expectent Dei patientiam, nec est usitatum in Scriptura, nec habet sensum adeò commodum.

Nec dixeris græcum ἀπεξεδέχετο, cùm sit verbum medium, posse verti. *Expectabatur* (ùt vertit translator OEcumenii) nempè ab hominibus illius ævi, atque adeò ipsi *Expectabant.* Nam verbum istud græcum, quamvis voce medium sit, tamen semper accipitur activè, teste Estio.

Cui planè verisimile est irrepsisse mendum in Vulgatam Editionem, ut pro eo, quod ex græco transtulit Interpres: *Expectabat Dei patientia*, scriptum sit ab indoctis: *Expectabant Dei patientiam.* Ac profectò in Missali per Clem. VIII. correcto, in Epistola feriæ sextæ Paschalis legitur: *Expectabat Dei patientia.* Ita Estius.

CAPUT IV.

℣. 12. *Charissimi nolite peregrinari in fervore.* Interpres Latinus retinuit verbotenùs græcam phrasim ξενίζεσθαι, quod verbum aliàs significat *Mente alienari*, sive *Admirari*, prout, sensum attendendo, benè translatum est idem verbum hoc eodem capite ℣. 4. atque etiam à variis legitur hoc loco cum S. Cypriano lib 4. Epist 6. V. Beda, & Syriaco textu. Vide dicta libro præcedenti fol. 123.

II. PETRI.

CAp. I. 16. *Non enim doctas fabulas secuti.* Hoc est: Artificiosè compositas, Astutè confictas, ùt magìs propriè sonat græcum Σεσοφισμένοις, cui consonat V. Beda, & varii Vulgatæ libri, textus quoque Syrus, aliique; unde rectè sublatum est, quod antea passim legebatur etiam in Bibliis Sixti V. *Indoctas.*

Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam. Ex græco παρουσίαν, & emendatioribus Vulgatæ libris constat, esse legendum *Præsentiam*, non *Præscientiam*, ùt erat in multis Vulgatæ libris.

I. JOANNIS.

CAPUT V.

VErs. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Hoc præclarum Sanctissimæ Trinitatis testimonium primus (quantùm scio) oppugnavit criticus ille litterio Erasmus Roterodamus, quem nostro ævo secutus est Richardus Simon; qui tum in sua Critica Novi Testamenti, tum in Critica Versionum omnibus nervis operosè quidem, sed infeli-

feliciter contendit, hunc versum septimum Epistolæ S. Joannis additum esse temeritate priscorum Amanuensium, nec ab auctore Hagiographo esse conscriptum; ut proinde vel propter solum bellum huic Scripturæ illatum, uterque ille ipsius liber meritò sit ab Ecclesia proscriptus.

Ego de Canonica authoritate hujus loci nullatenùs dubitandum autumo, præsertim post Concilium Tridentinum, quod sess. 4. sub anathematis pœna suscipiendos decernit *pro sacris & canonicis omnes libros tam veteris, quàm novi Testamenti, integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata editione habentur.*

Porrò versus ille solemniter legitur tum in Epistola Dominicæ in Albis dictæ, tum in octavo Responsorio in omnibus Dominicis à festo SS. Trinitatis usque ad Adventum.

Reperitur etiam in optimis quibusque ac vetustissimis Vulgatæ Codicibus, ita ut paucissimi sint in quibus deest.

Habetur quoque in probatissimis græcis manuscriptis, in impressis autem penè omnibus. Ipse Erasmus, qui in priori sua græco-latina editione Novi Testamenti hunc versiculum omiserat, in Editione posteriori illum meritò restituit propter veterum græcorum codicum authoritatem.

Etiam illis verbis utuntur, & ab antiquo usi sunt Græci in Liturgiis suis.

Quantùm ad Sanctos Patres. Affert hoc testimonium S. Athanasius in Disputatione contra Arianos, illi attributa, quæ, si Athanasii non sit, certè veteris, atque probati auctoris esse, nemo ambigit.

Idem Athanasius, vel quisquis est antiquissimus Pater in libro ad Theophilum de Unita Deitate Trinitatis scribit: *Dicente Joanne Evangelista in Epistola sua: Tres sunt, qui testimonium dicunt in cælo: Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus.*

Auctor perantiquus sub nomine Hygini Papæ Epist. 1. cap. 1. *Joannes Evangelista ad Parthos: Tres in nobis sunt, qui testimonium perhibent in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt.*

Alter vetustus Epistolâ ad Valerium, quæ adscribitur Joanni II. Pontifici, *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

Idacius, sive Ithacius Clarus, qui floruit circa annum Domini 380. atque adeò ab annis 1330. in indubitato ipsius libro contra Varimundum Arianum: *Joannes Evangelista ait: In principio erat Verbum... Item ipse ad Parthos: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & ii tres unum sunt.*

Victor Uticensis circa annum 490. scripsit libros de persecutione Wandalica, in illorum secundo refert insignem Tractatum contra Arianos exaratum à S. Eugenio Carthaginensi Episcopo, ceterisque Catholicis, in quo hæc leguntur: *Ut adhuc luce clariùs unius Divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis E-*

vangelistæ testimonio comprobatur, ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.

S. Cyprianus vixit anno 250. hoc est ante Arium. Ipse libro de Simplicitate Prælatorum, sive de Unitate Ecclesiæ cap. 4. *Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt.* Hoc nusquam scriptum est, si non fuerit in Epistola prima Joannis.

Hinc S. Fulgentius anno 500. libro contra 10. Objectiones Arianorum, in Resp. ad ult. hâc Cypriani authoritate utitur, & ait: *B. Joannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & tres unum sunt. Quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiæ confitetur dicens... De Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt.*

Idem libro de Trinitate: *Ego & Pater unum sumus, inquit Dominus. Unum ad naturam referre nos docet, Sumus ad Personas. Similiter & illud: Tres sunt, inquit, qui testimonium dicunt in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt. Audiat Sabellius Sunt, audiat Tres, & credat esse tres Personas.... Audiat & Arius Unum, & non dicat Filium differentis esse naturæ.*

His non immeritò addemus Hieronymum Epistolâ ad Eustochium, hoc est Prologo in septem Epistolas Canonicas, de quo infra. Saltem, ùt ostendemus, Prologus iste antiquissimus est, & vulgatissimus, atque adeò ingens pondus addit huic lectioni.

De his Scripturæ verbis ipse Calvinus in Commentario: *Quia optime fluit contextus, si hoc membrum addatur, & video in optimis, ac probatissimæ fidei codicibus haberi, ego quoque libenter amplector.*

In scholiis, quæ Calvinistæ Dordraceni suis Bibliis Flandricis apposuerunt, ita loquuntur: *Hic versus quandoquidem complectatur valde clarum testimonium Sanctæ Trinitatis, videtur ab Arianis è quibusdam libris omissus fuisse; invenitur equidem in plerisque omnibus græcis codicibus, imò & à multis, ac præclaris Doctoribus, qui ante Arianorum tempora vixerunt hic versus allegatus est ad comprobandum dogma de S. Trinitate. Etiam Antithesis Testium in terra, de qua ℣. 8. clarè demonstrat, hunc versum septimum ibidem esse debere, sicuti patet ex ℣. 9. in quo fit mentio de testimonio Dei.*

Idem sentit Morinus, qui & ait: *A maxima parte græcorum codicum ab Arianis erasus est, ut Beza adnotationibus in Novum Testamentum hoc loco testatur.*

Imò videtur id testari ipse Hieronymus in Epistola ad Eustochium, sive Prologo, in antiquis Vulgatæ Codicibus septem Epistolis Canonicis præfixo, ubi inter cetera hæc habentur: *De unitate Trinitatis in prima Joannis Epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus translatoribus multùm erratum esse fidei veritate comperimus: trium tantùm vocabula, hoc est aqua, sanguinis, & spiritûs in sua editione ponentibus, & Patris, Verbique, & Spiritûs testimonium omittentibus, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, ac Spiri-*

Spiritûs sancti una Divinitatis substantia comprobatur.

Hunc Prologum quidem Hieronymo abjudicat Richardus Simon, & post ipsum Monachi Benedictini operum S. Hieronymi novissimi Editores, sed, ùt mihi quidem videtur, non satìs solido fundamento.

Nam (quod vel illi ipsi Benedictini fatentur, & testantur) certùm est rariores esse vetustissimos Vulgatæ Codices manuscriptos à quibus abest Prologus iste, quàm sint illi, qui eundem habent adscriptum. Ex octo omnium antiquissimis, scriptis circa tempora Caroli Calvi, hoc est plusquam ab octingentis annis, quos è Bibliotheca Regis Galliæ, item ex Colbertina, & S. Germani à Pratis adducunt illi Benedictini, sex sunt, qui Prologum istum constanter habent, à duobus tantùm abest, quia nimirum non omnes scribæ semper omnes Prologos adscribebant.

Quòd autem Prologo isti in aliquibus vetustioribus libris non apponatur nomen Hieronymi, non obest quin verè Hieronymum auctorem habeat, nam & in aliis nomen Hieronymi apponitur, & in aliquibus sæpè deest Hieronymi nomen etiam in illis Prologis, qui omnium consensu sunt Hieronymi; id quod contra Richardum Simon illi ipsi Benedictini exemplis comprobant.

Prætendunt nihilominùs illi Benedictini, Prologum istum esse falsò tributum Hieronymo, ex eo quod in illo septem Epistolæ vocentur *Canonicæ*, quas Hieronymus semper vocat *Catholicas*; sed, ut cetera taceam, facilè potuit ab aliquo prisco Amanuensi vox *Catholicæ* mutari in *Canonicæ*, dum tempore istius scribæ usus habebat sic vocandi illas 7. Epistolas.

Etiam leve est alterum, quod Benedictini contra auctorem Prologi urgent; nempè eundem ordinem, qui nunc Latinorum est quoad illas Epistolas, & quo se Prologi auctor dicit Epistolas restituisse, etiam fuisse græcorum. Hoc enim in Prologo non negatur, quamvis hoc putent Benedictini, sed potiùs asseritur aliquos Latinos alio ordine has Epistolas collocasse; nimirum ut ordine præcederent duæ Petri Epistolæ; Hieronymus verò illo ordine restituit, quo illas Græci describebant, scilicet ut prima esset Jacobi, deinde duæ Petri, &c. Hunc ordinem, ipsamque genuinam Epistolarum lectionem, ac verba illa, de quibus disputamus, antea ab aliquibus vel studio, vel inadvertenter omissa, meritò dicit: *Deo nos juvante reddidimus*, ita ut nec ex his aliquid contra Prologum conficiant Benedictini.

Prout nec ex stylo, quasi is esset Hieronymiano multò inferior; quia & stylus ipse Prologi non inconcinnus est, &, ùt testatur ac loquitur Estii continuator Bartholomæus Petri, *Satis Hieronymum sapit, etsi non habeat illam summè floridam disertitudinem; scriptus scilicet à sene, & ad virginem.*

Probabilissimum proinde est, verum esse hunc Prologi Titulum, qui in plerisque antiquis manuscriptis reperitur:

ritur: *Incipit Prologus S. Hieronymi Presbyteri in septem Epistolas Canonicas.*

Sunt quidem varii Patres tam Græci, quàm Latini, qui hoc testimonium, seu Scripturæ locum non allegarunt, etiam cùm opportunum fuisset contra Arianos; sed nullus eorum docuit, hunc locum sacram Scripturam non esse: illo autem aliqui Patres usi non sunt, vel ut vitarent cavillationes Arianorum, qui objicere potuissent non esse indubitatam Scripturam, vel quia Patres illi habuerunt Codices mutilos, seu tales, à quibus aberat hic versiculus.

Absuit enim jam ab antiquo ab aliquibus Latinis Bibliis, & à pluribus Græcis, prout etiamnum desideratur in Syris. Sed dico forsitan ab Arianis Amanuensibus ista verba de industriâ fuisse omissa, sicuti constat Arianos alia Scripturæ loca mutilasse.

Scribit de Arianis Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 7. *Non mirum si & hoc falsarunt, qui Scripturas interpolavêre Divinas.* Idem libr. III. de Spiritu S. c. 11. Arianos alloquens: *Quem locum*, inquit, ... *de vestris codicibus aufertis, atque utinam de vestris, & non etiam de Ecclesia codicibus tolleretis... litteras quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre.*

Sanè cùm Ariani essent tam Imperatores Constantius, Valens, &c. quàm permulti Episcopi, qui pulsis Orthodoxis totum penè orbem Christianum pro tempore occuparunt, facilè fuit ipsis hanc Scripturam in plurimis codicibus truncare, seu exscribendo de industria omittere, ut inde defectus ille in posteriores libros multos derivatus sit.

Potuit & alio modo defectus ille contingere, & fortè contigit, nempè per incuriam, sive inadvertentiam exscribentium, cui occasionem dederunt eadem verba repetita, sive secundò, hoc est bis posita: *Nihil enim facilius factu est*, ùt benè reflectunt Benedictini, *quàm omittere verba, quæ secundò eadem, ac consequenter leguntur, neque librorum genus aliquod reperies, ubi non inoleverint similia omissionum vitia.*

Duobus id illi probant notabilibus exemplis. Primum est ex codicibus Græcis Interpretum LXX. Alterum ex ipsis Hebraïcis, singula proponam ipsis penè illorum verbis.

Docet Hieronymus lib. 6. Comment. in Jerem. cap. 30. multa fuisse prætermissa in LXX. Interpretibus, quia secundò dicebantur. Insignis est ille locus, qui rem nostram planè conficiat, ideò integrum cum suo contextu sacro proponere juvabit.

Jeremiæ igitur cap. 30. ℣. 14. & 15. sic legimus scriptum: *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent: plagâ enim inimici percussi te, castigatione crudeli; propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

Ista Commentariis suis Hieronymus illustrans, apposite hæc inter multa observavit: *Quodque sequitur*, inquit, *quid*

quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ, in LXX. non habetur: videlicet, quia secundò dicitur: Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & dura peccata tua, & qui scribebant à principio additum putaverunt.

Ista igitur in exemplaribus græcis LXX. Interpretum prætermissa sunt, ex hac occasione, ùt docet Hieronymus, quòd eadem verba secundò dicta sint, & replicata apud Jeremiam Prophetam.

Sed commodiorem adhuc locum, sive exemplum efficacius ad probationem omissionis nostræ nacti sumus in libro Josuë cap. XXI. ℣. 36. secundùm versuum vulgatam divisionem & numerationem; nam ternæ repetitiones eorum verborum: *Civitates quatuor cum suburbanis suis*, quæ leguntur ℣. 35. 36. 37. erroris ansam præbuêre scriptoribus, qui medium, id est ℣. 36. prætermiserunt, decepti similitudine, vel eâdem sermonis clausulâ, quæ non solùm incuriosorum, sed diligentium nonnunquam obtutus confundit in describendo libros.

Hinc apud Hebræos plures habebantur manuscripti codices antiquiores, & etiam nunc habentur aliqui impressi, in quibus verba ℣. 36. desunt prorsùs, ex quo defectu hebraïcorum codicum, etiam in plerosque Chaldæos idem defectus, seu omissio versiculi 36. profluxit. Vide à nobis dicta hoc libro fol. 160.

Tertium exemplum subministrat Editio Vaticana anni 1593. in qua ex simili verborum fermè eorumdem repetitione, quædam intermedia inadvertenter sunt omissa Ezech. XXIV. 19. Vide dicenda libro 3. cap. 2. ad Num. XXXII. 35. & cap. 4. sect. 3. item quæ habentur sup. fol. 302. ad Hebr. XII. 2.

Ex his exemplis constat in ipsa Scriptura & in Hebræo textu, & in Græco, & in Latino similia contigisse, atque adeò etiam ex simili causa in hoc, de quo agimus loco fieri potuisse.

Proclivis est omninò lapsus in Epistola prima B. Joannis Cap. 5. ℣ 7. & 8. propter eadem verba, quæ secundò dicuntur, nempè: *Tres sunt qui testimonium dant*, & iterum: *Et hi tres unum sunt.* Qui enim à principio describebant græca novi Testamenti exemplaria, postquam posuerunt in membranis τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες. id est: *Tres sunt testificantes*, seu *Qui testimonium dant*, ad exemplar, quod præ oculis habebant, recurrentes, facilè priora cum postremis sociare potuerunt, omissis omnibus intermediis, & ita errore librariorum in plurimis libris duo versiculi in unicum coaluerunt. Cùmque sequi debuisset ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ &c. *In cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; consequenter ad jam dicta τρεῖς εἰσὶν &c. *Tres sunt, qui testimonium dant*, immediatè subjunxerunt ista alterius versiculi ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ πνεῦμα &c. *In terra Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.*

Potuit igitur si non ex malitia, saltem ex incuria faciliter propter illa eadem verba repetita, seu secundò dicta

dicta hic versus omitti; & ita defectus ille in plurimos transcriptos codices dimanare, intrudi autem ita non potuit, imò si intrusus fuisset, statim Ariani adulterationem hanc Catholicis objecissent, quod cùm nusquam fecisse legantur, neque hunc locum umquam tamquam adulterinum repudiasse, atque insuper tot, ac tanta superiùs allegata, hanc esse genuinam Scripturam confirment, indignum est homini Catholico hunc locum convellere, & è Scriptura erasum velle: sed potiùs in codicibus, à quibus abest restituendus est, in quibus verò habetur retinendus, tamquam verè à Joanne Evangelista conscriptus.

℣. 17. *Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem.* In aliquibus Vulgatæ libris habetur: *Et est peccatum non ad mortem*, quomodò est in textu Græco, & Syro, item in Glossa ordinaria, & apud Augustinum in Speculo; *Atque ita verosimillimum est nostrum reddidisse Interpretem*, inquit Zegerus.

Sive autem sine negatione legas, sive cum illa, non debent Scripturæ verba ità connecti, quasi dicatur omnis iniquitas esse, vel: non esse peccatum ad mortem, sed q. d. *Omnis iniquitas est peccatum: peccatum autem aliquod est ad mortem.* vel: *Aliquod non est ad mortem.*

APOCALYPSIS.

CAPUT II.

VErs. 5. *Venio tibi.* Editio Sixti V. 1590. *Veniam tibi cito.* Hæc lectio (saltem quoad istud *Citò*) est magìs consona græco ἔρχομαί σοι ταχὺ. *Venio tibi cito.* Libro primo, ad Ephes. V. 6. fol. 114. ex Estio notavimus ἔρχομαι significare quidem præsentem veniendi actum, sed cum quadam denotatione mox futuri, q. d. *Imminet adventus meus. Jam nunc adero. Sum in via.* Unde sensum attendendo, non incongruè hìc vertas: *Veniam tibi citò.*

℣. 24. *Qui Thyatiræ estis.* Est quidem in tribus primis Vaticanis Editionibus, nempè Sixti V. 1590. Clement. VIII. 1592. 1593. *Quia Thyatiræ estis*; sed Index correctorius pro Bibliis 1592. monet legendum *Qui*, ùt benè restitutum est in Romanis 1598. & 1624. Etiam in antiquioribus Vulgatæ libris est *Qui*, prout & in Recentioribus Plantinianis, aliisque, atque ita legi exigunt tum circumstantiæ, tum græcus textus: *Vobis autem dico*, & ceteris τοῖς ἐν Θυατείροις *In Thyatiris*, supple *existentibus*, seu *qui* ibi *estis.*

CAPUT III.

℣. 14. *Hæc dicit: Amen, testis fidelis.* Ita cum duobus punctis ante vocem *Amen*, habent omnia Biblia Vulgata tam Vaticana 1590. 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. quàm Plantiniana, atque alia universa, quæ videre

dere potui, ab anno 1600. usque nunc impressa.

Sed meâ opinione rectiùs ibidem ista puncta tollerentur, quod non solùm colligitur ex circumstantiis textûs, sed etiam manifestè patet ex græco τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς. *Hæc dicit ille Amen, ille testis* &c. Sive (ùt iste græcus articulus ὁ Flandricè pressiùs exprimi potest) *Dit seyt den Amen*, nempè Christus *Dei Verbum*, & ipsa *Veritas*, quam importat Hebræum אמן *Amen.* Atque ita sine illis punctis habent Vulgatæ libri omnes quos vidi, tam manuscripti, quàm impressi, ante Biblia Vaticana editi. Vide dicta libro I. ad Isai. LXV. 16. fol. 80.

CAPUT V.

℣. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem.* Ista est constantissima lectio Vulgatæ Latinæ, omniumque antiquorum, atque adeò omninò retinenda, quamvis *Primasius* solus non *Divinitatem* legat, sed *Divitias*, quomodò etiam habent textus Syrus & Græcus πλοῦτον, quod cùm totaliter differat à Græca voce Θεότητα *Divinitatem*, nullatenùs est verosimile, hoc pro altero in Græcum textum irrepsisse; Attamen si illi textus hîc admittantur, in illis *Divitiæ* sumendæ sunt pro omnium rerum affluentia, nulliusque indigentiâ, quæ soli Deo convenit: *Quoniam sibi sufficit ipse.* Inde etiam Deus vocatur Hebraïcè שדי *Saddaj. Uberrimus.* Videturque hoc supposito Interpres Vulgatæ non ad verbum, sed ad sensum transtulisse vocem græcam, ideòque vertisse *Divinitatem.*

CAPUT XI.

℣. 4. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Si legatur *Stantes*, referendum est ad duos illos Prophetas, testes Dei, de quibus ℣. 3. Si autem cum Bibliis Sixti V. legas *Stantia*, refertur ad *Olivas*, & *Candelabra.* Porrò hæc Sixtina lectio videtur pressiùs sequi textum græcum, in quo nec est masculinum *Stantes*, nec neutrum *Stantia*, sed Nominativus pluralis feminini generis ἑστῶσαι, qui proinde non debet referri ad Masculinum *Prophetas*, aut *Testes*, sed ad *Olivas*, & *Candelabra*, quæ utraque sunt in græco feminina ἐλαῖαι, λυχνίαι.

℣. 15. *Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum: Amen.* Istud *Amen* abest à multis Vulgatæ libris, prout & à textibus Græco, Syro, Arabico, Æthiopico.

CAPUT XIV.

℣. 3. *Nemo poterat dicere canticum illud, nisi* &c. Ad hæc ita noster Zegerus: *Quum Græcè sit*, μαθεῖν *Discere, vix dubium est, scribæ oscitantiâ accidisse, ut hodie* DICERE *legamus, etiamsi vel apud Augustinum alicubi ita reperiatur. Certè* DISCERE *expressum visitur in nonnullis codicibus veteris Typographiæ, ne quis fortè controverfetur.* Etiam Syriacus textus habet *Discere.* Æthiopicus *Intelligere*, nec facilè fieri potuit,

ut Græcum λέγειν mutaretur in μαθεῖν, sed facillimum fuit pro *Discere*, inadvertenter exscribi *Dicere*. Interim sensus idem est, ideò enim Canticum *Discitur*, ut *Dicatur*, seu Cantetur.

CAPUT XV.

℣. 6. *Angeli...vestiti lino mundo.* Ita meritò correctum est in Sixtinis, & Clementinis, cùm *Linum* habeant Græcus, Syrus, Arabicus &c. Item lino mundo, seu Byssino vestitos apparere Angelos usitatum est in Scriptura, ùt Ezech. IX. Dan. X. Insolens autem dictio est: *Vestiti lapide mundo*, prout antea communiùs in Vulgata legebatur, & quidem ab antiquo, ùt patet ex Beda, Ansberto, Haymone, qui utramque lectionem notant. Videtur mendum Latinum inolevisse ex mendo Græco, quo forsitan in codice aliquo scriptum erat λίθον *Lapidem*, pro λίνον *Linum*.


CAPUT XVII.

℣. 4. *Inaurata auro.* Brugensis: *Est hic vitium Typographicum in Romanis Bibliis* anni 1593. adde anni 1598. & 1624. *ubi scriptus est*, seu impressus, *Ablativus* INAURATO, *pro Nominativo feminino* INAURATA, prout est in omnibus aliis Vulgatæ libris, etiam in prima editione Vaticana Clementis VIII. nempè illa anni 1592. Idem constat evidenter tum ex contextu Scripturæ, tum ex aliis omnibus textibus, signanter græco κεχρυσωμένη. Denique *aurum* non *inauratur*, sed mulier poterat esse *auro inaurata*, seu vestita & ornata.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.



LUX



LUX DE LUCE

LIBER TERTIUS.

In quo ſpecialiter agitur de Editione Vulgata Latina S. Scripturæ facta per Sixtum V. anno 1590.

Diſcutiuntur etiam varia alia concernentia tum Biblia Vaticana Clementis VIII. tum Plantiniana, aliaque nunc integro ſæculo per Orbem Catholicum multoties impreſſa.

PRÆFATIO.



Aria me moverunt, Benevole Lector; ut præſentem Librum componerem. Primò quidem, ut eſſet Complementum utriuſque præcedentis, præſertim ſecundi, qui de variantibus Vulgatæ noſtræ Lectionibus tractat.

Secundò, ut ex hoc Libro tertio ad oculum pateat, quàm injuſtè Hæretici calumnientur Eccleſiam Catholicam, Romanoſque Pontifices, quaſi unus alteri foret contrarius in tradendo nobis Verbo Dei ſcripto, in Vulgata Editione Latina contento.

Non enim defuit Heterodoxus aliquis, qui propter differentiam lectionis, quæ reperitur inter Biblia Vulgata ed.ta per Sixtum V. & illa, quæ emanarunt juſſu Clementis VIII. tam falsò, quàm inaniter jactavit, inde conſtare pluſquam duo millia errorum fuiſſe in Bibliis Papiſtarum.

Thomas James, ſeu *Jameſius* hæreticus Anglus ex differentia indicata cap-

tans occasionem, impium conscripsit librum cum hoc titulo: *Bellum Papale, sive concordia discors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam Editionem.* Quasi verò Sixtus V. & Clemens VIII. sibi fuissent è diametro contrarii, atque adversarii in hoc tanti momenti negotio.

Ex præsenti etenim libro evidenter patet, nullam esse realem contrarietatem utriusque lectionis, hoc est, nihil ad fidem, aut mores spectans esse diversitatis inter utraque Biblia, sed in omnibus penè locis eundem planè sensum exprimi, etsi parumper mutatis verbis, aut etiam merâ diversâ eorumdem verborum constructione.

Insuper cùm ex tot millenorum Codicum exscriptione, plerumque per abbreviaturas factâ, necessè fuerit multa menda, atque adeò diversas lectiones irrepere in diversos Vulgatæ codices: Concilium Tridentinum Sess. 4. *Statuit ut posthac sacra Scriptura, potissimùm verò Vetus & Vulgata Editio, quàm emendatissimè imprimatur.*

Huic Statuto, & Reipublicæ Christianæ opitulaturus Sixtus V. Pontifex Maximus, primam admovit manum, & quantùm tunc pro temporis brevitate licuit, Biblia Vulgata edidit anno 1590. hoc est ultimo vitæ suæ, quamplurimis mendis sublatis, quæ passim in Vulgatæ libros irrepserant.

Fecit autem hoc absque notabili recursu ad textus Originales, ùt liquet ex Bulla Editioni isti præfixâ, ex qua pariter constat, ipsum principaliter studuisse, ut Biblia Vulgata ederet juxta lectionem tunc temporis magìs communem, quâ de causâ permulta reliquit intacta, quæ meritò corrigenda videbantur.

At Sixto V. mediantibus Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. paucorum mensium Pontificibus, succedens Clemens VIII. opus laudabile à Sixto V. inchoatum, magìs perfecit, adhibitisque doctissimis Theologis permulta loca ad Originalis linguæ textus, atque ad alias legitimæ Criticæ Regulas accuratiùs expendens, restituit, taliterque restituta Typis Vaticanis edidit, annis post Sixtinam Editionem duobus, nempè anno 1592.

Nulla igitur est in utroque Pontifice repugnantia, nulla in utrisque Bibliis alia credendi, aut agendi Regula, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodò; nimirum quòd Editiò Clementina sit magìs ab Amanuensium mendis purgata, atque in tantùm perfectior quàm Sixtina, quæ nunquam in usum Ecclesiæ fuit introducta, nec usquam reimpressa, sed judiciosè deserta, eo quòd illa Clementina perfectior, atque emendatior, istam Sixtinam post tam breve temporis intervallum sit subsecuta, & ex prudentissimo Clementis VIII. Decreto, unicè in usum Ecclesiæ publicum introducta, duplicem enim (licet verbis tantùm) discrepantem esse communem, minimè conveniebat.

Hinc

Hinc & aliud me movit ad hunc librum componendum, atque edendum; nimirum quòd Editione Sixti V. existente rarissimâ, omnes passim exactiores S. Scripturæ studiosi, & amatores, præsertim Critici valdè anhelârint, atque etiamnum anhelent, illam introspicere, ac scire, in quibus locis, & qualiter ipsa discrepet ab Editione nunc communi Clementis VIII.

Hæc ego cùm vehementer expeterem, tandem nactus sum exemplar, seu Codicem unum, & diligenti collatione factâ, expendi cum bino exemplari Clementis VIII. uno scilicet Editionis primæ, videlicet anni 1592. ac altero Editionis secundæ Vaticanæ, nempè anni 1593.

Diligenti, inquam, collatione factâ, adnotavi omnes differentias, quas investigare potui; primò quidem, ut ego ipse illas ad manus haberem, quas deinde bono publico studens, & multorum desideriis satisfacere cupiens, in lucem edere proposui.

Occasione autem istius collationis animadverti Editionem Clementinam primam, seu anni 1592. non in omnibus esse conformem illi, quæ sequenti anno, hoc est 1593. Typis Vaticanis impressa est, esseque illam primam, hâc secundâ quoad prælum exactiorem; quamvis equidem in utraque sint permulti nævi Typographici.

Aliqua tamen loca sunt in ista secunda editione de industria, ùt videtur, mutata, quæ minùs benè impressa videbantur in prima. Illa autem omnia propriis locis tractabo, circa finem hujus libri; ubi & differentias utriusque Editionis Clementinæ exhibebo. Item notabo, quæ in utraque speciales mendæ videantur. Agam denique de discrepantia, quæ est inter Biblia illa Vaticana, & alia nunc per integrum sæculum alibi locorum impressa; illa enim cum istis Vaticanis non in omnibus conveniunt; quod Nemo hactenus animadvertit.

Itaque hîc habes, Lector benevole, virtualiter & ipsam totam Sixti V. Editionem, & simul omnia loca ordine disposita, in quibus illa discrepat à communi nunc Vulgatæ lectione. Deprehendi autem istam Sixti V. Editionem in Veteri Testamento admodùm convenire cum Bibliis primùm editis per Hentenium anno 1547. deinde curâ Theologorum Lovaniensium sæpiùs reimpressis; in Novo autem Testamento non adeò.

Porrò ut sciatur, in quibus præcisè locis Editiones tum Sixtina, tum Clementina cum Lovaniensium conveniant, ad singula loca convenientiæ post verba Codicis Sixtini, vel Clementini apposui unum *l* minusculum, quando ita conveniunt, ut tamen Lovanienses notent aliam librorum manuscriptorum, aut textuum lectionem. Ubi verò ita conveniunt, ut Lovanienses non indicent alios Codices manuscriptos, aut Textus aliter legere, ibi pro indicio postposui *L* majusculum. In quibus autem Lovaniensis Editio

cum neutra præcisè convenit, ibi nullum apposui signum.

Post differentias locorum schematicè exhibitas, addidi Reflexiones, in quibus indico, utra lectio Sixtina, an Clementina lectioni originalis linguæ textûs magìs videatur convenire, vel accedere; quænam præstare. Paucissima tamen sine Reflexione pertranseo, illa nimirum loca, in quibus vel utraque lectio æquè convenit cum originalis linguæ textu, vel ex originali textu colligi nequit, utri lectioni magis faveat.

Nullatenùs equidem asserere volo, Originalis linguæ modernos codices unicam esse, atque infallibilem Regulam, & Amussim, ad quam omnia Vulgatæ loca sint expendenda, exigenda, corrigenda: illud enim minimè verum judico; imò in his tribus libris Vulgatæ lectionem sæpiùs nunc Græci, nunc etiam Hebraïci textûs lectioni præpono.

Tantùm in his Reflexionibus indico, utra Editio, Sixti V. an Clementis VIII. textui originalis linguæ sit magìs consona, præsertim cùm ùt plurimum, ubi Latinæ Vulgatæ Editiones variant, ibi potiùs sit isti lectioni adhærendum, quæ cum originalis linguæ textu convenit.

Nihil etiam à me, vel ab alio quopiam in Latina nostra Vulgata Bibliorum Editione, propriâ authoritate mutatum, aut impressum desidero; sed sicut in bino præcedenti libro, ita & in hoc tertio *Lucem* de *Luce* emendico, & communico; Aliis judicium defero, maximè S. Romanæ Ecclesiæ, ejusque in terris visibili Capiti, ac infallibili Directori, cujus censuræ & hæc, & omnia alia scripta, ac sensa mea, lubens subjicio.



CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Differentiæ Lectionum inter Biblia Vulgata Editionis Sixti V. & Clementis VIII. Item Lovaniensium.

GENESIS.

	Clementis VIII.			Sixti V.	
2	Spiritus Dei		Cap. I.	Spiritus Domini	I
27	imaginem suam			ad imaginem, & similitudinē suam	I
12	Ibi invenitur		II.	Ibique invenitur	L
15	posuit eum in paradiso			posuit eum in paradisum	L
1	De omni		III.	Ex omni	L
11	cui dixit			cui dixit Dominus	I
19	vesceris pane			vesceris pane tuo	I
23	& emisit eum			emisit eum	I
5	Ad Caïn vero		IV.	Ad Caïn autem	L
7	peccatum aderit			peccatum tuum aderit	I
9	num custos			numquid custos	L
15	posuitque Dominus Caïn			posuitque Dominus in Caïn	L
3	Et genuit ad		V.	Et genuit filium ad	I
22	& ambulavit Henoch cum Deo... & vixit postquam	L		& vixit Henoch postquam	
17	Universa		VI.	Et universa	L
13	Et tres uxores		VII.	Et uxores	I
21	volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram	L		volucrum, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram, animantiumque omnium	
23	& deleta sunt	L		deleta sunt.	
9	Extenditque manum		VIII.	Extenditque manum suam	L
5	Et fratris ejus		IX.	Et de manu fratris ejus	I
10	cunctis quæ egressa sunt			cunctisque, quæ egressa sunt	L
12	hoc signum fœderis			hoc est signum fœderis	L
16	eritque arcus in nubibus			eritque arcus meus in nubibus	I
17	hoc erit signum			hoc est signum	I
22	patris sui esse nudata	L		patris sui nudata	
7	Filii Chus		X.	Filii autem Chus	L
13	Nephthuïm			& Nephthuïm	L
16	Gergesæum, Hevæum			& Gergesæum, & Hevæum	L

18 &

18	& poſt hæc		X.	& per hos	L
19	uſque Gazam... uſque Leſa			uſque ad Gazam... uſque Laſa	L
31	iſti filii Sem			iſti ſunt filii Sem	L
6	Unum labium		XI.	Unum eſt labium	L
6	Uſque ad convallem		XII.	Et uſque ad convallem	L
12	uxor ipſius eſt			uxor illius eſt	L
14	Tuos, & vide		XIII.	Tuos in directum, & vide	l
17	ſurge, & perambula			ſurge ergo, & perambula	l
5	In Aſtarothcarnaïm		XIV.	In Aſtaroth, & Carnaïm	l
7	venerunt ad fontem			venerunt uſque ad fontem	l
10	& Gomorrhæ			& Rex Gomorrhæ	l
14	perſecutus eſt uſque Dan			perſecutus eſt eos uſque Dan	L
15	percuſſitque... uſque Hoba			pecruſſitque... uſque Hoba, & Phœnicen	l
1	Non genuerat liberos		XVI.	Non genuerat ſibi liberos	l
7	qui eſt in via Sur			quæ eſt in via Sur	L
22	Deus ab Abraham	L	XVII.	Deus ad Abraham	
25	Iſmaël filius tredecim			Iſmaël filius ſuus tredecim	L
2	Tabernaculi,		XVIII.	Tabernaculi ſui,	l
	& adoravit in terram	L		& adoravit in terra	
4	lavate pedes veſtros			laventur pedes veſtri	L
5	confortate cor veſtrum			confortetur cor veſtrum	L
20	& Gomorrhæ			& Gomorrhæorum	L
28	delebis propter quadraginta	l		delebis quia quadraginta	
14	Surgite, egredimini		XIX.	Surgite, & egredimini	l
29	Cùm enim	L		Cùm autem	
7	quia Propheta eſt,		XX.	& orabit pro te,	
	& orabit pro te			quia Propheta eſt	L
16	mementoque te deprehenſam			memento te deprehenſam	L
15	Unam arborum, quæ ibi erant		XXI.	Unam arborem, quæ ibi erat	L
5	Ego, & puer		XXII.	Ego autem & puer	L
12	times Deum			timeas Dominum	l
20	His ita			His itaque	L
13	plebe... in eo		XXIII.	plebe ejus... in agro	l
15	quadringentis ſiclis			quadringentos ſiclos	L
21	Dominus		XXIV.	Deus	l
24	Bathuëlis, filii Melchæ, quem peperit ipſi Nachor			Bathuëlis, filii Nachor, quem peperit ei Melcha	l

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
41	non dederint	L	XXIV.	non dederit	
43	ex hydria			de hydria	L
65	pallium			pallium suum	L
66	narravit Isaac			narravit domino suo Isaac	l
10	quem emerat		XXV.	quam emerat	L
15	Jethur			Itur L Jetur	
14	Habuit quoque		XXVI.	Habuitque	L
34	uxores			uxores duas	l
12	inducam		XXVII.	inducat	l
21	Accede huc			Accede ad me	L
5	professus venit		XXVIII.	profectus pervenit	L
14	ad occidentem, & orientem			ad orientem, & occidentem	L
20	si fuerit Deus mecum			si fuerit Dominus mecum	l
13	cucurrit		XXIX.	occurrit	L
24	Liam	L		Lian	
16	& ad me, inquit		XXX.	& ait, ad me, inquit	L
25	in patriam, &			in patriam meam, &	l
26	tu nosti			tu verò nosti	l
30	Dominus			Deus	L
33	arguent			argues	l
29	patris vestri		XXXI.	patris tui	l
1	Jacob quoque abiit		XXXII.	Jacob autem abiit	l
	itinere quo cœperat			in itinere quod cœperat	L
18	misit domino meo			misit domino suo	L
22	Vadum Jaboc	L		Vadumjaboc	
15	omne masculini sexûs		XXXIV.	omnis masculini sexûs	L
23	unum efficiemus populum			unum efficiamus populum	L
4	infodit ea		XXXV.	infodit eas	L
8	super quercum			subter quercum	L
24	asinos		XXXVI.	asinas	L
3	omnes filios suos		XXXVII.	omnes filios	L
17	Perrexit ergo			Perrexit itaque	L
10	Dominus, quòd		XXXVIII.	Dominus, eo quòd	L
12	mortua est filia Suë			mortua est Sue	l
1	Princeps exercitûs		XXXIX.	Princeps exercitûs sui	L
9	peccare in Deum meum			peccare in dominum meum	l
1	His ita gestis		XL.	His itaque gestis	L
15	furto sublatus			furtim sublatus	L

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
11	præſagum		XLI.	præſagium	L
44	Rex ad Joſeph			Rex Ægypti ad Joſeph	l
45	Putiphare			Putipharis	L
50	Nati ſunt autem Joſeph... Putiphare			Natique ſunt Joſeph... Putipharis	L
11	Fructibus		XLIII.	Frugibus	l
14	quem tenet, &			quem tenet in vinculis, &	l
17	quod ſibi fuerat			ſicut fuerat	L
27	ſalvuſne eſt			ſanuſne eſt	L
17	Reſpondit Joſeph		XLIV.	Reſponditque Joſeph	L
30	pendeat			dependeat	L
2	viſionem noctis		XLVI.	viſionem nocte	L
20	Putiphare			Putipharis	L
4	in terra tua		XLVII.	in terram tuam	L
18	Dominum noſtrum			Domino noſtro	L
1	His ita		XLVIII.	His itaque	L
3	ingreſſo ad ſe, ait			ingreſſo ad ſe Joſeph, ait	l
8	dereliquerant		L.	dereliquerunt	L
10	aream Atad	L		aream Arad	
17	ſervis Dei patris tui			ſervo Dei patri tuo	l

E X O D U S.

6	Cognatione illâ		Cap. I.	Cognatione ſuâ	L
18	quibus ad ſe accerſitis			quibus accerſitis ad ſe	L
14	quis te conſtituit		II.	quis conſtituit te	L
16	quæ venerunt			quæ venerant	L
22	eripuit me			& eripuit me	L
25	cognovit eos			liberavit eos	l
2	rubus arderet	L	III.	rubus ardebat	
14	dixit Deus			dixit Dominus	L
15	generationem, & generationem			generatione, & generationem	L
20	extendam enim			extendamque	l
4	verſaque eſt	L	IV.	reverſaque eſt	
13	Obſecro, inquit, Domine			Obſecro Domine, inquit	L
14	egreditur			egredietur	L
26	ob circumciſionem			tu mihi es, ob circumciſionem	l
28	quibus miſerat			pro quibus miſerat	L
14	quare non impletis		V.	quare non impleſtis	L

19	in malo		V.	in malum	I
1	quæ facturus sim		VI.	quæ facturus sum	L
8	vobis possidendam			possidendam vobis	L
29	quæ ego loquor			quæ loquor	L
9	ac vertetur		VII.	ac vertatur	L
26	Deo nostro.		VIII.	Deo nostro?	L
3	& boves, & oves		IX.	& oves, & boves	L
27	ego, & populus			& ego, & populus	L
4	egrediar		XI.	ingrediar	I
10	omnia ostenta			omnia signa, & ostenta	I
9	sed tantùm assum		XII.	sed assum tantùm	L
19	fermentum			fermentatum	I
35	præceperat Moyses			præceperat Dominus Moysi	L
37	parvulis			parvulis, & mulieribus	I
39	neque enim poterant			neque enim poterat	L
42	observabilis Domino			observabilis Domini	L
9	monimentum	L	XIII.	monumentum	
16	inter oculos			ante oculos	I
17	Deus			Dominus	I
5	super populo		XIV.	super populum	L
19	Dei			Domini	I
26	Ego enim		XV.	Ego enim sum	L
	Dominus sanator			Dominus Deus sanator	L
3	cur eduxistis		XVI.	cur induxistis	L
7	audivit			audivi	I
12	Deo		XVIII.	Domino	I
19	Deus			Dominus	L
21	viros potentes			viros sapientes	I
18	Dominus		XIX.	Dominus Deus	L
25	super eo		XX.	super eum	I

XXI. *Qui in Bibliis Clementis VIII. est ℣. 16. nempè hic:* Qui furatus fuerit &c. *in Bibliis Sixti V. collocatur post illum:* Qui maledixerit patri &c. *qui in Bibliis Clementis VIII. est ℣. 17. De cetero in verbis conveniunt.*

6	invenerit spinas		XXII.	invenerit spicas	I
18	victimæ meæ		XXIII.	victimæ tuæ	I
5	vitulos		XXIV.	vitulos duodecim	I
2	qui offeret		XXV.	qui offert	L
24	labium aureum	L		labrum aureum	

CLEMENTIS VIII. ET SIXTI V.

25	ipſi labio	L	XXV.	ipſi labro	
33	ſpherulaque... & lilium			ſpherulæque... & lilia	L
	ſpherulaque ſimul, & lilium			ſpherulæque ſimul, & lilia	L
38	fiant de auro			fiant auro	L
5	aptari		XXVI.	adaptari	L
34	in Sancto Sanctorum			in Sancta Sanctorum	L
21	à filiis Iſraël		XXVII.	coram filiis Iſraël	L
14	ex auro puriſſimo		XXVIII.	auri puriſſimi	L
38	ſit eis Dominus			ſit ei Dominus	L
9	labrum cum baſi		XXXI.	labium cum baſi	L
11	aromatum	L		aromathum	
16	opere Dei		XXXII.	opere Domini	I
28	quaſi viginti tria millia			quaſi triginta tria millia	I
3	duræ cervicis es		XXXIII.	duræ cervicis eſt	I
16	labrum, & baſim		XXXV.	labrum, & baſes	I
23	rubricatas, & janthinas			rubricatas, & hyacinthinas	I
11	labium aureum	L	XXXVII.	labrum aureum	
12	ipſique labio	L		ipſique labro	
7	ex tabulis		XXXVIII.	ex tabulatis	L
14	unum tenebat latus			unum tenebant latus	I
28	vermiculo bis tincto		XXXIX.	vermiculo diſtinctum	L
5	Tabernaculi pones		XL.	Tabernaculi teſtimonii pones	I

LEVITICUS.

1	Vocavit autem Moyſen, & locutus eſt ei Dominus	L	Cap. I.	Vocavit autem Dominus Moyſen, & locutus eſt ei	
4	ponetque manum			ponetque manus	L
5	Aaron Sacerdotes			Aaron Sacerdotis	I
10	maſculum abſque macula			agnum anniculum, & abſque macula	I
2	Aaron Sacerdotes		II.	Aaron Sacerdotis	I
11	in ſacrificio Domino			in ſacrificio Domini	L
13	omni oblatione tua			omni oblatione	L
14	torrebis igni	L		torrebis eas igni	
15	fundens ſupra oleum			fundens ſuper ea oleum	L
2	Aaron Sacerdotes		III.	Aaron Sacerdotis	I
2	Anima, quæ peccaverit		IV.	Anima cùm peccaverit	L

6 in

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
6	in ſanguine,		IV.	in ſanguinem,	L
	aſperget eo			aſperget eum	l
8	vituli auferet			vituli offeret	l
10	ſicut aufertur			ſicut offertur	l
29	ponetque manum			ponetque manus	L
35	in incenſum Domini			incenſum Domini	L
8	collo hæreat		V.	collo adhæreat	L
9	ex eodem altari		VI.	in eodem altari	L
16	loco Sancto atrii tabernaculi			loco Sanctuarii tabernaculi	l
10	per ſingulos dividetur	L	VII.	per ſingulos dividentur	
19	Caro, quæ aliquid	L		Caro, quæ aliquod	
28	ſacrificii Domino		VIII.	ſacrificii Domini	l
3	atque agnum anniculos		IX.	atque agnum anniculum	l
22	extendens manus			extendens manum	L
8	Dixit quoque		X.	Dixitque	L
9	intratis			intrabitis	L
18	debueritis			debueratis	L
26	qui tetigerit		XI.	quidquid tetigerit	L
12	omnem cutem		XIII.	omnem carnem	L
43	pulvis craſus		XIV.	pulvis elatus	L
49	in purificationem			in purificatione	l
9	ſuper quo ſederit		XV.	ſuper quod ſederit	L
27	tetigerit ea			tetigerit eam	l
31	caveant immunditiam			caveant immunditias	L
10	peregrinantur inter eos		XVII.	peregrinantur inter vos	L
20	ancilla etiam nubilis		XIX.	ancilla etiam nobilis	L
9	moriatur: patri matrique maledixit, ſanguis ejus	L	XX.	moriatur, ſanguis ejus	
5	non radent caput		XXI.	non radent Sacerdotes caput	
23	quia maculam habet			qui maculam habet	l
24	vel tuſis, vel ſectis		XXII.	vel tonſis, vel ſectis	L
14	diem quâ offeretis		XXIII.	diem quâ offeratis	L
11	blaſphemaſſet nomen		XXIV.	blaſphemaſſet nomen Domini	L
16	omnis multitudo			omnis multitudo populi	l
2	ſabbatum Domino		XXV.	ſabbatum Domini	l
6	qui peregrinantur			qui peregrinatur	l
44	Et tamen		XXVI.	Attamen	L
45	Ego Dominus			Ego Dominus Deus	l

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
	& filios Israël			& inter filios Israël	L
26	ad Dominum pertinent		XXVII.	ad Deum pertinent	l
27	æstimationem tuam			æstimationem suam	l
	quantocumque à te			quantumcumque ante	L
28	non vendetur			non veniet	L

N U M E R I.

10	Phadassur	L	Cap. I.	Phadasseur	
51	castrametandum			castra metanda	l
2	castrametabuntur filii		II.	castrametabuntur filiorum	l
8	omnis de stirpe			omnisque de stirpe	L
9	enumerati sunt			annumerati sunt	L
49	quos redemerant		III.	quos redemerat	L
6	velamine janthinarum		IV.	velamen janthinarum	l
46	quos recenseri fecit			quos fecit	l
3	habitaverim vobiscum		V.	habitaverint vobiscum	L
2	Præfectique eorum		VII.	Præfecti eorum	L
84	in dedicatione			in dedicationem	l
88	in dedicatione			in dedicationem	l
2	Boream	L	VIII.	Borean	
15	ingredientur			ingrediantur	L
8	Aaron sacerdotes		X.	Aaron sacerdotis	L
13	in manu Moysi			per manum Moysi	L
23	Phadassur	L		Phadasseur	
21	Moyses: Sexcenta		XI.	Moyses ad Dominum: Sexcenta	l
31	(1592. arreptas 1593. arreptans			arreptas	L
32	coturnicum			coturnicum multitudinem	L
2	Dominus (erat		XII.	Dominus iratus est. Erat	L
4	locutus est ad			locutus est Dominus ad	L
10	cunctis filiis Israël		XIV.	cunctis videntibus filiis Israël	l
19	populi hujus			populi tui hujus	l
3	victimam		XV.	victimam pacificam	L
4	conspersæ oleo			conspersam oleo	L
20	primitias separatis,			primitias separabitis	L
36	obruerunt lapidibus			obruerunt eum lapidibus	L
11	Quid est enim Aaron		XVI.	Quis est enim Aaron	L

15 quod

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
15	quòd nc aſellum		XVI.	quòd nec aſellum	L
34	fugit ad clamorem			fugit à clamore	L
37	Aaron Sacerdoti	L		Aaron Sacerdotis	
3	virga cunctas ſeorſum		XVII.	virga cunctas eorum	L
12	omnes perivimus			omnes peribimus	l
13	quas gignit humus		XVIII.	quæ gignit humus	L
28	date Aaron			date ea Aaron	L
29	electa erunt			electa erunt cuncta	L
6	Tabernaculum fœderis		XX.	in Tabernaculum fœderis	L
20	non-tranſibis			non-tranſibitis	l
15	requieſcerent in Ar		XXI.	requieſcerent in Arnon	L
18	De ſolitudine			Profectique ſunt de ſolitudine	l
20	De Bamoth			Bamoth	l
4	ipſe erat		XXII.	ipſe autem erat	L
8	manentibus illis			manentibus autem illis	L
18	domum ſuam argenti.	L		domum argenti	
20	vocare te venerunt			vocare te venerint	L
37	ut vocarem te			ut vocarent te	l
14	vitulo, atque ariete		XXIII.	vitulis, atque arietibus	L
13	domum ſuam	L	XXIV.	domum	
1	in Settim		XXV.	in Setim	L
12	Jamim		XXVI.	& Jamim	L
62	quia non ſunt recenſiti			qui non ſunt recenſiti	l
3	non habuit filium		XXVII.	non habet filium	L
18	in quo eſt ſpiritus			in quo eſt ſpiritus Dei	l
11	Uxor in domo viri, cùm ſe voto conſtrinxerit, & juramento, ſi audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcumque promiſerat; ſin autem extemplò contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea, quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si voverit &c.	L	XXX.	Uxor in domo viri; ſi voverit	
6	Vaſa quoque ſancta		XXXI.	Vaſaque ſancta	L
3	Saban	L Sabam	XXXII.	Saba	
35	& Etroth			& Roth	L

3 alterâ

3	alterâ die Phaſe		XXXIII.	fecerunt alterâ die Phaſe	l
44. 45.	Jieabarim			Jeabarim	L
54	& paucis			& paucioribus	L
4	à Meridie		XXXIV.	ad Meridiem	L
11	in Rebla			in Reblatha	L
23	Hanniël			Haniël	L
29	præcepit			præceperat	L
19	apprehenderit eum, interficiet	L	XXXV.	apprehenderit eum	

DEUTERONOMIUM.

4	qui habitabat		Cap. I	qui habitavit	L
19	& maximam			& maximam ſolitudinem	l
31	ipſe vidiſti			ipſi vidiſtis	L
21	magnus, & multus		II.	magnus	L
6	ut audientes univerſa		IV.	ut audientes univerſi	L
22	ecce morior			ecce moriar	l
28	nec odorantur	L		nec odorant	
30	noviſſimo tempore			noviſſimo autem tempore	L
33	audiſti, & vixiſti			audiſti, & vidiſti	l
39	Dominus ipſe ſit Deus			Dominus ipſe eſt Deus	L
24	Vocem ejus		V.	Vocem enim ejus	L
4	Deus noſter, Dominus unus		VI.	Deus noſter, Deus unus	l
1	Cave diligenter	L	VIII.	Attende diligenter	
9	lapideas, tabulas pacti		IX.	lapideas pacti	L
	vobiſcum Dominus			vobiſcum Deus	l
3	Settim		X.	Setim	L
10	ingrederis	l	XI.	ingredieris	
32	hodie ponam	L		hodie proponam	
3	Aras eorum... nomina eorum		XII.	Aras earum... nomina earum	L
11	quæ vovebitis			quæ voviſtis	L
12	veſtris commoratur			veſtris commorantur	l
9	& poſtea		XIII.	& poſt te	L
7	venerit		XV.	devenerit	L
4	fermentum		XVI.	fermentatum	L
22	neque conſtitues ſtatuam			ſtatuam, neque conſtitues	
8	lepram, & lepram		XVII.	lepram, & non lepram	L
	intra portas			inter portas	L

12 &

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
12	& decreto judicis			ex decreto judicis	L
1	reliquo Iſraël	l	XVIII.	reliquo populo Iſraël	
10	nec ſit	L		non ſit	
15	genuerintque ex eo		XXI.	genueritque ex eis	l
18	qui non audiat			qui non audierit	L
8	labente alio	L	XXII.	labente illo	
5	domi ſuæ		XXIV.	domui ſuæ	L
6	oppoſuit			appoſuit	L
7	nomen fratris		XXV.	ſemen fratris	l
	in conjugem			in conjugium	L
12	abſcides			abſcindes	L
4	de manu tua		XXVI.	de manu ejus	l
11	& epulaberis			epulaberis	L
16. 17.	& cuſtodias			ut cuſtodias	L
18	& Dominus			en Dominus	l
40	peribunt		XXVIII.	deperibunt	L
57	illuvie ſecundarum			illuvie ſecundinarum	L
6	quia ego ſum		XXIX.	quia ipſe eſt	l
11	advena, qui tecum moratur			advenæ, qui tecum morantur	l
19	abſumat			aſſumat	L
3	reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam		XXX.	reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua	l
5	fuerunt			fuerint	L
6	ad conſpectum	L	XXXI.	conſpectum	
30	perſequatur... fugent		XXXII.	perſequebatur... fugabant	l
35	retribuam in			retribuam eis in	l
39	ego occidam,	L		ego occido,	
	& ego vivere faciam	L		& ego vivere facio	
49	Tranſituum	L		Tranſitum	
2	omnem terram Juda		XXXIV.	omnem terram	l

J O S U Ë.

6	Patribus ſuis		Cap. I.	Patribus tuis	l
18	ſignum fuerit	l	II.	ſignum non fuerit	
1	ibi tres dies		III.	ibi per tres dies	L
16	Adom			Edom	l
17	contra Jericho			contra Jordanem	l
9	Arcam fœderis		IV.	Arcam fœderis Domini	l

12	filios Israël		IV.	fratres suos filios Israël	L
14	adviveret			adhuc viveret	L
2	In manu tua		VI.	In manus tuas	I
4	tollant			tollent	L
19	auri, & argenti			auri, aut argenti	I
24	erant in ea			inventa sunt in ea	I
5	triginta sex... instar		VII.	triginta & sex... ad instar	L
1	in manu tua		VIII.	in manum tuam	L
5	accedemus			ascendemus	I
33	& majores natu			& omnes majores natu	I
4	& callidè		IX.	callidè	I
8	& unde			aut unde	L
10	qui erat			qui erant	L
22	Producite	L	X.	Adducite	
23	eduxerunt			adduxerunt	I
24	educti			adducti	I
41	Gosen			Gessen	I
2	in regionibus		XI.	regionibus	L
8	ita			itaque	L
12	regesque			reges quoque	L
16	Gosen			Gessen	I
19	quæ se traderet			quæ se non traderet	I
22	in quibus solis			in quibus solùm	L
2	Jaboc		XII.	Jeboc	L
8	in Asedoth			in Aseroth	I
15	Odullam			Adullam	L
1	Edom desertum		XV.	Edom usque ad desertum	I
2	de Bethel Luza		XVI.	de Bethel Luzam	L
12	in terra sua		XVII.	in terra ipsa	I
2	Remanserant		XVIII.	Remanserunt	I
11	Merala		XIX.	Medalaa	I
15	Jerala			Jedala	I
4	de Tribubus Juda		XXI.	de Tribu Juda	L
36	*In Editione Sixti V. est ℣. 36. ille, qui in Clem. VIII. est 37. & econtra*				L
13	Eleazari Sacerdotis		XXII.	Eleazari Sacerdotem	I
17	multique de	L		multi enim de	
22	Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus.			Fortissimus Deus Dominus.	I
27	quòd audierit		XXIV.	quòd audieritis	I

JUDICUM.

9	Et in campeſtribus		Cap. I.	In campeſtribus	L
30	Naalol			Naalon	l
35	Teſtacco			Teſtatio	l
21	in ventre		III.	in ventrem	L
24	cubiculo			cœnaculo	L
4. 9. 14.	Debbora		IV.	Debora	L
17	erat enim			erat autem	L
21	conſocians			ſocians	L
22	dixit ei	L		& dixit ei	
1. 12.	Debbora		V.	Debora	L
17	qui loqueris	L	VI.	qui loquaris	
36. 39. 40.	ad Deum			ad Dominum	l
3	de populo		VII.	ex populo	L
23	Betſetta			Bethſeca	l
	Tebbath			Tabbath	L
7	ita audiat		IX.	ita ut audiat	L
19	hodie lætamini			hodie lætemini	L
8	terra Amorrhæi, qui		X.	terra Amorrhæi, quæ	L
1	Fuit illo tempore		XI.	Fuit itaque illo in tempore	L
13. 22.	Jaboc			Jeboc	L
13	Illel		XII.	Elel	L
5	quia concipies, & paries	L	XIII.	quia paries	
7	ex utero			& ex utero	L
22	Deum			Dominum	l
3	populo meo		XIV.	populo tuo	L
11	út eſſent cum eo			qui eſſent cum eo	L
9	effuſus		XV.	fuſus	L
14	lina conſumi			ligna conſumi	l
9	ſtuppæ tortum putamine		XVI.	ſtupa tortum ſputamine	L
1	Fuit eo		XVII.	Fuitque eo	L
2	meus Domino	L		meus à Domino	
3	Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei: Conſecravi, & vovi	L		Conſecravi enim, & vovi	
31	Non erat Rex	L	XVIII.	Nec erat Rex	
5	pauxillum		XIX.	puſillum	L

Vers.	Clementis VIII.	et	Sixti V.	
11	jamque erant		jamque aderant	L
16	ictus lapidis L	XX.	jactus lapidis	
18	Deum 27. Dei		Dominum 27. Domini	L
40	viderent		viderunt	I
13	ut eos ſuſciperent	XXI.	ut eas ſuſciperent	I
24	non erat Rex L		nec erat Rex	

R U T H.

11. 12. 13.	Filiæ meæ	Cap. I.	Filiæ mi	L
11	habeo		habebo	L
17	Dominus		Deus	I
2. 22.	Filia mea	II.	Filia mi	L
1	Filia mea	III.	Filia mi	L
7	diſcooperto pallio, à pedibus ejus ſe projecit		Diſcooperto pallio à pedibus ejus ſe projecit	L
15	quæ te diligit	IV.	qui te diligit	L

I. R E G U M.

9	Templi Domini	Cap. I.	Domus Domini	L
19	ſuam Ramatha		in Ramatha	L
11	Ramatha	II.	in Ramatha	L
26	Domino		Deo	L
30	glorificaverit me		honorificaverit me	L
3	: lucerna Dei antequam extingueretur, Samuël dormiebat	III.	lucernam Dei antequam extingueretur: Samuël autem dormiebat	I
1	& egreſſus eſt	IV.	egreſſus eſt namque	L
4	Dei, Ophni		Domini, Ophni	I
9	vobis		nobis	L
10	à facie Iſraël	VII.	à filiis Iſraël	L
1	filii Seror	IX.	filii Seor	I
7	ſitarciis		ſitarchiis L Ciſtertiis	
26	& dimittam te		ut dimittam te	I
12	quis pater eorum	X.	quis pater ejus	I
6	terra Ægypti	XII.	terra Ægypti adeſt	I
11	Badan		Badan, & Samſon, & Barac	I
15	& ſuper L		ſicut & ſuper	
23	in Dominum		in Domino	L

18 im-

18	imminentis		XIII.	in terra Sabaa imminentis	1
2	quæ erat in Magron		XIV.	quæ erat in agro Gabaa	1
14	jugeri			jugeris	L
15	per agros			& per agros	1
	conturbata est terra			conturbata sunt castra	1
6	descendite		XV.	discedite	L
22	voci Domini	L		voci ejus	
32	dixit Agag	L		dixit Samuël Agag	
33	& ait Samuël	L		& ait	
7	quæ parent	L	XVI.	quæ apparent	
12	surge, unge eum			surge, & unge eum	L
5	squamata		XVII.	hamata	L
13	tertiusque			tertius quoque	L
42	erat enim			erat autem	L
52	& usque ad Geth			usque ad Geth	1
55	adolescens Abner? Dixitque			adolescens? Dixitque	1
6	David, egressæ		XVIII.	David, & ferret caput ejus in Jerusalem, egressæ	1
20	filia Saul altera			filiam Saul alteram	1
3	ubicumque fueris		XIX.	ubicumque fuerit	1
24	& cecidit			& cecinit	1
9	absit hoc à te		XX.	absit hoc à me	1
22	sagittæ intra te	L		sagittæ citra te	
42	semen meum, & semen tuum			semen tuum, & semen meum	L
7	Audite nunc		XXII.	Audite me nunc	1
13. 15.	Deum			Dominum	1
7. 14.	Deus		XXIII.	Dominus	L
23	abstruserit			obstruxerit	L
7	Domini est. Et confregit		XXIV.	Domini est. Vivit Dominus quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius mihi sit Dominus, ut non mittam manum meam in Christum Domini. Et confregit	1
9	autem & David			autem David	L
6	sit pax. Audivi		XXV.	sit pax. Ex multis annis salvos faciens tuos, & omnia tua. Audivi	1

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
3	vir, & domus ejus		XXVII.	& domus ejus	I
3	de terra. Congregatique		XXVIII.	de terra: & interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre. Congregatique	I
19	quidquam		XXX.	quisquam	I
27	qui in Jether			qui in Gether	L
4	gladium, & irruit		XXXI.	gladium suum, & irruit	I
12	ea ibi			ea ibi igni	I

II. REGUM.

5	Vos Domino	L	II.	Vos à Domino	
13	hi ex una			hi in una	L
22	noli me sequi			& noli me sequi	L
24	itineris			& itineris	I
1	domum Saul, & inter domum David		III.	domum David, & inter domum Saulis	L
20	viris ejus	L		viri ejus	
23	qui erat			qui erant	L
28	apud Dominum			apud Deum	L
29	deficiat	L		deficiet	
6	Nachon		VI.	Nachor	I
12	Abiit			Dixitque David: Ibo & reducam arcam Dei cum benedictione in domum meam. Abiit	I
13	bovem, & arietem			bovem, ovem, & arietem	I
14	& David saltabat			& David percutiebat in organis armigatis, & saltabat	I
19	bubulæ			bubalæ	L
21	ad Michol: Ante Dominum			ad Michol: Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum	I
8	nimis		VIII.	nimis, de quo fecit Salomon omnia vasa ærea in Templo, & mare æneum, & columnas, & altare.	I
13	millibus, & posuit			millibus, & in Gebelem ad viginti tria millia, & posuit	I
11	mensam meam	I	IX.	mensam tuam	
15	Videntes igitur Syri quoniam		X.	Videntes igitur filii Ammon quoniam Syrus expavit, & quoniam	I

19 præ-

19	præbere ultra filiis		X.	præbere filiis	l
13	in ſtrato		XI.	in ſtratu	L
27	Tranſacto autem			Tranſactoque	L
19	vidiſſet		XII.	audiſſet	l
23	quare jejunem			quare jejuno	L
2	deperiret eam		XIII.	deperiret in eam	l
10	*bis* in conclave			in conclavi	L
37	cunctis diebus			multis diebus	l
16. 17.	Dei		XIV.	Domini	L
2	Portæ		XV.	Portæ in via	l
7	poſt quadraginta	l		poſt quattuor	
10	regnavit			regnabit	L
14	impellat			impleat	'l
23	contra viam			contra viam olivæ	l
24	depoſuerunt arcam Dei			depoſuerunt arcam fœderis Dei	L
34	Rex: ſicut			Rex, patere me vivere: ſicut	l
36	ſunt autem			ſunt enim	L
1	utre vini		XVI.	duobus utribus vini	l
2	Siba: Aſini domeſticis regis	l		Siba: Domine mi rex, Aſini pro domeſticis regis ſunt	
9	mortuus			moriturus	L
11	nunc filius			hic filius	l
22	Fili mi? Non eris		XVIII.	Fili mi? Veni huc, non eris	l
4	Fili mi, fili mi		XIX.	Fili mi	l
10	Regem? Rex			Regem? Et conſilium totius Iſraël venit ad Regem. Rex	.l
11	domo ejus			domo ejus, quia dixerat Rex: Hæc dicetis ad populum Juda	l
35	& potus			aut potus	L
10	appoſuit, & mortuus eſt		XX.	appoſuit	l
14	in Abelam			uſque in Abelam	L
18	perficiebant			proficiebant	L
22	Seba			Sebæ	L
26	Jairites	L		Jatrites	
7	de templo ſuo		XXII.	de templo ſancto ſuo	l
17	Miſit de excelſo			Miſit de cœlo	L
36	manſuetudo tua			manſuetudo mea	l
1	Verba David noviſſima		XXIII.	Verba noviſſima, quæ	L

8 Da-

8	David. Sedens		XXIII.	David. David sedens	1
15	David, &			David aquam de lacu, &	1
33	Semma de Orori			Semma de Orodi 1 Horodi	
6	Hodsi		XXIV.	Hadsi	L
16	afflictione			afflictionem	L
23	Areuna Rex Regi			Areuna Regi	L

III. REGUM.

8	Semei, & Rei		Cap. I.	Semei, & Cerethi, & Phelethi	1
35	veniet			venietis	1
50	abiit			abiit in Tabernaculum Domini	1
3	Observa custodias		II.	Observa ut custodias mandata	1
4	vias suas			vias meas	1
28	ad Joab, quòd			ad Salomonem, quòd	1
42	ieris			fueris	1
46	egressus			aggre[illegible]s	1
10	Benhesed in Aruboth		IV.	Bethhesed in Aruboth	1
21	regna à			regna secum à	1
24	flumen à Thaphsa			flumen quasi à Thaphsa	1
26	currilium	L		currulium	
31	Ezrahita			Ezrahitæ	L
32	tria millia parabolas	L		parabolas tria millia	
32	quinque, & mille			quinque millia	L
8	in parte		VI.	in pariete	1
9	& extrinsecùs usque		VII.	& intrinsecùs usque	1
24	striatarum			histriatarum	1
25	stabat			stabant	1
26	capiebat			capiebat, & tria millia Metretas	1
35	dimidii cubiti			unius, & dimidii cubiti	L
2	Ethanim		VIII.	Bethanim	1
23	1592. qui ambulant 1593. qui ambulabant			qui ambulant	L
60	ut sciant			& sciant	1
1	Hetthæas		IX.	Cethæas	L
5	Sidoniorum			Sidoniorum, & Chamos Deum Moabitarum	1
10	Sic loquêris ad eos: Minimus	L	XII.	Minimus	

21 viro-

21	virorum bellatorum			virorum, & bellatorum	L
23	Prophetæ		XIII.	Propheta	I
29	Prophetæ ſenis	I		Prophetes ſenex	
1. 7. 8.	Abiam	L	XV.	1. 8. Abias 7. Abiæ	
24	Samariam. Fecit		XVI.	Samariæ. Fecit	L
18	oſculans manus		XIX.	oſculans manum	L
13	prædicant	L	XXII.	prædicunt	
15	tradet eam Dominus			tradet eum Dominus	

IV. REGUM.

26	Gladium		III.	Gladios	L
1	Dominum		IV.	Deum	L
27	celavit à me	L		celavit	
35	deambulavit			deambulabat	L
42	primitiarum viginti			primitiarum, & viginti	I
13	quia nunc dixit	L	V.	quia tantùm dixit	
17	ùt vis	L		ſi vis	
13	in Dothan		VI.	in Dothaïn	L
15	egreſſus	L		egreſſus portam	
29	dixiqúe ei	L		dixitque ei	
26	Naboth, & pro ſanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam	L	IX.	Naboth, quem vidi heri, ait Dominus, ſanguinem filiorum ejus reddam	
27	in aſcenſu Gaver			in aſcenſu Gaber	I
6	obſervet	L	XI.	obſerves	
6	ad portam Sur			ad portam Seïr	I
9	ingrediebantur Sabbatum			ingrediebantur Sabbato	I
17	Dominum, & inter regem, & inter populum			Dominum, & inter populum	
17	quindecim annis		XIV.	viginti quinque annis	I
22	Ælath			Ailam	I
23	Joas	L		Joias	
19	in terram		XV.	in Therſam	I
20	in terra			in Therſa	I
12	Rex de Damaſco, vidit	L	XVI.	Rex, vidit	
25	collium pugnantium		XIX.	collium compugnantium	L
37	Armeniorum	L		Armenorum	

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
1	Præcipe domui tuæ	L	XX.	Diſpone domui tuæ	
3	Aſlia	L	XXII.	Aſſia	
20	quæ inducturis			quæ introducturus	L
11	Nathanmelech	L	XXIII.	Nathamelech	
33	Rebla			Reblatha	l
34	& mortuus eſt ibi. Argentum			Argentum	L
14	Cluſorem		XXIV.	Incluſorem	L
16	Cluſores			Incluſores	L
19	ſexaginta viros		XXV.	ſex viros	l
23	Netophathites	L		Metophathites	

I. PARALIPOMENON.

31	Jetur		Cap. I.	Jachur	l
38	Sebeon, Ana, Diſon			Sebeon, Ava, Diſon	L
3	filiâ Suë Chananitide	L	II.	filiâ Suë Chananitidis	
6	Dara			Darda	l
13	Abinadab			Aminadab	l
22	Saphat ſex numero		III.	Saphat, & Seſa ſex numero	l
7	Iſaar, & Ethnan		IV.	& Sahar, & Ethnan	L
20	Amnon, & Rinna			Ammon, & Rinna	l
10. 19. 20.	Agareos		V.	Agarenos	L
28	Abia	L	VI.	Ahia	
62	Aſer	L		Aſſer	
75	Hucac			Aſach	l
15	accepit uxores		VII.	accepit uxorem	L
40	ad centum quinquaginta		VIII.	ad centum quinquaginta millia	l
28	De horum genere		IX.	De horum grege	l
21	inter tres ſecundos		XI.	inter tres ſecundus	L
20	Principes millium		XII.	Principes militum	l
2	& à Domino	L	XIII.	à Domino	
2	David quòd...		XIV.	David eo quòd...	L
	& ſublevatum eſſet			ſublevatum eſt	L
36	Hymnum Domino		XVI.	Hymnum Deo	L
40	veſpere			veſperi	L
42	Deo			Domino	L
3	Sermo Dei		XVII.	Sermo Domini	L
5	hoc mandaſſent	L	XIX.	hoc amandaſſent	

17	nunciatum			annunciatum	L
3	à triginta annis		XXIII.	à viginti annis	l
5	totidem Psaltæ			totidem Psaltes	L
29	ad lagana azyma			ad lagana, & azyma	L
2	prophetantis		XXV.	prophetantes	l
5	Videntis Regis			Videntes Regis	l
7	Elzabad fratres		XXVI.	Elzabad, & fratres	L
21	Filii Ledan			Filii quoque Ledan	L
25	fratres quoque ejus			frater quoque ejus	l
28	omnes, qui			omnesque	l
29	Chonenias, & filii			Chonenias; & filiis	L
16	præerant Israël		XXVII.	præerant in Israël	L
31	Agareus			Agarenus	L

II. PARALIPOMENON.

1	Dominus Deus ejus erat		Cap. I.	Dominus erat	l
3	Fœderis Dei			Fœderis Domini	L
17	Hethæorum			Cethæorum	l
10	totidem, & vini viginti millia Metretas, olei		II.	totidem, olei	l
13	Hiram patrem meum	L		Hiram ùt patrem meum	
17	quinquaginta millia, & tria millia			quinquaginta tria millia	L
18	in montibus cæderent			de montibus cæderent	L
7	jussa erant fieri		IV.	jusserat fieri	l
16	Hiram pater ejus in domo	L		Hiram in domo	
22	in Sancta sanctorum			in Sancto sanctorum	L
13	impleretur domus	L	V.	impleretur ita domus	
14	nec possent stare			ne possent stare	L
16	vias suas		VI.	vias meas	l
42	averteris			avertaris L averseris	
18	qui sit princeps		VII.	qui non sit princeps	l
15	& in custodiis	L	VIII.	etiam in custodiis	
3	quadringenta... octingenta		XIII.	quadraginta... octoginta	l
17	quingenta millia			quinquaginta millia	l
1. 8.	Oded		XV.	Obed	l
7	Asa		XVI.	Asam	L
8	cùm Domino			cùm in Domino	L

14 Principes		XVII.	Princeps	l
36 facerent		XX.	faceret	L
8 egressuri		XXIII.	egressi	l
5 Dei vestri		XXIV.	Dei nostri	l
18. 23. Judam	L		Juda	
1 Joaden		XXV.	Joadan	l
5. 10. Judam	L		Juda	
5 supra, invenitque trecenta			sursum, invenitque triginta	l
9 Oded		XXVIII.	Obed	l
3 non enim potuerant		XXX.	non enim occurrerant	l
1. 25. Judam	L	XXXII.	Juda	
12 coram altari uno	L		coram altare uno	
29 urbes ædificavit			urbes sex ædificavit	l
7 Dei... Deus		XXXIII.	Domini... Dominus	L
9 Judam 16. Judæ	L		Juda	
3. 5. Judam	L	XXXIV.	Juda	
3 postquam regnare cœperat			postquam cœperat	l
27 in conspectu Dei			in conspectu Domini	L
9 Nathanaël fratres	L	XXXV.	Nathanaël, & fratres	
18 omni Judæ	L		omni Juda	
4. 10. super Judam	L	XXXVI.	super Juda	

I. ESDRÆ.

1 Judam	L	II.	Juda	
2. 36. 40. Josuë			2. Jesua 36. 40. Jesuë	L
66 septingenti			sexcenti	l
69 sexaginta millia			quadraginta millia	l
7 Joppe		III.	Joppes L Joppen	
1. 4. 6. Judæ	L	IV.	Juda	
23 consiliariis	L		consiliarii	
13 Domus Dei hæc		V.	Domus Dei	L
15 sextus regni Darii Regis		VI.	sextus Darii Regis	L
1 Hi sunt ergo	L	VIII.	Hi sunt autem	
3 Secheniæ, filiis			Secheniæ, & de filiis	L
14 converteremur	L	IX.	averteremur	
1 implorante eo		X.	implorante Deum	l
31 Josuë			Jesuë	L

II. ES-

II. ESDRÆ.

2	Viri ex Juda		Cap. I.	Viri Juda	I
6	conſtitui ei tempus	L	II.	conſtituit ei tempus	
8	portas turris domus			portas Templi, turres, domos	
6	ipſi texerunt eam.		III.	ipſi texuerunt eam	L
19	Joſuë	L		Jeſuë	
28	à porta			ad portam	I
31	aurifices			artifices	I
22	ſint nobis vices		IV.	ſint vobis vices	I
9	Dixique	L	V.	Dixitque	
2	in viculis in campo		VI.	in vitulis in campo	I
12	Ælam mille ducenti		VII.	Ælam mille octingenti	I
21	Hezeciæ nonaginta octo			Hezeciæ nongenti octo	I
39	in domo Joſuë			in domo Jeſua	L
66	trecenti ſexaginta			ſexcenti ſexaginta	I
69	*Inter ℣. 69. & 70. ponitur Nota, ſeu verba S. Hieronymi in Editione Clem. VIII. quæ Hieronymi verba omittuntur in Sixti V.*				
6	Domino Deo magno		VIII.	Domino Deo voce magnâ	I
8	Hethæi, & Amorrhæi		IX.	Hethæi, & Hevæi, & Amorrhæi	L
29	quæ faciet homo, & vivet	L		quæ faciens homo vivet	
17	Filius Idithum		XI.	Filius Idithun	L
25	de filiis Juda	L		de filiis Judæ	
30	Lachis... & Azeca	L		in Lachis... & in Azeca	
36	Judæ	L		Juda	
4	Genthon	L	XII.	Genthom	
7. 10. 24. 26.	Joſuë			Jeſuë	
9	Gazophylacia		XIII.	Gazophylacium	L

TOBIAS.

21	In correptione		III.	In correctione	
24	fecit ſcripturam		VIII.	fecit hanc ſcripturam	L

JUDITH.

2	Latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta		Cap. I.	Altitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in latitudinem cubitorum triginta	L
10	& venerunt	L	VIII.	qui venerunt	

7	Confirma me Domine	L	XIII.	Confirma Domine	
10	bis in cervicem ejus	L		bis cervicem ejus	
8	de prædationibus	L	XV.	deprædationibus	
2	Exaltate		XVI.	Exultate	L

E S T H E R.

14	Deducebatur		II.	Deducebantur	l
4	induerent eum		IV.	indueret eam	l
11	delerent, & spolia eorum diriperent		VIII.	delerent	l
10	tangere		IX.	agere	l
			X.		

In Editione Clem. VIII. post ℣. 3. interponitur Nota, seu quædam verba Hieronymi, quæ in Bibliis Sixti V. omittuntur: prout similes Notæ etiam omittuntur in Exemplari Sixti V. quæ in Clem. VIII. ponuntur Cap. XI. 1. XII. 6. XIII. 7. XV. ante initium Capitis, & post ℣. 3. item XVI. ante initium.

6	qui fuerant interfecti. *Hucusque procemium. Quæ sequuntur in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine:* Et diripuerunt bona, vel substantias eorum. *Quæ in sola Vulgata editione reperimus.* Epistolæ autem hoc erat exemplar	L	XII.	qui fuerant interfecti. Et diripuerunt bona, vel substantias eorum. Epistolæ autem hoc exemplar fuit	
1	Et mandavit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) ut		XV.	Et mandavit ei Mardochæus, ut	

J O B.

17	Incaluerit		VI.	Incaluerint	L
26	Deum meum	l	XIX.	Deum Salvatorem meum	
25	eductus	l	XX.	gladius eductus	
7	perveniat		XXIII.	perveniet	L
21	quæ non parit		XXIV.	& quæ non parit	L
12	orientis calamitates		XXX.	orientis calamitatis	l
15	abstulisti quasi ventus			abiit quasi ventus	
24	consumptionem eorum			consumptionem meam	L
24	si corruerint			si corruerim	
7	secutum est oculos meos cor meum		XXXI.	secutus est oculus meus cor meum	l
40	*Finita sunt verba Job*			o	

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
37	quia addit		XXXIV.	qui addit	1
7	illi eriguntur		XXXVI.	illic eriguntur	1
33	& ad eam	L		ut ad eam	
9	Ab interioribus	L	XXXVII.	Ab interioribus Auſtri	
41	Clamant ad Deum, vagantes	L	XXXVIII.	Clamant ad Deum, vagientes	
14	fulmina		XLI.	flumina	1

P S A L M I.

Quoad Titulos Pſalmorum notandum eſt, in Editione Sixti V. omnibus Pſalmis præponi vocem Pſalmus, *vel abbreviatè* Pſal. *quâ occaſione, ubi in Bibliis Clem. VIII. pro Titulo eſt* In finem Pſalmus David, *ibi inverſo ordine habetur in Sixti V.* Pſalmus David In finem. *His generaliter notatis, alias tantùm differentias allegabo.*

5	Ideò non reſurgent		Pſalm. I.	Ideò non reſurgunt	1
Tit.	Abſalom	L	III.	Abſalon	
Tit.	In carminibus	L	IV.	Cantici	
4	Et ſcitote	L		Scitote	
5	in cubilibus			& in cubilibus	1
Tit.	conſequitur	L	V.	accepit	
Tit.	In carminibus	L	VI.	In Hymnis	
Tit.	Tituli inſcriptio ipſi David	L	XV.	Pſalmus David	
Tit.	In finem puero Domini David, qui locutus eſt Domino verba cantici hujus... Saul, & dixit	L	XVII.	Pſalmus David in finem pro puero Domini David... Saul.	
7	Exaudiet		XIX.	Exaudiat	1
Tit.	Pſalmus David	L	XXII.	Pſalmus David in finem	
Tit.	In finem Pſalmus David	1	XXV.	Pſalmus David	
4	videam voluptatem		XXVI.	videam voluntatem	1
Tit.	Ipſi David		XXVII.	David	
3	Ne ſimul trahas me			Ne ſimul tradas me	1
7	in ipſo ſperavit			& in ipſo ſperavit	1
Tit.	Cantici	L	XXIX.	Cantici in finem	
Tit.	Ipſi David intellectus	L	XXXI.	Pſalmus David. Intelligentia	
Tit.	Davidi L ... Achimelech		XXXIII.	David ... Abimelech	L
Tit.	Ipſi David		XXXIV.	David	
25	devoravimus			devorabimus	1
26	qui magna loquuntur			qui maligna loquuntur	1
Tit.	Ipſi David	L	XXXV.	David	

Tit.

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
Tit.	Ipsi David	L	XXXVI.	David	
2	& quemadmodùm	L		quemadmodùm	
14	ut dejiciant pauperem			ut decipiant pauperem	l
21	miseretur, & tribuet	l		miseretur, & retribuet	
Tit.	Rememorationem		XXXVII.	Recordationem	
Tit.	In finem ipsi Idithun canticum David		XXXVIII.	Psalmus Canticum David in finem pro Idithun	
2	Beatus, qui		XL.	Beatus vir, qui	l
3	ad Deum fortem vivum		XLI.	ad Deum fontem vivum	l
Tit.	David	l	XLII.	David in finem	
Tit.	In finem filiis		XLIII.	Filiis	
Tit.	In finem pro iis, qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum	L	XLIV.	Psalmus filiis Core, pro iis, qui commutabuntur, in intellectu	
Tit.	Filiis Core pro arcanis	L	XLV.	Pro filiis Core pro occultis	
Tit.	In finem... Psalmus	L	XLVI.	Psalmus David in finem	
Tit.	Psalmus Cantici	L	XLVII.	Psalmus Laus Cantici	
Tit.	In finem filiis Core Psalmus	L	XLVIII.	Psalmus David in finem filiis Core	
4	Advocabit		XLIX.	Advocavit	l
Tit.	In finem Psalmus	L	L.	Psalmus	
16	Exultabit	L		Exaltabit	
Tit.	Achimelech		LI.	Abimelech	l
Tit.	Pro Maeleth intelligentiæ David		LII.	Pro Amalech intellectus David	
7	converterit Deus			converterit Dominus	
Tit.	in carminibus...dixissent	L	LIII.	in Hymnis... dixerunt	
Tit.	in carminibus	L	LIV.	in Hymnis	
Tit.	Ne disperdas	L	LVI.	Ne corrumpas	
Tit.	Ne disperdas	L	LVII.	Ne corrumpas	
2	recta judicate			rectè judicate	l
Tit.	Ne disperdas	L	LVIII.	Ne corrumpas	
12	Deus ostendet			Deus ostendit	L
17	exultabo			exaltabo	l
Tit.	David... Idumæam	L	LIX.	Ipsi David... Edom	
7	Si memor fui		LXII.	Sic memor fui	l
11	Rivos ejus inebria	l	LXIV.	Rivos ejus inebrians	
17	exaltavi		LXV.	exultavi	l
Tit.	Ipsi David	L	LXVII.	David	

Tit. se-

Tit.	fecerit		LXIX.	fecit	
Tit.	priorum captivorum	L	LXX.	eorum, qui primi captivi ducti sunt	
20	Defecerunt laudes David filii Jesse	L	LXXI.	o	
Tit.	Asaph	L	LXXII.	Asaph. Defecerunt hymni David filii Jesse	
16	ut cognoscerem hoc, labor			ut cognoscerem, hoc labor	
Tit.	In finem Ne corrumpas. Psalmus cantici Asaph		LXXIV.	Psalmus cantici Asaph. In finem: Ne corrumpas.	
4	potentias arcuum, scutum		LXXV.	potentias, arcum, scutum	l
11	Nunc cœpi	L	LXXVI.	Nunc cœpit	
45	Cœnomyiam		LXXVII.	Cynomyiam	l
53	deduxit eos in spe			eduxit eos in spe	l
13	in generationem	L	LXXVIII.	in generatione	
Tit.	Ipsi Asaph	L	LXXX.	Asaph... quinta sabbati	
Tit.	Ipsi David	L	LXXXV.	David	
Tit.	Eman Ezrahitæ	L	LXXXVII.	Eman Israëlitæ	
Tit.	Ethan Ezrahitæ	L	LXXXVIII.	Ethan Israëlitæ	
2. 5.	In generationem	l		In generatione	
8	in consilio			in concilio	L
14	& exultavimus	L	LXXXIX.	exultavimus	
4	In Decachordo, Psalterio		XCI.	In Decachordo Psalterio	
12	in insurgentibus			insurgentibus	l
XCII. XCIII. XCIV. XCV. XCVII. XCVIII. C. CII. CIII. CVII. CXXXVII. CXLIV.					
Tit.	Ipsi David			David	
5	in longitudinem dierum		XCII.	in longitudine dierum	l
9	probaverunt me, & viderunt		XCIV.	probaverunt, & viderunt	L
Tit.	Huic David	L	XCVI	David	
4	Illuxerunt			Alluxerunt	L
5	in generationem	L	XCIX.	in generatione	
Tit.	Oratio pauperis cùm anxius fuerit... effuderit		CI.	Oratio inopis cùm angeretur ... effunderet	
11	iræ, & indignationis			iræ indignationis	l
13. 25.	in generationem			in generatione	L
31	Cœnomyia		CIV.	Cynomyia	l
31	in generationem		CV.	in generatione	l
Tit.	Alleluia	L	CVI.	Alleluia Alleluia	
40	Effusa est contemptio			Effusa est contentio	l

26	Secundum misericordiam	L	CVIII.	Propter misericordiam	
7	bibet, propterea exaltabit	L	CIX.	bibit, propterea exaltavit	
Tit.	Reversionis	l	CXI.	Conversio	
4	nunc, qui timent		CXVII.	nunc omnes, qui timent	l
48	exercebar		CXVIII.	exercebor	l
73	& discam			ut discam	l
86	iniquè			iniqui	l
90	in generationem			in generatione	L
4	concìdit		CXXVIII.	concìdet	l
7	non implevit			non implebit	l
11	non frustrabitur eam		CXXXI.	non frustrabitur eum	l
13	in generationem	L	CXXXIV.	in generatione	
Tit.	Hieremiæ		CXXXVI.	propter Hieremiam	l
9	parvulos tuos			parvulos suos	l
14	cognoscit		CXXXVIII.	cognoscet	l
20	civitates tuas			civitates suas	l
4	serpentis		CXXXIX.	serpentes	L
Tit.	quando persequebatur eum Absalom filius ejus	L	CXLII.	quando eum filius suus persequebatur	
9	In Psalterio, Decachordo		CXLIII.	In Psalterio Decachordo	L
10	in generationem		CXLV.	in generatione	L
2	filii Sion		CXLIX.	filiæ Sion	l
4	exaltabit			exaltavit	l
6	Exaltationes			Exultationes	l

PROVERBIA.

9	Da ei		III.	Da pauperibus	
14	negotiatione argenti, & auri primi, &			negotiatione auri, & argenti, primi, &	l
13	Ipsa est vita tua		IV.	Ipsa est via tua	L
16	rapitur somnus			non capitur somnus	
30	fuerit: furatur enim ut	L	VI.	fuerit, ut	
31	deprehensus quoque	L		deprehensus tamen	
10	ad capiendas animas		VII.	ad decipiendas animas	l
11	cunctis pretiosissimis		VIII.	cunctis opibus pretiosissimis	l
Tit.	Parabolæ Salomonis	L	X.	o	
13	fidelis est animi,		XI.	fidelis est,	l

11 de-

11	demorationibus		XII.	morationibus	
12	munimentum			monimentum	I
17	index justitiæ			judex justitiæ	I
5	mentitur		XIV.	mentietur	L
9	stultus	L		stultis	
23	in omni opere erit			in omni bono opere erit	I
27	ut declinent			ut declinet	L
10	deferenti		XV.	deferentium	I
21	majora percipiet		XVI.	majora reperiet	I
19	Qui exaltat ostium		XVII.	Qui exaltat os suum	I
5	impii, non est bonum		XVIII.	impii in judicio, non est bonum	I
10	ad ipsum			ad ipsam	I
22	& impius			& insipiens	I
23	loquetur			loquitur	L
24	Vir amabilis			Vir amicabilis	L
23	pessima		XIX.	pessimi	L
26	& tugat matrem			& fugit matrem	I
15	& vas		XX.	vas autem	I
25	devorare sanctos			devotare sanctos	I
18	datur impius		XXI.	dabitur impius	I
21	vitam, justitiam, & gloriam	L		vitam, & gloriam	
22	& destruxit			detraxitque	
27	quia			quæ	I
3	vidit		XXII.	videt	L
17	inclina			Fili mi inclina	I
16	rectum labia		XXIII.	recta labia	L
10	lassus		XXIV.	lapsus	I
16	septies enim cadet justus	I		septies enim in die cadit justus	
23	sapientibus	L		sapientibus dico	
27	ut postea			& postea	L
33	Parum			Usque quo piger dormies? Usque-quo de somno consurges? Parum o	I
24	Meliùs est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi	L	XXV.		
2	avis ad alia transvolans		XXVI.	avis ad alta transvolans	I
20	conquiescent			conquiescunt	L
4	concitati		XXVII.	concitati spiritus	I
11	possis			possim	L

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
16	vocabit	l	XXVII.	evacuabit	l
24	in generationem			in generatione	L
26	ad agri			agri	l
8	Qui coacervat divitias usuris & fœnore, liberali in pauperes		XXVIII.	Qui coacervat divitias usuris & fœnore liberali, in pauperes	L
26	salvabitur			laudabitur	l
17	effodiant eum corvi	L	XXX.	effodiant corvi	
31	& aries: nec est rex, qui	l		& aries: & rex, cui non est, qui	
7	bibant	L	XXXI.	ut bibant	
29	congregaverunt divitias	L		congregaverunt sibi divitias	

ECCLESIASTES.

1	Dixi ego		II.	Dixi ergo	l
16	ùt indoctus	L		& indoctus	
19	Sed & ab illo	L	VII.	Et ab illo	
14	vanitas, quæ fit super terram	L	VIII.	vanitas super terram	
2	Da partem septem	l	XI.	Da partes septem	

CANTICUM.

8	Vestigia gregum	l	Cap. I.	Vestigia gregum tuorum	
13	Surge amica mea	l	II.	Surge, propera amica mea	
17	montes Bether			montes Bethel	l
12	Sulamitis		VI.	Sunamitis	l
1	Sulamite		VII.	Sunamite	l

SAPIENTIA.

6	Maledicum		Cap. I.	Maledictum	l
15	immortalis	L		immortalis. Injustitia autem mortis est acquisitio	
16	digni sunt, qui sint			morte digni sunt, qui sunt	
10	nec veterani revereamur canos		II.	nec veterano, nec revereamur canos	l
11	lex justitiæ			lex injustitiæ	l
3	& quod à nobis est iter, exterminium		III.	& quod ab itinere justo abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminii	L
15	quæ non concidat			quæ non concidit	l
16	in inconsummatione			in consumptione	
6	Ex iniquis enim somnis		IV.	Ex iniquis enim omnes	L

18 Vi-

18	Videbunt, & contemnent			Videbunt autem, & contemnent	
3	Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes,& præ anguſtiâ ſpiritûs gementes.	L	V.	Gementes præ anguſtiâ ſpiritûs, & dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes.	
21	duram iram			diram iram	L
23	plenæ mittentur grandines	L		plene mittentur grandines	
11	juſta juſtè, juſtificabuntur		VI.	juſtitiam, juſtè judicabuntur	1
	didicerint iſta			didicerint juſta	L
1	ex genere terreni illius		VII.	ex genere terreno illius	1
16	operum ſcientia, & diſciplina			operum ſcientiæ diſciplina	1
18	commutationes temporum			conſummationes temporum,morum mutationes,& diviſiones temporũ	L
22	quem nihil vetat, benefaciens			qui nihil vetat benefacere	1
12	Tacentem me	L	VIII.	Tacente me	
17	in cognatione			in cogitatione	L
21	hoc ipſum erat ſapientiæ			hoc ipſum erat ſapientia	1
18	& ſic correctæ		IX.	etſi correctæ	1
3	homicidii fraterni		X.	homicidii fraternitas	
4	propter quem			propter quod	1
5	nequitiæ,cùm ſe nationes contuliſſent			ſuperbiæ, cùm ſe nationes extuliſſent	1
	in filii miſericordia			in filiis miſericordiam	1
10	Hæc profugum			Hæc autem profugum	1
18	tranſtulit			& tranſtulit	1
5	& in eis cùm abundarent		XI.	cùm abundarent	1
15	juſtis ſitientes			juſtis faciens	1
16	iniquitatis illorum			iniquitates illorum	1
19	plenas ignotas			plenas, aut ignotas	1
2	qui exerrant, partibus corripis		XII.	qui errant ex partibus corripis	
5	ſanguinis à medio ſacramento tuo, &	1		ſanguinis, &	
6	voluiſti per manus	1		voluiſti à medio ſacramento tuo per manus	
20	attentione, dans			attentione, & liberaſti dans	1
27	in quibus enim patientes			in his enim, quæ patiebantur, moleſtè ferebant, in quibus autem patientes	1
27	venit ſuper illos			veniet ſuper illos	L

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
15	ad nullos usus facit lignum vorticibus		XIII.	ad nullos est usus faciat lignum verticibus	l
4	sine arte		XIV.	sine rate	l
11	in Idolis nationum			Idolis nationum	l
14	hæc advenit			hæc adinvenit	l
31	Non enim juratorum virtus			Non enim jurantium est virtus	L
6	digni sunt, qui spem habeant	l	XV.	digni sunt morte, qui spem habent	
11	examinabantur	l	XVI.	exterminabantur	
14	per malitiam			per malitiam animam suam	L
21	substantia enim tua dulcedinem			substantiam enim tuam, & dulcedinem	l
21	ostendebat			ostendebas	l
25	qui à te desiderabant			qui à te desiderati sunt	l
28	ad ortum lucis			ad orientem lucis	l
7	Sapientiæ gloriæ		XVII.	Sapientiæ gloria	l
9	videre			videre. Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientiâ	l
13	majorem computat inscientiam			majorem computat scientiam	
17	Si enim rusticus	L		Si autem rusticus	
2	eadem passi		XVIII.	per eadem passi	l
9	patrum jam			patri omnium	l
15	de cœlo			exiliens de cœlo	l
22	armaturæ potentia			armatura potentiæ	L
2	pœnitentiâ acti		XIX.	pœnitentiæ actus	L
14	alius quidam respectus			alius quidem respectus	l

ECCLESIASTICUS.

	Dicentes & scribentes		*in Prologo*	Discentes & scribentes	l
	illorum periti facti			illorum periti fieri	L
	deficere... deficiunt verba			& deficere... deficiunt & verba	l
36	Ne sis incredibilis	l	I.	Ne sis incredulus	
5	homines verò receptibiles	l	II.	homines verò acceptabiles	
10	benedictio ab eo		III.	benedictio à Deo	L
12	ejus confusio			sed confusio	L
30	radicabitur in illis			eradicabitur in illis	L
13	ad audiendum verbum		V.	ad audiendum verbum Dei	l

16 Non

	Cltmentis VIII.		et	Sixti V.	
16	Non appelleris susurro	l		Non appelleris in vita tua susurro	
19	arat, & seminat		VI.	arat, & qui seminat	L
32	stolam gloriæ			stola gloriæ	l
3	quærere à Domino ducatum		VII.	quærere ab homine ducatum	l
6	in æquitate tua			in agilitate tua	l
13	Noli arare mendacium			Noli amare mendacium	l
28	non credas te. In toto corde tuo honora			non credas te in toto corde. Honora	l
8	in gaudium nolumus venire		VIII.	in gaudium volumus venire	l
12	dare responsum			dabis responsum	l
2	in virtutem tuam		IX.	in virtute tua	L
3	sensum potentium		X.	sensum prudentium	l
5	prosperitas hominis			potestas hominis	L
27	Magnus, & Judex,			Magnus est Judex,	l
20	nescit quod tempus præteriet		XI.	nescit quòd tempus prætereat	L
32	præcordia fœtentium	l		præcordia fœtantium	
9	In bonis viri, inimici illius in tristitia: & in malitia illius, amicus agnitus est.		XII.	In bonis viri, inimici illius: in tristitia & in malitia illius, amicus agnitus est	L
22	sancto homini	l	XIII.	sancto	
5	Tribus impiorum deferetur		XVI.	à Tribu impiorum deferetur	
9	peregrinationi Loth			peregrinationi illorum	l
22	interrogatio omnium			interrogatio hominum	l
31	anima omnis vitalis			anima autem omnis vitalis	l
	denunciavit			denunciabit	l
	& in ipsam			& in ipsa	l
18	quasi signaculum		XVII.	quasi sacculus	l
30	Quid nequius, quàm quod excogitavit			Quid nequius excogitavit	l
6	cùm quieverit, aporiabitur		XVIII.	cùm quieverit, operabitur	L
14	excipientis			excipiens	l
24	in conversatione faciei			in conversatione facies	l
27	metuet			metuit	l
29	impluerunt proverbia			imploraverunt proverbia	l
12	infixa femori carnis	l	XIX.	infixa femori canis	
24	Est, qui se nimium			Est justus, qui se nimium	l
	est qui inclinat			est justus, qui inclinat	l
15	Est autem sapientia		XXI.	Est autem insipientia	l

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
18	& ad ſe adjiciet			& adjiciet	1
20	omni tempore, metu		XXII.	omni tempore, vel metu	1
21	Sicut pali in excelſis			Sicut paleæ in excelſis	1
26	eſt enim regreſſus. Ad amicum ſi			eſt enim regreſſus ad amicum. Si	1
1	cadere in illis		XXIII.	cadere in illa exprobratione	1
2	Quis ſuperponet			Quis ſuperponit	1
11	ſicut enim ſervus	L		ſicut ſervus	
16	In parte Dei mei		XXIV.	In partes Dei mei	1
19	juxta aquam in plateis.	L		juxta aquam: In plateis	
38	abundavit... ab abyſſo			abundabit... in abyſſo	1
41	quaſi fluvii dioryx			quaſi fluvius Doryx	1
23	Draconi placebit	L	XXV.	Draconi magìs placebit	
31	plaga cordis			plaga mortis	1
23	maledicti eſt concordatio	L	XXVII.	maledicti dura eſt concordatio	
27	Multa odivi			multa audivi	1
28	ſpinis, linguam nequam		XXVIII.	ſpinis, & linguam nequam	L
	& feras			& feras auribus tuis	1
10	non fœnerati ſunt		XXIX.	fœnerati ſunt	L
19	pro proximo ſuo			proximo ſuo	1
27	cor, & bonum		XXX.	cor, bonum	L
12	Non aperias	L	XXXI.	Non aperies	
13	Non dicas ſic			Non dicas	L
16	lacrymabitur. Cùm viderit, ne			lacrymabitur cùm viderit ne	
29	Nequiſſimo in pane			In nequiſſimo pane	1
30	Diligentes in vino	1		Delectantes in vino	
32	Vinum in ſobrietate ſi	L		Vinum ſi	
33	Quæ vita eſt ei, qui			Quæ vita eſt, qui	
5	diligenti ſcientia		XXXII.	diligenti ſcientiam	L
19	ſcandalizabitur in ea			ſcandalizabitur ab ea	
26	& à filiis	L		à filiis	
15	Duo & duo		XXXIII.	Duo contra duo	1
3	ſimilitudo hominis		XXXIV.	ſimilitudo alterius hominis	1
3	litare ſacrificii		XXXV.	litare ſacrificiis	L
12	ad inventionem			adinventionem	1
19	de populo tuo		XXXVI.	da populo tuo	1
21	cor ſenſatum			cor inſenſatum	1
6	in opibus tuis		XXXVII.	in operibus tuis	1
7	cum eo, qui tibi inſidiatur, & à			cum ſocero tuo, & à	1

12 de

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
12	de ea, quæ			de his, quæ	l
16	titubaveris			titubaverit	l
1	etenim illum	L	XXXVIII.	enim illum	
4	medicamenta			medicinam	L
5	amara	l		amara, ut cognoſceretur virtus ejus ab homine	
25	ſapientiam ſcribæ... quâ ſapientiâ			ſapientiam ſcribe... quia ſapientia	l
28	ſignacula			ſignaculo	l
31	in perfectionem			imperfectionem	l
5	in hominibus tentabit		XXXIX.	in omnibus tentabit	l
34	placabunt			confundent	l
14	manus ſuas, lætabitur	L	XL.	manus ſuas pius lætabitur	
15	ſonant	l		ſonabunt	
28	Ab amicis de ſermonibus	L	XLI.	Ab amicis cave de ſermonibus	
8	omnium vivorum		XLII.	omnium virorum	l
9	adulta efficiatur			adultera efficiatur	l
17	ſtabiliri	L		ſtabilire	
11	In verbis ſancti		XLIII.	In verbis ſanctis	l
23	ſicut igne			ſicut ignem	l
25	plantavit in illa Dominus inſulas			plantavit illum Dominus Jeſus	l
14	in generationem	L	XLIV.	in generatione	
6	Dedit illi coram præcepta		XLV.	Dedit illi cor ad præcepta	l
9	Zona gloriæ	l		Zona juſtitiæ	
12	ſtolam ſanctam			ſtola ſancta	l
4	ipſe Dominus perduxit	l	XLVI.	ipſe Dominus percuſſit	
5	An non			Aut non	l
8	à tergo potentis			à tergo potentes	l
17	& vidit Deus Jacob			& vidit Deum Jacob	l
23	vocem ſuam			vocem ejus	L
6	nam invocavit... & dedit	L	XLVII.	nam ubi invocavit... dedit	l
13	Dominus purgavit			Chriſtus purgavit	l
15	es in juventute tua... es... tua			eſt in juventute ſua... eſt... ſua	l
22	& incitari			& in ceteris	l
3	Dejecit de cœlo ignem ter		XLVIII.	Dejecit à cœlo ignem terræ	
13	tectus eſt	L		vectus eſt	
13	manu, ſic & Jeſum		XLIX.	manu Iſraël: & Jeſum	

17	neque ùt Joseph			& Joseph	L
26	Credere Israël nobiscum	L	L.	Credere nobiscum	
19	Ante Templum... & effloruit		LI.	Ante Tempus... & florebit	l
26	insipientiam ejus luxi			in sapientia ejus luxit anima mea, & ignorantias meas illuminavit.	l

I S A Ï A S.

6	fui: Vestimentum	l	III.	fui dicens: Vestimentum	
7	Respondebit	l		Respondebitque	
8	Ruit enim Jerusalem	L		Ruit Jerusalem	
1	Templum.	L	VI.	Templum: & plena erat domus à majestate ejus.	
7	Ecce tetigit hoc			Ecce tetigi hoc	l
9	& videte	L		videte	
19	requiret pro vivis		VIII.	requiret visionem pro vivis	l
4	Regum, gentium		XIII.	Regum, & gentium	L
16	Qui te viderint ad te inclinabuntur,	L	XIV.	Ut qui te viderint inclinentur,	
	teque prospicient.	L		teque prospiciant.	
10	plantationem fidelem	l	XVII.	plantationem infidelem	
11	dicetis Pharaoni		XIX.	dicitis Pharaoni	L
4	juvenum, & senum		XX.	juvenem, & senem	L
10	Filii areæ meæ		XXI.	Filia areæ meæ	l
8	operimentum Judæ	L	XXII.	operimentum Juda	
20	Eliacim filium Helciæ	L		Eliachim filium Helchiæ	
23	domui patris ejus			domui patris sui	L
4	Fortitudo maris dicens	L	XXIII.	Fortitudo maris dicit	
18	mercedes ejus	l		merces ejus	
16	in tribulatione murmuris	L	XXVI.	in tribulationem murmuris	
18	salutes non fecimus	l		salutis, justitiam non fecimus	
8	meditatus est		XXVII.	meditata est	l
13	in terra			de terra	L
6	& flammæ ignis		XXIX.	& flamma ignis	L
15	Deus sanctus Israël		XXX.	Deus Israël	l
29	sicut nox			sicut vox	l
7	1592. in sermone mendacii 1593. in sermone mendaci		XXXII.	in sermone mendacii	L
19	populum impudentem		XXXIII.	populum imprudentem	L

11 Ibis,

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
11	Ibis, & corvus	L	XXXIV.	Ibix, & corvus	
14	occurrent dœmonia Onocentauris, & piloſus clamabit			occurrent dœmonia: Onocentaurus, & piloſus clamabit	L
17	in generationem			in generatione	L
4	Dicite puſillanimis	l	XXXV.	Dicite puſillanimes	
3	Eliacim filius Helciæ	L	XXXVI.	Eliachim filius Helchiæ	
7	dixit Judæ	L		dixit Juda	
12	libravit		XL.	liberavit	L
18	in ſupinis collibus	l	XLI.	in excelſis collibus	
27	ecce adſunt			ecce adſum	L
4	& vocavi te	L	XLV.	vocavi te	
6	non eſt. Ego	L		non eſt Deus. Ego	
7	& ſtabit	L	XLVI.	ſtabit	
11	ab oriente avem	l		ab oriente juſtum	
11	& irruet	L	XLVII.	irruet	
20	1592. filii ſterilitatis 1593. filiis ſterilitatis		XLIX.	filii ſterilitatis	L
21	iſti ubi erant?			iſti ubi hîc erant?	L
5	Et numquid mihi eſt hîc?		LII.	Et nunc quid mihi eſt hîc?	L
5	quia glorificavit te	L	LV.	qui glorificavit te	
9	Regi unguento		LVII.	regio unguento	L
9	à nobis... nos juſtitia		LIX.	à vobis... vos juſtitia	l
9	quia glorificavit te	L	LX.	qui glorificavit te	
15	in generationem	L		in generatione	
3	ut ponerem lugentibus...	L	LXI.	& ponerem fortitudinem lugentibus....	
	& darem eis	L		ut darem eis	
4	in generationem	L		in generatione	
7	partem ſuam			partem eorum	L
2	Os Domini nominabit		LXII.	Os Domini nominavit	l
4	redemptionis meæ		LXIII.	retributionis meæ	l
6	ùt immundus omnes	l	LXIV.	ùt immundi omnes	
6	in ſinum	L	LXV.	in ſinu	
16	ab oculis meis			ab oculis noſtris	L
2	pauperculum, & contritum	L	LXVI.	pauperculum contritum	

JEREMIAS.

6	Et dixi A a a		Cap. I.	Et dixi A, a, a	L
3	& Jeruſalem	l	IV.	& habitatori Jeruſalem	
8	à nobis			à vobis	l
16	dicite gentibus			concitate gentes	l
26	ſuper nos	l	VI.	ſuper vos	
24	in voluntatibus		VII.	in voluptatibus	l
34	in deſolationem			in deſolatione	L
17	& veniant		IX.	ut veniant	L
18	ita ut inveniantur		X.	ita ut non inveniantur	l
12	clamabunt ad Deos		XI.	clamabunt ad eos	l
18	tunc oſtendiſti			Tu oſtendiſti	L
13	Et dixi A a a		XIV.	Et dixi A, a, a	L
14	divinationem, & fraudulentiam			divinationem fraudulentam	l
15	in patientia tua ſuſcipere me.	L	XV.	in patientia furoris tui ſuſcipere me.	
9	Pravum eſt cor omnium		XVII.	Pravum eſt cor hominis	l
6	& in Babylonem venies	L	XX.	in Babylonem tu venies	
15	qui annunciavit	L		qui nunciavit	
17	qui non me interfecit	l		quia non me interfecit	
3	contriſtare	L	XXII.	contriſtari	
13	Prophetabant in Baal	l	XXIII.	Prophetabant enim in Baal	
33	Vos eſtis onus			Ut quid vobis onus	L
3	1592. Amon 1593. Ammon		XXV.	Amon	
20	Aſcaloni			Aſcalonis	L
16	vaſa Domini	l	XXVII.	vaſa domûs Domini	
1	quem miſit		XXIX.	quæ miſit	l
15	ſuſcitavit			ſuſcitabit	l
4	ad Judam	L	XXX.	ad Juda	
7	ex ipſo			ex ipſa	L
3	attraxi te miſerans	L	XXXI.	attraxi te miſerans tui	
6	in monte Ephraïm	l		in monte Samariæ, & in monte Ephraïm	
11	liberavit eum			liberabit eum	L
40	uſque ad torrentem Cedron, & uſque ad angulum portæ equorum orientalis	L		uſque ad angulum portæ equorum orientalis, & uſque ad torrentem Cedron	

12 in

12	in oculis teſtium		XXXII.	& in oculis teſtium	L
29	igni	L		igne	
11	quoniam bonus Dominus	L	XXXIII.	quoniam bonus	
16	Jeruſalem habitabit	l		Iſraël habitabit	
2. 22.	igni	L	XXXIV.	igne	
20	in manus	L		in manu	
2	Judam	L	XXXVI.	Juda	
23. 32.	igni	L		igne	
7. 9.	igni	L	XXXVII.	igne	
11	antiqua, quæ	l	XXXVIII.	antiqua veſtimenta, quæ	
17. 18. 23.	igni	L		igne	
8	igni	L	XXXIX.	igne	
6. 8. 12. 13. 15.	Maſphath	L	XL.	Maſpha	
8	& Iſmahel	L		Iſmahel	
1. 3. 6. 10. 14. 16.	Maſphath	L	XLI.	Maſpha	
17	qui poſuerunt		XLII.	qui poſuerint	L
13	igni	L	XLIII.	igne	
7. 12.	Judæ	L	XLIV.	Juda	
2	aſcendunt	L	XLVII.	deſcendunt	
15	ſucciderunt		XLVIII.	ſuccenderunt	l
34	vitula conternante			vitulam conternante	
36	quaſi tibiæ reſonabit			quaſi tibia æris reſonabit	
45	de medio Seon			de medio Sion	L
2	in tumulum		XLIX.	in tumultum	l
19	paſcetur Carmelum		L.	paſcetur Carmelus	l
39	cum faunis ficariis			cum fatuis ficariis	L
27	Clangite buccinâ in gentibus	l	LI.	Clangite buccina in montibus	
32. 58.	igni			igne	
13	igni combuſſit		LII.	igne combuſſit	L
28	Judæos tria millia, & viginti tres	L		tria millia, & viginti tres Judæos	
29	de Jeruſalem	L		tranſtulit de Jeruſalem	

THRENI.

Præfatiuncula Threnorum Et factum eſt *&c. ponitur in Bibliis Clementis VIII. & in aliis Vulgatæ Codicibus poſt titulum Threnorum ante* Cap. I. *Sed in Exemplari Sixti V. collocatur capite LII. hoc eſt ultimo Jeremiæ in fine, eodem contextu, & litteris, quibus reliqua ejuſdem capitis ſunt impreſſa, ita ut ibidem conſtituat verſum ultimum.*

28	Levavit ſuper ſe	l	III.	Levavit ſe ſuper ſe	
32	Abjecit, & miſerebitur	L		Abjecit, miſerebitur	

	CLEMENTIS VIII.		ET	SIXTI V.	
14	non possent, tenuerunt	I	IV.	non possent intrare, tenuerunt	
19	in generationem		V.	in generatione	L

B A R U C H.

2	Igni	L	Cap. I.	Igne	
7	filii Salom			filii Salon	L
8	mensis Sivan			mensis Siban	L
21	ad nos			ad nos, & ad judices nostros	I
22	Si non audieritis	I	II.	Si non feceritis, nec audieritis	
13	in pace sempiterna		III.	in pace super terram	L
23	negotiatores Merrhæ			negotiatores terræ	L
6	in ira ad iracundiam		IV.	ad iracundiam	
6	in honore sicut		V.	in honorem sicut	L
7	Lingua ipsorum	L	VI.	Ligna ipsorum	
26	munera eorum	I		humeri eorum	
46	Artifices etiam ipsi			Aurifices etiam ipsi	L
50	lignea, inaurata			lignea & lapidea, inaurata	
54	ligneorum			ligneorum & lapideorum	
56	quibus hi qui fortiores			quibus iniqui fortiores	L
58	quæ in ipsa sunt			quæ in pace sunt	L
71	supra illos tineant			supra illos tenent	

E Z E C H I Ë L.

13	Aspectus		Cap. I.	Et aspectus	L
6	ad populos multos	L	III.	ad populos	
11	& vade ingredere ad transmigrationem	L		vade ad transmigrationem, & ingredere	
22	est super me	L		est ibi super me	
14	A a a		IV.	Ah, ah, ah	L
17	contabescant	L		contabescent	
2. 4.	igni	L	V.	igne	
7	judicia gentium	L		justitias gentium	
10	filios in	L		filios suos in	
9	quæ fecerunt		VI.	quæ fecerant	L
6	parvulum		IX.	parvulos	I
15	Fratres tui. Fratres tui		XI.	Fratres tui	I
12	quam linistis	L	XIII.	quâ linistis	
22	ipsi ingredientur		XIV.	ipsi egredientur	L

10 Cal-

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
10	Calceavi te Ianthino		XVI.	Calceavi te hyacinthino	
13	polymito, & multis coloribus	L		polymito	
18	operuisti illas	l		vestita es eis	
41.	igni	L		igne	
19	Quare non portavit		XVIII.	Quare non portabit	L
1	Tu assume planctum	l	XIX.	Tu fili hominis assume planctum	
36	dicit Dominus Deus		XX.	dicit Dominus	l
49	A a a			Ah, ah, ah	L
20	ad Judam	L	XXI.	ad Juda	
28	evaginate... limate			evagina te... lima te	L
25	igni	L	XXIII.	igne	
45	earum	l		earum, & cum Idolis suis fornicatæ sunt	
21	filii vestri, & filiæ	L	XXIV.	& filii vestri, filiæ	
10	filiis orientis	l	XXV.	filios orientis	
13	advexerunt		XXVII.	adduxerunt	L
35	perculsi			percussi	L
13	Topatius		XXVIII.	Topazius	L
16	de monte Dei	L		de monte sancto Dei	
10	super te	l	XXXII.	super te, propter universas iniquitates, quas operatus est	
10	in die ruinæ tuæ			in die ruinæ suæ	l
18	cane lugubre	L		cane carmen lugubre	
24. 29.	descendunt in lacum			descenderunt in lacum	
32	dedi terrorem meum			dedit terrorem suum	l
11	Convertimini, convertimini		XXXIII.	Convertimini	l
26	pluviæ	l	XXXIV.	& pluviæ	
13	derogastis	L	XXXV.	rogastis	
4	vallibusque	L	XXXVI.	vallibus	
16	filiorum Israël sociorum... sociorumque ejus	L L	XXXVII.	filiis Israël & sociis.... sociis ejus	
18	nonne indicas	L		non indicas	
23	sedibus	L		sedibus suis	
2	Gog terram Magog		XXXVIII.	Gog, & terram Magog	l
2	educam te		XXXIX.	seducam te	l
9. 10.	igni			igne	
1	1592. sex cubitos latitudinis inde; 1593. sex cubitos inde		XLI.	sex cubitos latitudinis inde	L

25 sculp-

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
25	ſculpturæ...expreſſæ erant			ſculptura... expreſſa erant	L
30	domui tuæ		XLIV.	domui ſuæ	l
11	Agnis autem		XLVI.	De agnis autem	L
16	Si dederit Princeps donum	l		Si dederit Princeps domum	
17	Terminus Emath	l	XLVII.	Et terminus Emath	
22	inter terminum Benjamin		XLVIII.	in terminum Benjamin	l

D A N I E L.

2	Præcepit autem Rex	l	II.	Præcepit ergo Rex	
23	patrum noſtrorum			patrum meorum	l
29	in ſtrato			in ſtratu	L
41	partem teſtæ figuli			partem teſteam	l
			III.		

Omittuntur in Exemplari Sixti V. quædam verba, quæ S. Hieronymus hoc Capite III. pro Nota interpoſuerat inter ℣. 23. & 24. item poſt ℣. 90. Hæc tamen verba iterum ſunt appoſita in Editionibus Clementis VIII. ac ſequentibus deinde Vulgatæ impreſſionibus.

67	Frigus & æſtus			Frigus, & æſtas	l
92	Reſpondit, & ait	l		Reſpondit Rex, & ait	
100	in generationem			in generatione	L
24	forſitan ignoſcet	L	IV.	forſitan ignoſcet Deus	
27	Babylon magna	l		Babylon civitas magna	
30	quaſi avium	L		quaſi ungues avium	
31	in generationem			in generatione	L
34	& viæ ejus	L		& omnes viæ ejus	
11	Sapientia	L	V.	Sapientiæ	
13	captivitatis Judæ	L		captivitatis Juda	
24	qui accuſaverant		VI.	qui accuſaverunt	L
16	monte ſancto		IX.	à monte ſancto	L
41	Multæ corruent		XI.	Multi corruent	L
3	ut videant ſemper	L	XII.	ut videantur ſemper	

In editionibus Clementinis, & aliis ſequentibus hic iterum poſt finem capitis XII. ponitur Nota, ſeu verba quædam S. Hieronymi, quæ deſunt in Sixti V.

O S E E.

9	Non ero veſter	l	Cap. I.	Non ero veſter Deus	
16	ultra Baali		II.	ultra Baalim	L
3	Sed & piſces	L	IV.	Et piſces	
1	Et rete	l	V.	Et ſicut rete	

5. Ju-

5	Judas	L		Juda	
9	Sichem	L	VI.	Sichen	
2	Fur ingressus est spolians,	L	VII.	Fur ingressus est, spolians	
14	Judas	L	VIII.	Juda	
12	Judas	L	XI.	Juda	
11	frustra erant	L	XII.	frustra errant	
12	servivit Israël in uxorem	L		servivit Israël in uxore	
6	& levaverunt		XIII.	levaverunt	
9	Perditio tua Israël.	L		Perditio tu Israël	

J O Ë L.

15	A a a diei		I.	Aha diei	
14	Domino Deo vestro		II.	Domino Deo nostro	l
20	in generationem	L	III.	in generatione	

A M O S.

1	Pastoribus de Thecue		I.	Pastoralibus Thecue	l
14	Rabba	L		Rabbath	
1	tonsionem regis		VII.	tonsorem regis	l
5	Quando transibit mensis		VIII.	Quando transibit messis	l
9	dicit Dominus Deus			dicit Dominus	l
2	Non erit fuga eis. Fugient, & non salvabitur ex eis qui fugerit		IX.	Non erit fuga eis, & qui fugerit ex eis non salvabitur.	

A B D I A S.

16	Bibistis	l		Bibisti	

M I C H Æ A S.

5	Excelsa Judæ	L	I.	Excelsa Juda	
9	Judam	L		Juda	
14	domus mendacii			domos mendacii	L
6	Ne loquamini	l	II.	O Israël! Ne loquamini	
6	afflixeram	l	IV.	afflixeram, consolabor	
8	filiæ Sion	l		filia Sion	
9	Exaltabitur	l	V.	Et exaltabitur	
5	quid cogitaverit Balach	L	VI.	quid cogitaverit contra te Balach	
9	nomen tuum	l		nomen ejus	

Clementis VIII. et Sixti V.

16	in voluntatibus			in voluptatibus	I
17	Deum noſtrum formidabunt		VII.	Deum noſtrum deſiderabunt	L

NAHUM.

2	Quia reddidit Dominus ſuperbiam Jacob, ſicut ſuperbiam Iſraël	L	II.	Quia ſicut reddidit Dominus ſuperbiam Jacob ſic ſuperbiam Iſraël	
15	congregare ùt bruchus	L	III.	congregare ergò ùt bruchus	

HABACUC.

3	Contra me?		I.	Contra me? Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio juſtiorem ſe? Et facies hominis quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem	I
13	Quare reſpicis			Quare non reſpicis	L
17	non parcet	I		non ceſſat	
6	Uſquequo & aggravat	L	II.	Uſquequo aggravat	
5	Et egredietur	L	III.	Egredietur	
8	qui aſcendes			qui aſcendis	I
12	in furore	I		& in furore	

SOPHONIAS.

17	in dilectione ſua		III.	in dilectione tua	I

AGGÆUS.

1	Joſedec	L	I.	Joſadec	
12	Domini Dei ſui			Dei ſui	I

ZACHARIAS.

15	Ipſi verò	L	I.	Ipſæ verò	
21	ventilaverunt Judam	L		ventilaverunt Juda	
12	Judam partem ſuam	L	II.	Juda partem ſuam	
2	Increpet Dominus in te Satan,	L	III.	Increpet Dominus te Satan,	
	& increpet Dominus in te	L		& increpet Dominus te	
9	ego cælabo ſculpturam			ego celabo ſculpturam	L
11	ſcapulam recedentem		VII.	ſcapulam recedentes	L

4 igni

4	igni devorabitur	L	IX.	igne devorabitur	
2	vanè	L	X.	& vanè	
3	levabunt eam		XII.	levabunt eum	L
7	contra Judam	L		contra Juda	
9	Dicam	l	XIII.	& dicam	
10	habitabit	l	XIV.	habitabitur	
14	ſed & Judas	L		ſed & Juda	

MALACHIAS.

1	Malachiæ	l	I.	Malachiæ Prophetæ	
3	poſui montes	l		poſui Seïr montes	
5	mercenarii, viduas	l	III.	mercenarii, & humiliant viduas	
18	convertemini	L		convertimini	

I. MACHABÆORUM.

11	Radix peccatrix	l	Cap. I.	Radix peccati	
33. 59.	igni	L		igne	
51	omnibus immundis			omnibus immunditiis	L
67	populum valdè	L		populum Iſraël valdè	
1	Joarib		II.	Joarim	L
30	& filii eorum			& filii	
46	in finibus Iſraël			in finibus eorum	L
30	ùt ſemel & bis	L	III.	& ſemel & bis	
11	quia eſt qui	L	IV.	quia eſt Deus qui	
3	in Acrabathane		V.	in Arabathane	L
5. 28. 35. 44. 65. 68.	igni	L		igne	
30	ecce populus			& ecce populus	L
38	exercitus			& exercitus	L
42	reliqueritis	L		relinquatis	
44	qui erant in ipſo			quæ erant in ipſo	L
60	fuga magna			plaga magna	L
17	Eupator		VI.	Eupatorem	L
26	arcem Jeruſalem... Bethſuram			arcem in Jeruſalem... in Bethſuram	L
31	igni	L		igne	
41	multitudinis, & inceſſu turbæ			turbæ, inceſſu multitudinis	
6	nos diſperſit		VII.	nos diſperdidit	L
19	Bethzecha	L		Bethzecham	

Vers.	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
35	commodarent illis	L	IX.	commodarent illi	
19	aptus es ut	L	X.	aptus ut	
21	Scenopegiæ	L		Scenophegiæ	
40	ego do	L		ego dabo	
53	ſedimus			ſedemus	L
54	ipſi digna te			ipſi dignitatem	L
84	igni	L		igne	
4	igni	L	XI.	igne	
28	& Samariam	L		hoc eſt Samariam	
7	Ab Ario... ſicut reſcriptum		XII.	A Dario... ſicut ſcriptum	L
20	Oniæ: Arius rex Spartiatarum Oniæ			Oniares rex Spartiatarum Oniares Jonathæ	
52	qui cum ipſo fuerant			qui cum ipſo erant	L
11	erant in ea		XIII.	erant in arce	L
15	quod habebat			quod debebat	
46	tuas	I		tuas, & ſerviemus tibi	
37	muros Jeruſalem		XIV.	muros in Jeruſalem	L
21	Refugerunt		XV.	Fugerint	L
22	Ariarathi			Arabæ	L
23	Lampſaco... Gortynam			Sampſamæ... Cortynam	L
33	aliena detinemus			alienam detinemus	L
39	Gedorem			Cedronem	L

II. MACHABÆORUM.

9. 18.	Scenopegiæ	L	Cap. I.	Scenophegiæ	
1	pietatem	I	III.	diſpoſitionem, & pietatem	
7	quæ delatæ erant	L		quæ delata erant	
20	Sed hæ		IV.	Sed hæc	L
21	Mneſthei	L		Meneſthei	
30	Antiochidi			Antiochi	L
2	haſtis, quaſi cohortes, armatos		V.	haſtas, quaſi cohortes, armatas	L
1	& ſeptem fratres		VII.	ſeptem fratres	L
33	Jeroſolymis		VIII.	in Jeroſolymis	L
9	viventis in doloribus		IX.	viventes in doloribus	L
7	mundari		X.	mundare	L
17	viginti millibus	I		viginti quinque millibus	
31	quingenti	L		quingenti peditum	
16	quidem		XI.	ſiquidem	L

20 per

	CLEMENTIS VIII.		ET	SIXTI V.	
20	per ſingula verbo			per ſingula verba	L
31	Judæi			Judaïcis	L
2	ſuper hos	L	XII.	ſuperbus	
6	noctu			nocte	L
26	ad Carnion			à Carnion	L
15	quattuor millia	l	XIII.	quattuordecim millia	
4	Thallos		XIV.	Talos	L
13	Judam caperet	L		Judam caperet vivum	
21	ſellæ prolatæ	L		ſellæ perlatæ	
32	quam extendens contra		XV.	quam extenderat contra	L
37	Adar, quod			Adar, quæ	L

MATTHÆUS.

23	Vocabunt nomen ejus	l	Cap. I.	Vocabitur nomen ejus	
5	in Bethlehem Judæ	L	II.	in Bethlehem Juda	
13	Surge, & accipe	L		Surge, accipe	
2	appropinquavit		III.	appropinquabit	l
3	Hic eſt enim, qui dictus eſt	l		Hic eſt enim, de quo dictum eſt	
10	radicem arborum	L		radicem arboris	
11. 12.	igni	L		igne	
6	Et in manibus tollent te	L	IV.	Ut in manibus tollant te	
7	Jeſus: Rurſum ſcriptum eſt			Jeſus rurſum: Scriptum eſt	L
15	Galilæa gentium			Galilææ gentium	l
16	ſedebat in tenebris	l		ambulabat in tenebris	
17	appropinquavit			appropinquabit	l
11	maledixerint vobis	l	V.	maledixerint vobis homines	
30	abſcide			abſcinde	L
40	tecum judicio			tecum in judicio	l
7	ſicut Ethnici	l	VI.	ſicut Ethnici faciunt	
30	Si autem fœnum	L		Si enim fœnum	
1	Ut non judicemini	l	VII.	Et non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini	
4	ſine ejiciam	l		frater ſine ejiciam	
23	à me, qui operamini	l		à me omnes, qui operamini	
25	erat ſuper petram	L		erat ſupra petram	
29	Scribæ eorum, & Phariſæi	l		Scribæ, & Phariſæi	
9	& alii	L	VIII.	& alio	
12	ibi erit	L		ubi erit	

CLEMENTIS VIII. ET SIXTI V.

18	jussit ire	l		jussit discipulos ire	
20	caput reclinet	l		caput suum reclinet	
32	ecce impetu	L		ecce magno impetu	
33	nunciaverunt omnia	L		nunciaverunt hæc omnia	
34	rogabant, ut	L		rogabant eum, ut	
1	Et ascendens in	l	IX.	Et ascendens Jesus in	
2	& videns	L		videns autem	
25	manum ejus, & surrexit puella	l		manum ejus, & dixit: Puella surge, & surrexit puella.	
4	1592. Simon Cananæus 1593. Simon Chananæus	L	X.	Simon Cananæus	
5	eis dicens	L		eis & dicens	
22	odio omnibus	l		odio omnibus hominibus	
2	non licet facere		XII.	non licet eis facere	l
31	spiritûs autem blasphemia	l		spiritus autem blasphemiæ	
3	seminare	l	XIII.	seminare semen suum	
14	& adimpletur	l		ut adimpleatur	
40	igni	L		igne	
9	propter juramentum	L	XIV.	propter jusjurandum	
13	in navicula	L		in naviculam	
19	discipuli autem turbis	L		discipuli autem dederunt turbis	
25. 26.	super mare	L		supra mare	
32	ascendissent	l		ascendisset	
2	traditionem	l	XV.	traditiones	
8	cogitatis intra vos		XVI.	cogitatis inter vos	L
1	1592. sex assumit... ducit 1593. sex assumpsit... ducit	l	XVII.	sex assumpsit... duxit	
20	transi hinc illuc, &	L		transi hinc, &	
8	abscide		XVIII.	abscinde	L
20	à juventute mea, quid	l	XIX.	quid	
21	vende quæ habes	l		vende omnia quæ habes	
28	suam redemptionem	L	XX.	suam in redemptionem	
37	verebuntur filium meum	L	XXI.	verebuntur fortè filium meum	
23	Hypocritæ	L	XXIII.	Hypochritæ	
25	quia mundatis	L		qui mundatis	
12	abundavit iniquitas		XXIV.	abundabit iniquitas	L
42	Vigilate	l		duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur. Vigilate.	

27	& veniens ego	L	XXV.	ut veniens ego	
31	Angeli cum eo	L		Angeli ejus cum eo	
11	non ſemper habetis	l	XXVI.	non ſemper habebitis	
35	mittentes, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem	l	XXVII.	mittentes	
43	1592. liberet nunc, ſi vult, eum 1593. liberet nunc, ſi vult eum		XXVII.	liberet nunc eum ſi vult	l
57	ab Arimathæa	L		ab Arimathia	
3	veſtimentum ejus	l	XXVIII.	veſtimenta ejus	
7	ecce præcedit	l		ecce præcedet	

MARCUS.

6	Pilis cameli	L	I.	Pilis camelorum	
7	venit fortior	L		veniet fortior	
10	Spiritum tanquam	l		Spiritum ſanctum tanquam	
24	veniſti perdere nos	l		veniſti ante tempus perdere nos	
	ſcio qui ſis	L		ſcio quòd ſis	
40	dixit ei			dicit ei	L
1	Poſt dies	l	II.	Poſt dies octo	
12	abiit coram omnibus	L		abiit inde coram omnibus	
15	qui & ſequebantur eum	L		qui ſequebantur eum	
23	per ſata, & diſcipuli ejus	L		per ſata, diſcipuli ejus	
24	faciunt Sabbatis	l		faciunt diſcipuli tui Sabbatis	
26	niſi Sacerdotibus	L		niſi ſolis Sacerdotibus	
9	ut navicula ſibi deſerviret	L	III.	ut in navicula ſibi deſervirent	
8. & 20.	unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum	l	IV.	unum trigeſimum, unum ſexageſimum, & unum centeſimum.	
22	ſed ut in palam veniat	l		quod non in palam veniat	
29	cùm produxerit fructus			cùm ex ſe produxerit fructus	l
32	cùm ſeminatum fuerit aſcendit, & fit majus	l		cùm natum fuerit, aſcendit in arborem, & fit majus	
8	ab homine	L	V.	ab homine iſto	
10	deprecabatur eum	L		deprecabantur eum	
11	magnus, paſcens	L		magnus paſcens in agris	
13	conceſſit ei ſtatim			conceſſit eis ſtatim	L
21	cùm tranſcendiſſet Jeſus	L		cùm aſcendiſſet Jeſus	

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
23	manum ſuper eam			manum tuam ſuper eam	
35	veniunt ab Archiſynagogo			veniunt nuncii ad Archiſynagogum	l
43	dixit dari illi	l		juſſit dari illi	
13	ſanabant	l	VI.	ſanabantur	
17	in carcere			in carcerem	L
26	1592. eſt rex propter jusjurandum: 1593. eſt rex: propter jusjurandum			eſt rex propter jusjurandum	
26	& propter ſimul	L		ſed propter ſimul	
27	ſed miſſo	L		& miſſo	
48	& circa quartam	L		circa quartam	
4	áforo niſi		VII.	à foro venientes niſi	
8	traditionem hominum			traditiones hominum	L
9	irritum facitis	l		irritum feciſtis	
15.20.23.	communicant hominem	L		coïnquinant hominem	
18	communicare	L		coïnquinare	
1	Cùm turba multa eſſet	l	VIII.	Cùm turba multa eſſet cum Jeſu	
28	dicentes: Joannem	l		dicentes: Alii Joannem	
38	confuſus fuerit...confundetur	l		confeſſus fuerit... confitebitur	
4	& Moyſi unum	L	IX.	Moyſi unum	
40	aquæ in nomine meo	l		aquæ frigidæ in nomine meo	
42	1592. abſcinde 1593. abſcide	L		abſcinde	
17	viam... rogabat eum		X.	via... rogabat eum dicens	l
41	cœperunt indignari	L		indignati ſunt	
6	dimiſerunt eis	L	XI.	dimiſerunt eos	
15	veniunt Jeroſolymam	L		veniunt iterum Jeroſolymam	
31	dicet: Quare	L		dicet nobis: Quare	
25	ſunt ſicut Angeli in cœlis	l	XII.	erunt ſicut Angeli Dei in cœlis	
33	Holocautomatibus	L		Holocauſtomatibus	
43	lignis, à ſummis	l	XIV.	lignis, miſſi à ſummis	
46	injecerunt in eum	L		injecerunt in Jeſum	
58	per triduum	l		poſt triduum	
43	Arimathæa	L	XV.	Arimathia	
46	involvit ſindone	L		involvit in ſindone	
7	præcedit vos	l	XVI.	præcedet vos	
9	ſurgens autem manè	l		ſurgens autem Jeſus manè	
14	Noviſſimè recumbentibus	L		Noviſſimè autem recumbentibus	

LUCAS

L U C A S.

8	Fungeretur	l	Cap. I.	Fungeretur Zacharias	
13	& uxor tua	L		uxor tua	
15	& vinum	L		vinum	
7	Non erat eis locus	l	II.	Non erat ei locus	
15	quod factum est, quod Dominus ostendit nobis	l		quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis	
33	erat pater ejus, & mater	l		erat pater, & mater ejus	
37	hæc vidua usque	l		hæc vidua erat usque	
9	ad radicem arborum	l	III.	ad radicem arboris	
14	& contenti estote	L		sed contenti estote	
16	calceamentorum ejus... igni	L		calceamentorum... igne	
17	igni inextinguibili	L		igne inextinguibili	
31	Qui fuit Melea			Qui fuit Melcha	l
7	Si adoraveris	L	IV.	Si procidens adoraveris	
34	1592. qui sis 1593. quis sis	l		qui sis	
8	quia homo peccator sum Domine	L	V.	Domine, quia homo peccator sum	
13	tetigit eum dicens	L		tetigit eum Jesus dicens	
22	Quid cogitatis in	l		Quid cogitatis mala in	
11	facerent Jesu	l	VI.	facerent de Jesu	
24	divitibus, quia	l		divitibus, qui	
26	vobis homines			vobis omnes homines	l
29	maxillam	L		maxillam unam	
48	super petram *bis*	L		supra petram	
49	super terram	L		supra terram	
3	salvaret	l	VII.	sanaret	
8	alii veni	L		alio veni	
11	ibat in	l		ibat Jesus in	
37	quòd accubuisset	l		quòd Jesus accubuisset	
44	in domum tuam	L		domum tuam	
14	Qui ad tempus credunt		VIII.	Quia ad tempus credunt	l
23	complebantur	l		compellebantur	
25	quia & ventis	L		quia ventis	
27	cùm egressus esset	L		cùm de navi egressus esset	
46	nam ego novi	l		nam & ego novi	
1	Convocatis autem	L	IX.	Convocatis autem Jesus	

	CLEMENTIS VIII.		ET	SIXTI V.	
15	discumbere fecerunt omnes	L		discubuerunt omnes	
49	sequitur nobiscum	L		sequitur nos	
58	ubi caput reclinet	l		ubi caput suum reclinet	
21	exultavit Spiritu sancto		X.	exultavit in Spiritu sancto	
30	Suscipiens	l		Suspiciens	
2	tuum. Panem	l	XI.	tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Panem	
13	Pater vester de cœlo	l		Pater vester cœlestis de cœlo	
21	sunt ea, quæ	L		sunt omnia, quæ	
37	& ingressus	L		Jesus autem ingressus	
42. 43. 44. 52.	quia	L		qui	
1	Turbis circumstantibus	L	XII.	Turbis concurrentibus	
2	nihil autem	l		nihil enim	
14	dixit illi			dixit ei	L
47	non præparavit			non se præparavit	l
48	(1592. fecit digna, plagis vapulabit (1593 fecit digna plagis, vapulabit	L		fecit digna, plagis vapulabit	
5	non egeritis		XIII.	non habueritis	l
30	qui erunt primi... qui erunt	l		qui erant primi... qui erant	
1	Cùm intraret Jesus	L	XIV.	Cùm introisset Jesus	
12	neque vicinos divites	L		neque vicinos, neque divites	
28	non priùs	l		nonne priùs	
8	everrit domum...		XV.	evertit domum...	l
	donec inveniat	l		donec inveniat eam	
7	alii dixit	L	XVI.	alio dixit	
7	pascentem, qui	l	XVII.	pascentem boves, qui	
20	venit regnum Dei	L		veniet regnum Dei	
10	Duo homines ascenderunt		XVIII.	dicens: Duo homines ascendebant	L
8	dixit ad Dominum	l	XIX.	dixit ad Jesum	
23	& quare	L		quare	
30	quod contra est	l		quod contra vos est	
37	turbæ discipulorum			turbæ descendentium	l
9	Homo plantavit	l	XX.	Homo quidam plantavit	
10	in tempore	L		in tempore illo	
20	ut caperent eum	L		ut caperet eum	
36	neque enim			neque etiam	
9	oportet primùm	L	XXI.	oportet enim primùm	

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
17	odio omnibus	l		odio omnibus hominibus	
31	Dominus: Simon, Simon	l	XXII.	Dominus Simoni: Simon	
54	ſequebatur à longè	L		ſequebatur eum à longè	
5	Commovet populum	l	XXIII.	Commovit populum	
40	quòd in eadem	l		qui in eadem	
51	Arimathæa	L		Arimathia	
49	Ego mitto	l	XXIV.	Ego mittam	

JOANNES.

3	Factum eſt nihil,		Cap. I.	Factum eſt nihil:	
29	peccatum mundi	l		peccata mundi	
42	Simon filius Jona	l		Simon filius Joanna	
12	Poſt hoc	L	II.	Poſt hæc	
33	Qui accepit	l	III.	Qui autem accepit	
4	per Samariam	L	IV.	per mediam Samariam	
6	hora erat quaſi	l		hora autem erat quaſi	
18	nunc quem habes	L		hunc quem habes	
11	Tolle grabatum tuum	L	V.	tolle grabatum	
24	tranſiit à morte			tranſiet à morte	l
32	teſtimonium quod	l		teſtimonium ejus quod	
43	accipitis me	l		accepiſtis me	
13	ordeaceis	l	VI.	ordeaceis, & duobus piſcibus	
23	gratias agente Domino	l		gratias agentes Deo	
33	Panis enim Dei eſt	L		Panis enim verus eſt	
35	non ſitiet umquam	L		non ſitiet in æternum	
36	non creditis	L		non credidiſtis	
64	qui eſſent non credentes	L		qui eſſent credentes	
70	nos credidimus			nos credimus	l
71	Judam Simonis Iſcariotem	l		de Juda Simonis Iſcariotis	
2	Scenopegia	L	VII.	Scenophegia	
4	quid facit	L		quidquam facit	
8	non aſcendo	l		non aſcendam	
12	murmur multum			murmur multus	l
9	Audientes autem, unus	l	VIII.	Audientes autem hæc, unus	
23	Ego de ſupernis ſum	L		Ego de ſuperius ſum	
7	Vade, lava	L	IX.	Vade, & lava	
14	cognoſco meas	L	X.	cognoſco oves meas	
1	ſororis	l	XI.	ſororum	

CLEMENTIS VIII. ET SIXTI V.

	Clementis VIII.			Sixti V.	
16	ut moriamur	L		& moriamur	
29	surgit citò	l		surrexit citò	
8	semper habetis *bis*		XII.	semper habebitis	
28	vox de cœlo	l		vox de cœlo dicens	
29	alii dicebant	L		alii autem dicebant	
34	quis est	L		& quis est	
38	Isaïæ Prophetæ	L		Isaïæ	
2	Simonis Iscariotæ		XIII.	Simonis Iscariotis	
5	deinde mittit			deinde misit	l
10	sed est mundus	L		& est mundus	
12	& accepit vestimenta sua, cùm	L		accepit vestimenta sua, & cùm	
26	Simonis Iscariotæ	L		Simonis Iscariotis	
6	Ego sum Via, & Veritas	L	XIV.	Ego sum Via, Veritas	
22	locutus fuissem eis	L	XV.	locutus non fuissem eis	
5	priusquam mundus esset	L	XVII.	priusquam mundus fieret	
12	custodivi	L		ego custodivi	
18	& ego misi eos	L		ita & ego misi eos	
11	Non bibam illum?	l	XVIII.	Non vis ut bibam illum?	
35	& Pontifices	L		& Pontifices tui	
40	Clamaverunt ergo rursùm	L		Clamaverunt rursum	
38	Arimathæa	L	XIX.	Arimathia	
26	dixit: Pax	L	XX.	dixit eis: Pax	
27	deinde dicit Thomæ	L		deinde dixit Thomæ	
1	Jesus discipulis ad mare		XXI.	Jesus ad mare	l
6	dicit eis	L		dixit eis	
13	accipit panem, & dat eis	l		accepit panem, & dabat eis	
16	dicit ei: Pasce	L		dicit ei iterum: Pasce	
22	dicit ei Jesus	L		dixit ei Jesus	

ACTUS APOSTOLORUM.

1	Cùm complerentur		II.	Dum complerentur	
29	sepultus			sepultus est	L
33	effudit hunc quem	l		effudit hoc donum quod	
11	Cùm teneret autem	l	III.	Cùm viderent autem	
18	quæ prænunciavit			qui prænunciavit	l
2	1592. in Jesum 1593. in Jesu		IV.	in Jesum	l

3 Pe-

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
3	Petrus: Anania	l	V.	Petrus ad Ananiam: Anania	
1	Si hæc ita ſe habent	L	VII.	Si hæc ita ſe haberent	
6	erit ſemen ejus	L		erit ſemen tuum	
8	Iſaac Jacob: & Jacob	L		Iſaac & Jacob, & Jacob	
40	Moyſes enim hic	l		Moyſi enim huic	
43	trans Babylonem	L		in Babylonem	
48	Propheta dicit	l		per Prophetam dicit	
55	à dextris Dei	l		à dextris virtutis Dei	
11	magiis ſuis		VIII.	magicis ſuis	l
20	in Synagogis		IX.	ingreſſus in ſynagogas	l
25	diſcipuli nocte	l		diſcipuli ejus nocte	
34	Ænea, ſanat te			Ænea, ſanet te	l
4	Quid eſt Domine?		X.	Quis es Domine?	L
5	mentis viſionem	L	XI.	mentis meæ viſionem	
4	cuſtodiendum	l	XII.	ad cuſtodiendum	
9	exiſtimabat autem	L		exiſtimabat enim	
13	ad audiendum			ad videndum	L
16	aperuiſſent	l		aperuiſſent oſtium	
6	Paphum... Barjeſu	l	XIII.	ad Paphum... Barjeu	
22	filium Jeſſe			filium Jeſſæ	L
33	filiis noſtris	l		filiis veſtris	
43	colentium advenarum	l		colentium Deum advenarum	
6	Euangelizantes erant. Et quidam	l	XIV.	Euangelizantes erant, & commota eſt omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem, & Barnabas morabantur Lyſtris. Et quidam	
16	corda noſtra			corda eorum	
24	in Perge			in Pergen	l
1	Pervenit autem Derben		XVI.	Pervenit autem in Derben	L
12	conferentes			conſiſtentes	l
15	nominibus, & lege veſtra		XVIII.	nominibus legis veſtræ	
23	Galaticam regionem	L		Galatiam regionem	
1	quoſdam diſcipulos	L	XIX.	quoſdam de diſcipulis	
11	non quaſlibet	L		non modicas quaſlibet	
14	quidam Judæi Scevæ	L		cujuſdam Judæi nomine Scevæ	l
19	combuſſerunt coram	L		combuſſerunt eos coram	
4	Sopater		XX.	Soſipater	l
11	allocutus uſque	L		allocutus eſt uſque	

CLEMENTIS VIII. ET SIXTI V.

15	aliâ applicuimus	L		aliâ die applicuimus	
10	Quidam à Judæa	L	XXI.	Quidam vir à Judæa	
16	venerunt autem & ex Mnaſonem	L		venerunt autem quidam ex Jaſonem	1
37	qui dixit	L		qui dixit ei	
3	Et dicit... Gamaliël	L	XXII.	Et dixit... Gamaliëlis	
22	præcipiens, ne	L	XXIII.	præcipiens ei, ne	
26	ſcribens epiſtolam	L		ſcribens ei epiſtolam	
29	nihil verò... habentem criminis			nullum verò... habentem crimen	
4	breviter audias		XXIV.	breviter ut audias	L
18	tumultu. Quidam	1		tumultu, & apprehenderunt me clamantes & dicentes: Tolle inimicum noſtrum. Quidam	
25	accerſam te	L		accerſiam te	
26	accerſens	L		accerſiens	
4	ſervari Paulum	L	XXV.	ſervari quidem Paulum	
14	demorarentur	L		morarentur	
16	crimina	L		crimina, quæ ei objiciuntur	
24	Videtis hunc	L		Videtis hunc hominem	
17	de populo, & gentibus		XXVI.	de populis, & gentibus	1
9	eo quòd & jejunium		XXVII.	eo quòd jejunium	1
43	emittere ſe primos	L		emittere ſe in mare primos	
7	benignè exhibuit	L	XXVIII.	benignè ſe exhibuit	

AD ROMANOS.

13	Habeam & in vobis		Cap. I.	Habeam in vobis	1
28	in manifeſto, Judæus eſt	L	II.	in manifeſto eſt, Judæus eſt	
	in manifeſto, in carne, eſt	L		in manifeſto in carne eſt, eſt	
29	in abſcondito, Judæus eſt	L		in abſcondito eſt, Judæus eſt	
3	Fidem Dei evacuabit		III.	Fidem Dei evacuavit	L
25	Propitiationem	1		Propitiatorem	
2	ex operibus	1	IV.	ex operibus legis	
17	cui credidit			cui credidiſti	1
18	ſemen tuum			Semen tuum ſicut ſtellæ cœli, & arena maris	1
19	non infirmatus eſt fide	L		non eſt infirmatus in fide	
21	promiſit, potens	L		promiſit Deus, potens	
2	per quem & habemus	L	V.	per quem habemus	

8 quo-

Clementis VIII.			et	Sixti V.	
8	quoniam cùm adhuc	l		quoniam ſi cùm adhuc	
20	ſuperabundavit gratia	L		ſuperabundavit & gratia	
1	permanebimus	L	VI.	manebimus	
3	ignoratis quia	l		ignoratis fratres quia	
8	vivemus cum Chriſto	L		vivemus cum illo	
16	neſcitis	L		an neſcitis	
4	ut fructificemus Deo	L	VII.	ut fructificetis Deo	
19	hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago	L		hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio	
30	illos & glorificavit	l	VIII.	illos & magnificavit	
1	in Chriſto	l	IX.	in Chriſto Jeſu	
5	& ex quibus	L		ex quibus	
22	apta in	l		aptata in	
24	vocavit nos non ſolùm	L		vocavit nos ſolùm	
21	contradicentem		X.	contradicentem mihi	l
9	in laqueum	l	XI.	coram ipſis in laqueum	
36	in ſæcula. Amen	L		in ſæcula ſæculorum. Amen	
10	charitate fraternitatis		XII.	charitatem fraternitatis	l
15	gaudere cum gaudentibus, flere	L		gaudete cum gaudentibus, flete	
19	mihi vindicta: ego retribuam			mihi vindictam, & ego retribuam	
2	ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.		XIII.	ſunt à Deo, ordinata ſunt.	l
21	qui non audierunt	L	XV.	qui non audierunt de eo	
22	& prohibitus ſum			ſed prohibitus ſum	
30	adjuvetis me	L		adjuvetis & me	
5	Aſiæ in Chriſto	l	XVI.	Eccleſiæ Aſiæ in Chriſto Jeſu	
6	laboravit in vobis			laboravit in nobis	l
7	Juniam			Juliam	l
23	Arcarius	L		Archarius	

AD CORINTHIOS I.

10	In eadem ſententia		Cap. I.	In eadem ſcientia	l
14	Gratias ago Deo	l		Gratias ago Deo meo	
16	ceterum neſcio ſi... alium baptizaverim	L l		ceterorum autem neſcio ſi... alium veſtrûm baptizaverim	
9	in cor hominis aſcendit	L	II.	in cor hominis aſcenderunt	
14	ſpiritualiter examinatur	l		ſpiritualiter examinantur	
15	judicatur. Quis	L		judicatur, ſicut ſcriptum eſt: Quis	
16	qui inſtruat eum	L		aut quis inſtruxit eum	

5 hu-

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
5	hujusmodi	L	V.	hujusmodi hominem	
11	nominatur, est	L		nominatur inter vos, est	
11	hæc quidam fuistis		VI.	hæc quidem fuistis	l
18	omne peccatum	l		omne enim peccatum	
7	Volo enim		VII.	Volo autem	L
24	unusquisque in quo vocatus est fratres	L		unusquisque ergo in quo vocatus est frater	l
26	Existimo ergo	l		Existimo enim	
6	nobis tamen unus Deus	L	VIII.	nobis tamen unus est Deus	
10	in idolio	L		in idolo	
11	in tua scientia	l		in tua conscientia	
17	Unus panis, unum corpus... pane participamus	L l	X.	Unus panis, & unum corpus... pane,& de uno calice participamus	
27	& vultis ire	l		ad cœnam, & vultis ire	
10	potestatem habere supra caput propter Angelos	l	XI.	velamen habere supra caput suum & propter Angelos	
2	Spiritu autem loquitur	l	XIV.	Spiritus autem loquitur	
16	qui supplet locum	l		quis supplet locum	
21	in lege scriptum est	l		in lege enim scriptum est	
23	quòd insanitis	l		quid insanitis?	
25	occulta cordis ejus	L		occulta enim cordis ejus	
32	Prophetis subjecti sunt	l		Prophetis subjectus est	
40	fiant			fiant in vobis	l
14	est ergo prædicatio	L	XV.	est prædicatio	
26	novissima	l		novissimè	
27	Cùm autem dicat	L		Cùm autem hæc dicat	
31	per vestram gloriam	l		propter vestram gloriam	
12	voluntas ut		XVI.	voluntas ejus ut	L
19	Salutant vos Ecclesiæ	l		Salutant vos omnes Ecclesiæ	

AD CORINTHIOS II.

6	Tribulamur pro vestra exhortatione & salute... exhortamur pro vestra exhortatione,& salute,quæ	l	I.	Tribulamur pro vestra salute... exhortamur pro vestra exhortatione, quæ	
11	multorum personis, ejus			multarum personis facierum, ejus	
18	non est in illo Est, & Non. Dei enim filius	L		non est in illo Est, & Non, sed est in illo fuit. Dei enim filius	
19	Timotheum,non fuit Est,&Non	L		Timotheũ non fuit in illo Est,&Non	

5 Si

5	Si quis autem contristavit	L	II.	Si quis autem contristavit me	
9	Dejicimur	l	IV.	Humiliamur, sed non confundimur. Dejicimur	
16	Qui autem consensus	L	VI.	Quis autem consensus	
4	tribulatione nostra	L	VII.	tribulatione vestra	
18	fratrem, cujus	L	VIII.	fratrem nostrum, cujus	
20	à nobis	L		à nobis in Domini gloriam	
23	in vos adjutor..l.. gloria Christi			in vobis adjutor... gloriæ Christi	l
3	Missi autem	L	IX.	Misimus autem	
23	Ministri Christi sunt (ùt		XI.	Ministri Christi sunt, & ego: ùt	l
2	in corpore nescio, sive extra	L	XII.	in corpore, sive extra	
11	nihil enim minus fui	l		nihil enim minus feci	
2	ùt præsens, & nunc	L	XIII.	ùt præsens vobis, & nunc	
4	vivemus cum eo	l		vivimus cum eo	

AD GALATAS.

3	Deo Patre, & Domino	L	I.	Deo Patre nostro, & Domino	
5	subjectione		II.	subjectioni	l
1	Christus præscriptus est		III.	Christus proscriptus est	L
3	carne consummemini	L		carne consummamini	
12	qui fecerit ea vivet	L		qui fecerit ea homo vivet	
19	propter transgressiones	l		propter transgressionem	
6	estis filii	l	IV.	estis filii Dei	
11	timeo vos ne fortè	L		timeo ne fortè	
30	non enim heres	L		non heres	
7	Persuasio	l	V.	Nemini consenseritis. Persuasio	
16	Dico autem: Spiritu	L		Dico autem in Christo: Spiritu	

AD EPHESIOS.

15	Domino Jesu	l	I.	Christo Jesu	
1	vos cùm essetis	l	II.	vos convivificavit cùm essetis	
11	vos gentes in carne, qui dicimini			vos eratis gentes in carne, qui dicebamini	L
12	quia eratis			qui eratis	l
22	in Spiritu			in Spiritu Sancto	L
16	virtute corroborari in interiorem hominem		III.	virtutem corroborari in interiori homine	l
22	deponere vos		IV.	deponite vos	l

30	in diem redemptionis			in die redemptionis	l
26	mundans lavacro		V.	mundans eam lavacro	L
27	ſibi glorioſam Eccleſiam	L		ſibi in glorioſam Eccleſiam	
15	in præparatione		VI.	in præparationem	L
20	in catena, ita ut	L		in catena iſta, ita ut	
23	Deo Patre	l		Deo Patre noſtro	

AD PHILIPPENSES.

9	in ſcientia	L	I.	in omni ſcientia	
14	& plures... confidentes vinculis			ut plures... confidentes in vinculis	L
4	quamquam ego habeam confidentiam & in carne		III.	quamquam & ego habeam confidentiam in carne	l
21	operationem	L		operationem virtutis ſuæ	

AD COLOSSENSES.

12	Gratias agentes Deo Patri		I.	Gratias agentes Deo & Patri	l
14	per ſanguinem ejus, remiſſionem			& remiſſionem	
22	exhibere vos ſanctos	L		ut exhiberet vos ſanctos	
25	in vos			in vobis	
7	confirmati fide	L	II.	confirmati in fide	
4	cùm Chriſtus apparuerit	l	III.	cùm autem Chriſtus apparuerit	
10	in agnitionem	L		in agnitionem Dei	
11	Gentilis	l		maſculus & femina. Gentilis	
16	Pſalmis, hymnis	l		in Pſalmis, hymnis	
17	Domini Jeſu Chriſti	l		Domini noſtri Jeſu Chriſti facite	
9	omnia	l	IV.	qui omnia	
16	eam... vos legatis	l		ea... vobis legatur	
18	Gratia vobiſcum	l		Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum	

AD THESSALONICENSES I.

1	Deo Patre	L	I.	Deo Patre noſtro	
1	ante paſſi	L	II.	ante paſſi multa	
10	fuimus	L		affuimus	
15	in adventum Domini		IV.	in adventu Domini	l
3	in utero habenti	l	V.	in utero habentis	
13	pacem habete	L		& pacem habete	
23	ſervetur	L		conſervetur	

AD

AD THESSALONICENSES II.

11	Voluntatem bonitatis	I	I.	Voluntatem bonitatis suæ	
12	& Domini Jesu Christi	L		& Domini nostri Jesu Christi	
4	de vobis in Domino... quæ præcipimus	L I	III.	de vobis fratres in Domino... quæcumque præcipimus	
16	Dominus pacis	L		Deus pacis	

AD TIMOTHEUM I.

9	Sciens hoc ... Parricidis		I.	Scientes hoc... Patricidis	L
12	Christo Jesu			in Christo Jesu	I
17	immortali, invisibili	L		immortali, & invisibili	
2	in sublimitate sunt	L	II.	in sublimitate constituti sunt	
6	testimonium temporibus suis			cujus testimonium temporibus suis confirmatum est	I
2	Oportet ergo	I	III.	Oportet enim	
14	Hæc tibi scribo	I		Hæc tibi scribo fili Timothee	
3	nubere, abstinere	L	IV.	nubere, & abstinere	
15	retro Satanam	I	V.	retro post Satanam	
24	quosdam autem & subsequuntur			quorumdam subsequuntur	I
8	1592. his contenti sumus 1593. his contenti simus	L	VI.	his contenti simus	

AD TIMOTHEUM II.

2	pax à Deo Patre	I	I.	& pax à Deo Patre nostro	
3	Deo, cui servio à progenitoribus	I		Deo meo cui servio à progenitoribus meis	
15	scis hoc... 1592. Phigelus 1593. Phigellus	I		scis enim hoc... Philetus	
18	misericordiam à Domino	L		misericordiam à Deo	
5	non coronatur	I	II.	non coronabitur	
14	testificans coram Domino	I		testificans coram Deo	
19	qui nominat nomen Domini	L		qui invocat nomen Domini	
11	in ministerium	I	IV.	in ministerio	

AD TITUM.

8	Benignum, sobrium	I	I.	Benignum, prudentem, sobrium	
12	1592. ventris pigri 1593. ventres pigri	L		ventris pigri	

AD PHILEMONEM.

2	1592. Apiæ / 1593. Appiæ	L		Apiæ	
20	Ita frater... in Domino	L		Ita facies... in Christo	

AD HEBRÆOS.

14	hereditatem capient	l	I.	hereditatem capiunt	
10	per passionem consummare	l	II.	per passionem consummari	
2	qui fecit illum	L	III.	qui præfecit illum	
11	sicut juravi			quibus juravi	L
19	introire	l		introire in requiem ipsius	
3	sicut juravi	L	IV.	quibus juravi	
14	teneamus confessionem	l		teneamus spei nostræ confessionem	
16	ad thronum gratiæ	l		ad thronum gratiæ ejus	
11	ininterpretabilis		V.	interpretabilis	l
10	Non enim injustus Deus	L	VI.	Non enim injustus est Deus	
23	Sacerdotes, idcirco	L	VII.	Sacerdotes secundum legem, idcirco	
25	accedentes per semetipsum			accedens per semetipsum	l
7	quem offert pro sua	l	IX.	quem offerret pro sua	
10	& variis	L		& in variis	
28	apparebit expectantibus	L		apparebit omnibus expectantibus	
6. 8.	Holocautomata	L	X.	Holocaustomata	
16	dando leges meas	l		dabo leges meas.	
30	Mihi vindicta			Mihi vindictam	l
37	aliquantulum			aliquantulumque	L
11	in conceptionem		XI.	in conceptione	L
17	qui susceperat	l		in quo susceperat	
34	effugerunt aciem			effugaverunt aciem	l
18	accensibilem ignem		XII.	accessibilem ignem	l
2	latuerunt quidam		XIII.	placuerunt quidam	l

JACOBI.

25	in legem perfectam		I.	In lege perfectæ	l
13	non fecit misericordiam	l	II.	non facit misericordiam	
4	Ecce & naves... circumferuntur		III.	Et ecce naves... circumferuntur autem	l

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
9	ad similitudinem Dei	L		ad imaginem, & similitudinem Dei	
17	non judicans, sine simulatione	L		judicans sine simulatione	
1	Nonne hinc? ex	L	IV.	Nonne ex	
11	alterutrum fratres			alterutrum fratres mei	1
12	unus est legislator			unus est enim legislator	1
14	quid erit in crastino	L		quid erit in crastinum	
6	Addixistis		V.	Adduxistis	1
8	appropinquavit			appropinquabit	1
13	Tristatur aliquis vestrûm? Oret.	1		Tristatur autem aliquis vestrûm?	
	Æquo animo est? Psallat	L		Oret æquo animo, & psallat	

PETRI I.

9	Salutem animarum	1	I.	Salutem animarum vestrarum	
13	sobrii perfectè	1		sobrii perfecti	
15	& ipsi in	1		ut & ipsi in	
25	in vos			in vobis	1
2	rationabile, sine dolo		II.	rationabiles, sine dolo	1
5	domus spiritualis			domos spirituales	1
6	angularem, electum	L		angularem, probatum, electum	
20	quæ est enim gloria	1		quæ est enim gratia	
3	vestimentorum cultus	L	III.	vestimentorumve cultus	
8	In fine autem			In fide autem	1
15	quæ in vobis est spe	1		quæ in vobis est fide, & spe	
16	quod detrahunt vobis	L		quod detrahunt de vobis	
17	benefacientes			ut benefacientes.	L
18	mortificatus... vivificatus			mortificatos... vivificatos	1
3	potationibus, & illicitis	L	IV.	potationibus, ebrietatibus, & illicitis	
18	si justus vix	1		si justus quidem vix	
13	in Babylone coëlecta	1	V.	in Babylone collecta	

PETRI II.

15	Horum memoriam	L	I.	Horum omnium memoriam	
16	doctas fabulas			indoctas fabulas	1
13	coïnquinationes		II.	coïnquinationis	1
16	hominis voce loquens	1		in hominis voce loquens	
13	secundum promissa	1	III.	& promissa	

JOANNIS I.

4	Qui dicit se nosse eum	1	II.	Qui dicit se nosse Deum	
24	si in vobis permanserint			quia si in vobis permanserint	
27	vos unctionem quam	L		unctionem quam	
13	de spiritu suo dedit	L	IV.	de Spiritu sancto suo dedit	
12	Qui habet filium, habet... Qui non habet filium	1	V.	Qui habet Filium Dei, habet... Qui non habet Filium Dei	L
14	quam habemus ad eum	1		quam habemus ad Deum	

JOANNIS II.

12	Plura habens	1		Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini. Plura habens	

JOANNIS III.

14	Saluta amicos	L		Saluta tu amicos	

JUDÆ.

11	Væ illis, quia			Væ illis, qui	1
16	os eorum loquitur superba			os eorum loquitur superbiam	1
18	in novissimo tempore	1		in novissimis temporibus	
20	vestræ fidei			nostræ fidei	1

APOCALYPSIS.

1	Angelo Ephesi		II.	Et Angelo Ephesi	1
4	habeo adversum te			habeo adversum te pauca	1
5	venio tibi	L		veniam tibi citò	
12	utraque parte	L		ex utraque parte	
1	oportet fieri post hæc		IV.	oportet fieri citò post hæc	1
2	Et statim			Statim	1
8	alas senas: & in circuitu, & intus			alas senas in circuitu: & intus	L
6	tritici denario... hordei denario	L	VI.	tritici denario uno... hordei denario uno	
5	Thuribulum	1	VIII.	Thuribulum aureum	
4	Ego scripturus eram	L	X.	Et ego scripturus eram	
4	terræ stantes	L	XI.	terræ stantia	
17	Deus omnipotens	L		Deus noster Omnipotens	

19 voces

	Clementis VIII.		et	Sixti V.	
19	voces & terræ motus	L		voces, & tonitrua, & terræ motus	
16	demessa est terra	L	XIV.	demessuit eam	
3	viæ tuæ, Rex sæculorum	l	XV.	viæ tuæ, Domine Rex sæculorum	
2	abiit primus...	l	XVI.	abiit primus Angelus	
	imaginem ejus	L		bestiam, & imaginem ejus	
7	audivi alterum ab altari			audivi alterum	L
8	igni	L		igne	
13	Pseudoprophetæ spiritus	l		Pseudoprophetæ exire spiritus	
16	Armagedon	L		Armageddon	
4	1592. inaurata 1593. inaurato		XVII.	inaurata	L
14	vocati, electi			vocati, & electi	L
6	quo miscuit, miscete	L	XVIII.	quo miscuit vobis, miscete	
12	1592. cinamomum 1593. cinnamomum	l		cinnamomum, & amomum	
1	lalus, & gloria		XIX.	laus, & gloria	l
9	dixit mihi: Hæc verba	L		dicit mihi: Hæc verba	
13	vocatur nomen ejus	l		vocabatur nomen ejus	
23	illuminavit eam	l	XXI.	illuminabit eam	
1	aquæ vitæ		XXII.	aquæ vivæ	l

CAPUT SECUNDUM.

Reflexiones ad Schema præcedens,

Quibus breviter indicatur, utra lectio verosimilior videatur an Sixti V. an Clementis VIII.

NE Lectori sim tædiosus, & ne moles hujus libri absque necessitate multùm accrescat, in his Reflexionibus nec allegabo, nec repetam differentiam lectionis, quæ est inter Biblia Sixti V. & Clementis VIII. sed in locis variantibus ùt plurimùm solam lectionem Clementinam proponam, cum exigua, sed necessaria reflexione; pro ipsa lectionis differentia Lectorem ad Schema antepositum remittens: sæpiùs quoque librum secundum præcedentem, raro primum citabo, & folium indicabo, quando nimirum in illis ejusdem loci lectio specialiter discutitur.

GENE-

GENESIS.

CAp. I. 2. *Spiritus Dei.* Sic est ad verbum in Hebræo אלהים *Elohim.* item in LXX. Interpretibus Græcis Θεῦ. In Vulgata passim ab Hieronymo posita est Latina vox *Deus*, & à LXX. græca Θεός, ubi in Hebræo habetur vox *Elohim*, ùt hoc loco; sed ab Hieronymo vox *Dominus*, & à LXX. Κύριος, ubi in Hebræo habetur essentiale nomen Dei יהוה. De quo vide meum *Dictionarium Scripturisticum*, verbo *Adonaj*.

II. 12. *Ibi invenitur Bdellium.* Etiam sine copula adjuncta est in Hebræo *Ibi Bdellium*, subaudi *invenitur*, vel *est*, ùt supplent LXX. *Et ibi est* ἄνθραξ *Carbunculus.* Hi insuper, ût vides, copulam adjecerunt, prout etiam Biblia Sixti V. & multa alia Latina.

III. 11. *Cui dixit.* In hebræo, chaldæo, græco non additur *Dominus.*

℣. 19. *Vesceris pane.* Quod cùm variis Latinis Biblia Sixti V. addunt *Tuo*, est quidem conforme græco textui, sed in hebræo, & chaldæo tantùm est *Pane.*

℣. 23. *Et emisit eum.* Etiam in hebræo, & græco est præposita copula *Et.*

IV. 7. *Peccatum aderit.* Nec hebræa, nec chaldæa, nec græca addunt *Tuum.*

℣. 15. *Posuitque Dominus Caïn signum.* Hoc est *Caïno*, prout in Dativo habent tam græca, quàm hebræa, quod apertiùs explicant Biblia Sixti V. quæ cum variis aliis latinis habent: *In Caïn signum.*

V. 3. *Genuit ad imaginem.* Nec græca, nec hebræa interponunt *Filium.*

℣. 22. *Et ambulavit Henoch cum Deo.* Ista sunt etiam hoc versu in hebræo, chaldæo, græco, aliisque textibus, atque etiam in omnibus antiquis Vulgatæ libris, quos inspexi. Nec Theologi Lovanienses eadem legentes ullum notant Manuscriptum, quod ista non habeat; unde reor, per meram Typographi inadvertentiam esse omissa in Vaticanis Sixti V.

VI. 17. *Universa.* Hebræa: *Omne quod*, ubi quidem copula deest, sed illam addunt LXX. *Et quæcumque*, addunt etiam plerique antiqui libri, ac post illos Sixti V.

VII. 13. *Et tres uxores filiorum ejus.* Istud *Tres* exprimitur in hebræo, chaldæo, græco. Forsitan ita expresse hoc Deus addi voluit, ut indicaretur eorum temperantia, nempè quòd singuli filii Noë unam tantummodò uxorem habuerint.

℣. 21. *Volucrum, animantium* &c. Idem verborum ordo, qui est in Clementinis, pariter est in hebræo, & græco; imò & in plerisque (si non omnibus) latinis Vulgatæ libris, excepto Sixti V.

℣. 23. *Et deleta sunt.* Etiam græca, & hebræa præponunt copulam.

VIII. 9. *Extenditque manum.* Plerique antiquiores Vulgatæ Codices cum Vaticanis Sixti V. addunt *Suam*, conformiter hebræo ידו *Jado. Manum suam*, quod etiam habent LXX. Basilien-

liensia, sed græca Sixtina omittunt.

IX. 5. *Et fratris ejus.* Istud *De manu*, quod hîc repetendo interponunt Biblia Sixti V. & varia alia latina, nec in hebræo habetur, nec in græco; imò nequidem in illis adest copula *Et*, sed pro illis Vulgatæ modernæ: *De manu viri, & fratris ejus*, est in hebræo: *De manu viri fratris ejus.* LXX. *Et de manu hominis fratris.*

ỳ. 10. *Cunctis, quæ egressa sunt.* Copulam in permultis latinis adjectam, nec habent hebræa, nec græca.

ỳ. 12. *Hoc signum fœderis.* Verbum *Est*, quod latina vetustiora passim exprimunt, in hebræo & græco tantùm subintelligitur.

ỳ. 16. *Eritque arcus in nubibus.* Additur *Meus* in græco, non in hebræo.

ỳ. 17. *Hoc erit signum fœderis.* Varii libri latini, signanter Sixti V. *Hoc est signum fœderis.* Hebræi, & Græci: *Hoc signum fœderis.*

ỳ. 22. *Verenda scilicet patris sui esse nudata.* In hebræo, & græco est: *Et vidit Cham pater Chanaan nuditatem patris sui, & nunciavit* &c. Porrò per *Nuditatem* honestâ Phrasi intelliguntur membra verenda denudata. Unde S. Hieronymus optimè sensum transtulit, sive adjungas istud *Esse* cum Vulgatæ codicibus etiam antiquioribus, sive omittas cum codice Sixti V. qui in hoc quoad verba magìs convenit cum hebræo & græco.

X. 7. *Filii Chus: Saba.* Quòd exemplar Sixti V. & quamplurima latina interponant *Autem*, præcisè correspondet versioni LXX. estque magìs conforme hebræo, in quo est: *Et filii Chus: Saba.*

ỳ. 13. *Nephthuïm.* Hebræa, græca, & multa latina præponunt cum Sixto V. *Et.*

ỳ. 16. *Gergesæum, Hevæum.* Hîc etiam utrique nomini præponitur copula in hebræo, græco, multisque latinis.

ỳ. 18. *Et post hæc.* Hebræa: *Et postea.* LXX. *Et post hoc.* Ante correctionem factam sub Clemente VIII. passim legebatur in Vulgata, sicuti in Sixt. V. *Et per hos.*

ỳ. 19. *Lesa.* Antiqua latina Biblia passim habent, sicut Sixti V. *Lasa*, qualiter etiam LXX. Λασά. Imò sic est punctatum in hebræo לָשַׁע *Lascha*; sed illa ipsa punctatio demonstrat, legendum esse *Lesa*; quia hoc nomen est ibi in pausa, ùt vocant, hoc est, ultima vox sententiæ, seu versûs, adeòque illud *a* breve, seu Patach in fine vocis, indicat (saltem ex mente Rabbinorum) propriam, & genuinam punctationem, ac pronunciationem hujus Nominis esse *Lesa*.

ỳ. 31. *Isti filii Sem.* Verbum *Sunt* subauditur, sed non exprimitur in hebræo, & græco.

XI. 6. *Et unum labium.* Etiam hîc in hebræo, & græco verbum *Est* tantùm subintelligitur.

XII. 6. *Usque ad convallem.* Franciscus Lucas ait: *Meritò hîc omissa est* Et *conjunctio, quæ præponebatur* passim antea in Vulgata; etenim eâ caret tam hebræus textus, quàm græcus.

XIII. 14. *Leva oculos tuos.* Iterum monet Lucas Brugensis: *Non subjicias:*

In directum. Abest enim ab hebræo, græco, variisque Latinis.

ỳ. 17. *Surge, & perambula terram.* Brugensis: *Conjunctio* Ergo *superflue interponitur à quibusdam.* Neque illa est in hebræo, aut græco.

XIV. 5. *In Astaroth carnaïm.* Etiam in hebræo, & græco est sine copula media.

ỳ. 7. *Venerunt ad fontem.* Nec hebræa, nec græca interponunt *Usque.*

ỳ. 10. *Et Gomorrha.* Ita etiam textus hebræus, subauditâ, non expresâ voce *Rex*, quam exprimunt LXX. quos sequuntur multi Vulgatæ libri cum Sixt. V.

ỳ. 14. *Persecutus est usque Dan.* Quod in permultis latinis, signanter Sixti V. mediat *Eos*, non habetur quidem in hebræo, sed est in græco.

ỳ. 15. *Percussitque... usque Hoba.* Aliqua Vulgatæ exemplaria cum Sixt. V. addunt: *Et Phœnicen*; sed hoc nec in hebræo est, nec in græco. Istud Sixti V. *Pecrussit*, irrepsit per incuriam Typographi litteris malè transpositis.

XVI. 1. *Sarai uxor Abram non genuerat liberos.* Tum Codex Sixti V. tum aliquot alii latini legunt: *Non genuerat sibi liberos.* Convenit hoc cum hebræo & græco, si accipias *Sibi* pro *Ipsi*, seu *Ei*, nempè Abrahamo; habetur enim in utrisque Pronomen masculinum לו *Lo*, ἀυτῷ, unde ad Abram referri debet, non ad Saram.

ỳ. 7. *Juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto.* Biblia Sixti V. & pleraque antiquiora latina pro *Qui* habent *Quæ*, referuntque ad *Solitudinem*, vel ad *Aquam*, minùs rectè, cùm referri ad *Fontem*, atque adeò *Qui* dici debere, ostendant græca, & hebræa, quæ habent: *Super*, seu *Juxta fontem aquæ in deserto, juxta fontem in via Sur*: unde S. Hieronymus pro repetito illo *Juxta fontem*, transtulit: *Qui est.*

XVII. 22. *Ascendit Deus ab Abraham.* Ita hebræa, græca, & latina alia præter Sixti V. in quibus videtur per inadvertentiam impressum *ad* pro *ab.*

ỳ. 25. *Ismaël filius.* Non malè Biblia tum Sixti V. tum antiqua latina addunt *Suus*, aut *Ejus*, præsertim cum ita sit expresè in hebræo & græco ὑιὸς ἀυτοῦ בנו *Bno. Filius ejus.* Istud *Ejus*, vel *Suus* est forsitan per inadvertentiam omissum in prima editione Clementis VIII. atque ita etiam in Bibliis postea impressis juxta illa Clementina.

XVIII. 2. *Tabernaculi.* Quod Codex Sixti V. & quidam alii latinè subdunt *Sui*, non est in hebræo, sed in græco.

ỳ. 4. *Lavate.* Sic & hebræa, prout etiam ỳ. 5. *Confortate.*

ỳ. 20. Est in hebræo: *Sodoma, & Gomorrha.*

ỳ. 28. *Delebis propter quadraginta quinque.* In græco est constanter ἕνεκεν *Propter*, quod etiam importat hebræum ב *Ba In.* Alia quoque latina habent *Propter*. Videtur ergo per meram inadvertentiam loco *Propter*, impressum in Codice Sixti V. *Quia*; quamquam hæc lectio etiam congruum sensum habeat: *Delebis quia quadraginta quinque*, nempè supplendo in sensu: *tantùm ibi sunt, & non integri quinquaginta priùs requisiti.*

Quòd autem Editio Sixti V. habeat *Quadraginta quinque*, est quidem conforme

forme Editioni Clementis VIII. Attamen magìs genuina videtur lectio variorum latinorum librorum, qui omissis *quadraginta*, tantùm habent *quinque*, qui nimirum desunt ad quinquaginta justos, priùs à Deo requisitos, ut toti parceret regioni: nam tantummodò *quinque* habent omnes alii textus. Vide dicta libro II. fol. 138.

XIX. 14. *Surgite, egredimini.* Varia latina cum Sixti V. interponunt *Et*, quod etiam fecerunt LXX. sed non hebræa.

℣. 29. *Cùm enim.* Sixt. V. *Cùm autem.* In hebræo, & græco est *Et.*

XX. 7. *Quia Propheta est, & orabit pro te.* Hic verborum ordo est præcisè in græco, & hebræo.

℣. 16. *Mementoque.* Enclytica meliùs additur, cùm tam hebræus, quàm græcus textus etiam copulam adjiciant.

XXI. 15. *Subter unam arborum, quæ ibi erant.* In hebræo est plurale, sicut in Clement. VIII. At singulare est in LXX. prout & in Sixti V. & plerisque latinis.

XXII. 5. *Ego, & puer.* Hebræa: *Et ego, & puer.* Græca: *Ego autem, & puer*, quod etiam habent antiquiora latina penè omnia cum Sixt. V.

℣. 12. *Quòd times Deum.* Latina vetustiora habent *Timeas*, prout & *Deum* meliora manuscripta, græcaque & hebræa. In his est: *Quòd timens Deum tu.*

℣. 20. *His ita gestis.* Hebræa, & græca: *Et fuit post verba hæc.*

XXIII. 13. *Plebe...in eo.* In hebræo, & græco est: *Populo terræ... ibi.*

XXIV. 21. *Dominus.* Hebræa יְהוָה Græca Κύριος. Vide dicta Gen. I. 2.

℣. 24. *Filia sum Bathuëlis* &c. Sunt hæc verba tum in hebræo, tum in græco eodem ordine, quo habentur in Bibliis Clementis VIII.

℣. 41. *Non dederint.* Forsitan per inadvertentiam omissâ litterâ *n*, impressum est singulare *Dederit* in codice Sixti V. cùm reliqua latina, quæ videre potui, habeant plurale, atque ita sit etiam in hebræo, & græco.

℣. 65. *Pallium.* Neque in hebræo, neque in græco additur *Suum*, quod tamen est in omnibus penè antiquis Vulgatæ libris, sicut & in Sixti V.

℣. 66. *Narravit Isaac.* Brugensis: *Redundat, quod quidam hîc interponunt: Domino suo.* In græcis etiam, & hebræis non habetur, nec in variis antiquis latinis.

XXV. 10. *Quem emerat.* Congruentiùs refertur ad *agrum*, quàm ad *speluncam*, ùt patet ex contextu Vulgatæ nostræ: *Sepelierunt eum... in spelunca duplici, quæ sita est in agro... quem emerat.* Est quoque conforme hebræo, in quo vox שׂדה *Sade. Ager* immediatè præcedit Pronomen אשׁר *Ascher*, quod tamen indifferens est ad masculinum *quem*, & femininum *quam.* LXX. patenter referunt ad *Speluncam.*

℣. 15. *Jethur.* Biblia Lovaniensium, & antiquiora passim *Jetur* sine aspiratione, quam nec admittit græca lectio Ἰετούρ, nec hebræa יטור quæ litteræ, possunt efferri *Jetour, Jetur, Itur.*

XXVI. 34. *Duxit uxores.* Nec in hebræo, nec in græco additur *Duas.*

XXVII. 12. *Inducam.* Sic in prima per-

persona est in græco, & hebræo. Vide dicta libro 2. fol. 138.

ỳ. 21. *Accede huc*. Hebræa: *Appropinqua quæso*, vel *nunc*. LXX. *Appropinqua mihi*; seu *ad me*; ùt pleraque latina cum Sixt. V.

XXVIII. 14. *Ad occidentem, & orientem* &c Eodem ordine est in hebræo; in græco etiam *Occidens* præcedit, quamvis ibidem aliter Orbis plagæ commisceantur.

ỳ. 20. *Si fuerit Deus mecum*. Etiam hebræa habent *Deus. Elohim*. Varia latina, signanter Sixti V. *Dominus*. LXX. jungunt utrumque: *Dominus Deus*.

XXIX. 13. *Cucurrit*. Sic hebr. & gr.

ỳ. 24. *Liam*. Cùm ita habeant omnes alii latini codices, & *Lian* non sit terminatio latina, puto in codice Sixti V. esse per inadvertentiam impressum *Lian* pro *Liam*. Hebr. לאה *Lia*.

XXX. 16. *Et ad me, inquit, intrabis*. In hebræo, & græco est: *Et dixit: Ad me intrabis*. Sufficit proinde istud *Inquit*, nec satìs congruè præcedit *Ait*, quod habent antiqua latina passim cum Sixti V. *Et ait: Ad me, inquit, intrabis*.

ỳ. 25. *In patriam*. In codice Sixti V. & quibusdam aliis non malè additur: *Meam*; nam tam in hebræo, quàm græco est: *Ad locum meum, & ad terram meam*.

ỳ. 26. *Tu nosti*. Hebræa: *Quia tu nosti*. LXX. *Tu enim nosti*.

ỳ. 30. *Dominus*. Sic potiùs, quàm *Deus* esse exprimendum hebræum nomen Tetragrammaton יהוה dixi fol. 384. Interim LXX. *Dominus Deus*.

ỳ. 33. *Arguent*. Hoc est conforme hebræo, & græco.

XXXI. 29. *Patris vestri*. Ita hebræa. LXX. *Patris tui*, sicut Sixt. V.

XXXII. 1. *Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat*. In hebræo, & græco est: *Et Jacob abiit in viam suam*.

ỳ. 18. *Domino meo*. Sic græca, & hebræa, non *Suo*.

XXXIV. 15. *Omne masculini sexûs*. LXX. *Omne masculinum*, Hebræa *Col zachar*, quod significat tam *omnem masculum*, quàm *omne masculinum*.

ỳ. 23. *Unum efficiemus populum*. In græco est Futurum. Hebr. וישבו *Vejeschebu*, est indifferens ad Futurum, & Imperativum.

XXXV. 4. *Infodit ea*, omnia, nempè tam *inaures*, quàm Idola, seu *Deos alienos*, quos maximè Jacob à familia sua removere satagebat. Qui legunt *Eas*, minùs congruè referunt ad solas *Inaures*. Hebræa, & græca patiuntur utramque lectionem.

ỳ. 8. *Super quercum*. Sic quidem habent Editiones omnes Vaticanæ Clementis VIII. sed libro II. fol. 139. ostendi, legendum esse *Subter quercum*, sicut habet Exemplar Sixti V. & omnes alii Vulgatæ libri novi, & antiqui.

XXXVI. 24. *Asinos*. In hebræo est masculinum חמרים *Hhamorim*, in græco neutrum ὑποζύγια *Subjugalia*.

XXXVII. 3. *Filios suos*. *Suos* addunt hebræa, & græca.

ỳ. 17. *Perrexit ergo*. Tam in hebræo, quàm græco est: *Et perrexit*.

XXXVIII. 12. *Mortua est filia Suë*. Ita omninò legendum est, & legunt alii textus, signanter hebræus. Vide dicta

dicta libro II. fol. 139.

XXXIX. 1. *Exercitûs.* Nec græca, nec hebræa exprimunt *Sui*.

ỷ. 9. *Peccare in Deum meum.* Hebræa, & græca omittunt *Meum*; sed habent *Deum*, non *Dominum*, qui posset propter ambiguitatem istius vocis malè intelligi Putiphar herus Josephi. Vide lib. II. fol. 139.

XL. 1. *His ita gestis.* Hebræa: *Et fuit post verba hæc.*

ỷ. 15. *Furto sublatus sum* גנב גנבתי *Gunnob gunnabti. Surripiendo surreptus sum.* Aut (si ita loqui liceret latinè) sumendo utrumque verbum in significatione passiva: *Furando furatus sum*, q.d. *Furtivissimè surreptus.*

XLI. 20. *Consumptis prioribus.* Sic etiam est in hebræo, & græco, quapropter meritò ita est restitutum in Bibliis Sixti V. chartâ impressâ superpositâ cum pulte; priùs autem videtur impressum fuisse *Pecoribus*, ùt in aliquibus latinis non rectè positum est pro *Prioribus*.

ỷ. 44. *Rex ad Joseph.* Hebræa, & græca: *Pharao ad Joseph.*

ỷ. 45. *Putiphare.* Ita, inquit Brugensis, rectiùs scribitur tum hîc, tum infra ỷ. 50. & XLVI. 20. *Putiphare*, quàm *Putipharis*, quò certiùs distinguatur nomen hoc Sacerdotis *Putiphare* quadrisyllabum, à trisyllabo nomine eunuchi *Putiphar*, de quo supra XXXIX. 1. Hæc Brugensis. Vide quæ dixi libro I. fol. 7.

ỷ. 50. *Nati sunt autem.* Ita LXX. At hebræa: *Et nati sunt.*

XLIII. 14. *Quem tenet.* Hoc, & istud *In vinculis*, quod aliqui addunt cum editione Sixti V. subauditur tantùm in hebræo, & græco.

ỷ. 17. *Fecit ille, quod sibi fuerat imperatum.* Istud *Sibi*, quod plerique latini cum Sixto V. omittunt, abest pariter ab hebræo, & græco. In hoc est: *Fecit autem homo sicut dixit Joseph*, seu *Imperaverat*. In hebræo: *Et fecit ille vir sicut dixit Joseph.*

ỷ. 27. *Salvusne est?* Hebræa: *Num pax*, supple *ipsi est?* LXX. *Num sanus est?* Estne incolumis?

XLIV. 17. *Respondit Joseph.* Hebræa addunt copulam, sed omittunt nomen *Joseph*, tantùm enim habent: *Et dixit.* LXX. *Dixit autem Joseph.*

XLVI. 2. *Visionem noctis.* Sic hebræa, & græca.

XLVIII. 1. *His ita transactis.* LXX. & hebræa: *Et fuit post verba hæc.*

ỷ. 3. *Ingresso ad se ait.* Hebr. & gr. *Et dixit Jacob ad Joseph.*

L. 10. *Atad.* Sic præcisè græca, & hebræa אטד

ỷ. 17. *Servis Dei patris tui.* Sic omnes alii textus, & aliquot antiqua latina, quod varia antiqua latina, signanter Sixti V. habent: *Ut servo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc*, non solùm mendosum est, sed etiam falsum supponere videtur, nihil enim Jacob pater in Josephum peccaverat, quod Joseph ei dimitteret.

EXODUS.

CAp. I. 6. *Omnique cognatione illâ.* Ita hebræa, & græca, non *Sua.* Hoc tamen ante communius legebatur in Vulgata. Vide lib. 2. fol. 140.

II. 14. *Quis te constituit?* Hic ordo est in græco; at in hebræo: *Quis constituit te?*

℣. 22. *Eripuit me.* Addunt hoc loco LXX. *Et*; ex ipsis autem illa verba habentur hoc capite; nam hîc desunt in hebræo, in quo equidem eadem sententia habetur cum addito *Et* Cap. XVIII. 4.

℣. 25. *Et cognovit eos.* Verbum *cognoscendi* est etiam in hebræo, & græco; hæc tamen cognitio indubiè dirigebatur ad Hebræorum liberationem; unde objectum cognitionis, seu providæ curæ exprimit Codex Sixti V. prout & alii multi Vulgatæ libri. Vide dicta libro 2. fol. 140.

III. 14. *Dixit Deus. Elohim*, Θεός.

℣. 20. *Extendam enim.* Hebræa, & græca: *Et extendam*, seu *Extendamque*, prout habet Editio Sixti V. & aliquot aliæ latinæ.

IV. 4. *Versaque est in virgam.* Hebr. & græc. *Et fuit in virgam* rursum, hoc est sicut priùs virga fuerat, atque adeò æquè benè editio Sixti V. *Reversaque est in virgam.*

℣. 14. *Egreditur.* Hebraicè יוֹצֵא *Jotse. Egrediens*; sed si alio puncto ¨ legas, יֵצֵא *Jetse*, erit *Egredietur*, prout habet editio Sixti V. & pleraque antiqua latina, atque etiam LXX. Apparet hoc quoque magìs conforme contextui.

℣. 26. *Sponsus sanguinum ob circumcisionem.* Nec in hebræo, nec in græco additur: *Tu mihi es.*

℣. 28. *Quibus miserat eum.* LXX. *Omnia verba, quæ mandaverat ei.* Hebræa: *Omnia verba Domini* אֲשֶׁר *Ascher miserat eum.* At *Ascher* æquè verti potest: *Qui* miserat eum, & *Quibus* miserat eum.

V. 14. *Impletis.* Quod exemplar Sixti V. & plura alia habent *Implestis*, est conformius hebræo, & græco, in illis enim etiam est præteritum.

℣. 19. *In malo.* Hebræa, & græca exigunt Ablativum.

VI. 29. *Quæ ego loquor.* Tam in græco, quàm hebræo exprimitur *Ego.*

VII. 9. *Vertetur.* Hebræum יְהִי *Jehi* est imperativi modi: *Sit*, sive *Fiat*, ùt patet Gen. I. ubi continuò transfertur *Fiat.* LXX. *Erit Draco*, quod tamen etiam potest sumi in vim imperativi, more Scripturæ, prout dicitur: *Offeres holocaustum*, pro *Offer*, & sexcenta similia. Vide infra ad Num. VIII. 15.

VIII. 26. *Domino Deo nostro?* Hîc quidem non discrepant à Sixtinis Clementina, prout hæc sunt impressa, nempè cum signo interrogationis, sed signum istud in illis esse mutandum cum pleno puncto, notatur in Indicibus correctoriis. Vide libro 2. fol. 141.

IX. 3. *Boves & oves.* Idem ordo est in hebræo, & græco.

℣. 27. *Ego, & populus meus.* In hebræo est præcisè sicut in Sixti V. *Et ego, & populus meus.*

XI 4 *Egrediar.* In hebræo est: *Ego egrediens*: sed sicut Sixt. V. & multa lati-

latina, ita & LXX. *Ego ingredior*. Sensus equidem idem est.

ỳ. 10. *Omnia ostenta*. Unam tantummodò vocem habent hebræa, & græca, nec addunt *Signa*.

XII. 19. *Fermentum*. In hebræo est expresse *Fermentum* שאור *Seor*, non מחמצת *Machmetseth*. *Fermentatum*.

ỳ. 35. *Sicut præceperat Moyses*. Est hoc conforme græco, & hebræo. Vide dicta libro 2. fol. 141.

ỳ. 37. *Absque parvulis*. Nec græca, nec hebræa addunt *Mulieres*.

ỳ. 39. *Neque enim poterant fermentari*, subaudi *panes* statim nominati. Alii cum Sixto V. *Poterat*, nempè *farina*, de quâ etiam præcesserat. Hebræa, & græca: *Quia non fuerat fermentatum*. Hoc vel est impersonale, vel refertur ad farinam, cùm in hebræo, & græco agatur de *panibus* in plurali.

ỳ. 42 *Nox ista est observabilis Domino*. Ita quidem Dativo casu est in Bibliis Vaticanis Clementis VIII. 1592. 1593. 1598. atque in LXX. Κυρίῳ. Hoc quoque usitatiùs significat hebræum ליהוה Potest tamen hoc etiam transferri per Genitivum *Domini*, quod magis hic congruit, & est in editione Sixti V. 1590. aliisque omnibus editionibus, quas vidi. Imò sic in Genitivo legendum esse, monent omnes Indices correctorii Romani, nempè pro Bibliis 1592. 1593. 1598. Miror proinde iterum in Dativo impressum fuisse in Bibliis Romanis 1624.

XIII. 16. *Inter oculos*. Sic est in hebræo, in græco *Ob*, *Ante*.

ỳ. 17. *Deus*. Ita gr. & hebr.

XIV. 19. *Dei*. Sic hebr. & gr.

XV. 26. *Ego enim Dominus sanator tuus*. Quod Codex Sixti V. & varii alii interponunt *Sum*, item *Deus*, non est expressum in hebræo, sed in græco.

XVI. 3. *Eduxistis*. Ita hebr. & gr.

ỳ. 7. *Audivit*. Sic quoque gr. & heb.

XVIII. 12. *Deo*. 19. *Deus*. Sic utroque versu hebræa, & græca.

ỳ. 21. *Viros potentes*. Istos, non *Sapientes* significat hebræum חיל *Chaïl*. *Potentia*, & græcum δυνατοὺς. Vide dicta lib. 2. fol. 142.

XIX. 18. *Dominus*. In hebræo tantùm est *Dominus* יהוה in græco tantùm Θεὸς *Deus*. Permulti Vulgatæ libri cum Sixt. V. jungunt utrumque: *Dominus Deus*.

XX. 25. *Si levaveris cultrum super eo*, nempè altari lapideo, ad quod istud *Eo* refertur in hebræo, quamvis eodem sensu LXX. referant ad lapides.

XXI. 16. 17. Ordo, qui servatur in Editione Clem. VIII. idem est in hebræo, sed qui est in Codice Sixti V. & multis aliis latinis, correspondet textui græco.

XXII. 6. *Spinas*. Ita meritò restitutum esse in editione Clementina, nec *Spicas* esse legitimam lectionem, ex hebræo, græco, aliisque ostendi libro 2. fol. 142.

XXIII. 18. *Victima mea*. Sic hebræa, & græca, non *Tua*.

XXIV. 5. *Vitulos*. Nec hebræa, nec græca addunt *Duodecim*.

XXV. 2. *Offeret*. Futurum tempus habet tam græcus textus, quàm hebr.

ỳ. 24. 25. *Labium*, & quod Sixti V.

La-

Labrum hîc prorsùs idem significant.

℣. 33. *Spherula... lilium*. Singularem numerum habent hebræa, & græca.

℣. 38. *Fiant de auro*. LXX. *Ex auro*. Hebræa *Auro*, sine Præpositione, quomodò est in Codice Sixti V. & plerisque antiquis latinis.

XXVI. 34. *In Sancto*. Sic hebr. & gr.

XXVII. 21. *A filiis Israël*. Ita gr. & hebr.

XXVIII. 14. *Ex auro purissimo*. Sic etiam LXX. Sed lectio Sixti V. magìs verbaliter correspondet hebræo זהב טהור *Zahab tahor*. *Auri puri*, seu *mundi*.

℣. 38. *Sit eis*. Plurale *Eis* est in hebræo, & græco.

XXXI. 9. *Labrum cum basi sua*. Tam hebræum כיור *Cijor*, quàm græcum λουτῆρα significat Vas lavatorium, quod non memini, neque putem latinè vocari *Labium*, quamvis *Labium* sumptum pro extrema oris parte, aut alterius rei extremitate, etiam latinè *Labrum* dicatur.

XXXII. 16. *Opere Dei*. Sic heb. & gr.

℣. 28. *Quasi viginti tria millia*. Omninò verosimilior videtur multorum Codicum latinorum lectio: *Quasi tria millia*, quam stabiliunt aliarum linguarum textus omnes, & alia adducta libro 2. fol. 143. Quod legit exemplar Vaticanum Sixti V. *Quasi triginta tria millia*, solùm est paucorum latinorum librorum, nec ullum habet pro se argumentum veritatis.

XXXIII. 3. *Duræ cervicis es*. Hebræa: *Duræ cervicis tu*. Secundam personam etiam habent alii textus. Vide libro 2. fol. 146.

XXXV. 16. *Labrum, & basim ejus*. Sic etiam est in græco, & hebræo.

℣. 23. *Ianthinas*. Quod alii Vulgatæ libri habent *Hyacinthinas*, non est adeò malum; nam ùt doctè Bonfrerius ad illa Exod. xxv. 5. *Pellesque Ianthinas*. Similiter, inquit, & Septuaginta δέρματα ὑακίνθινα. *Pelles hyacinthinæ*; neque enim inter Ianthinum colorem, & hyacinthinum discriminis est quidquam; vel si sit, usque adeò id exiguum est, ut nihili censeatur. Unde & in latinis Codicibus quibusdam *Hyacinthinas* legitur. Ita & alibi LXX. *Hyacinthinum* dixêre, ubi noster *Ianthinum* vertit, ùt Ezech. xvi. 10. *Calceavi te Ianthino* habet textus noster; LXX. *Calceavi te Hyacintho*. Ad quem locum Hieronymus disertè ostendit, eadem esse hyacinthinum, & ianthinum: *Calceantur*, inquit, *hyacinthinis*, *sive ianthinis*, *quod utrumque aërii*, *&* κυανέου (hoc est *Cerulei*) *coloris est*. Idemque paulò ante ait, Aquilam, & Symmachum *Ianthina*, Septuaginta, & Theodotionem *Hyacinthina* transtulisse, pro quo in hebræo scriptum est תחש *Thacas*. Ita Bonfrerius.

Ianthinus color ex ipso nomine est *Violaceus*; nam græcè *Viola* dicitur ἴον, plurale ἴα, at ἄνθος *Flos*, ἀνθινὸς *Floridus*, seu potiùs *Floreus*, unde ἰάνθινος, q. d. *Violæ floris* color, hoc est Ceruleus ad nigredinem declinans (qualis est violæ) à quo in omni rigore videtur differre *Hyacinthinus*, quòd hic Ceruleus aliquantulum plus ad albedinem accedat.

XXXVII.

XXXVII. 11. 12. *Labrum.* Vide supra ad Cap. xxv. 24.

XXXVIII. 7. *Tabulis.* Sive ita scribas, sive cum Sixto V. aliisque *Tabulatis*, æquè facit ad rem, & correspondet originali.

ỷ. 14. *Unum tenebat latus.* Hoc est *habebat.* Debere dici *Tenebat* in singulari, non *Tenebant*, patet ex contextu.

XXXIX. 28. *Bis tincto.* Ita est in hebræo, atque ita esse legendum, non *Distinctum*, probavi libro 2. fol. 146.

XL. 5. *In introitu Tabernaculi.* Nec græca, nec hebræa addunt: *Testimonii.*

LEVITICUS.

CAp. I. 1. *Vocavit autem Moysen.* Hunc verborum ordinem servant hebræa, græca, Biblia Lovaniensiũ &c.

ỷ. 4. *Manum.* Ita gr. & hebr.

ỷ. 5. *Sacerdotes.* Plurale pariter est in hebræo, & græco tum hîc, tum Cap. II. 2. & III. 2.

ỷ. 10. *Masculum absque macula.* Hanc esse genuinam lectionem, quam omnes aliarum linguarum textus exhibent, ostendi lib. 2. fol. 147.

II. 11. *In sacrificio Domino.* Ita quoque hebræa, & græca.

v. 13. *Oblatione tua.* Ita gr. & hebr.

ỷ. 14. *Torrebis igni.* Nec Hebræi, nec Græci, nec Lovanienses interponunt *Eu*, quod tamen omnes subaudiunt, & exprimunt antiqui Vulgatæ libri cum Sixto V.

ỷ. 15. *Fundens suprà oleum.* Sic varia antiqua latina Biblia; sed hebræa, græca, Lovaniensium, & Sixti V. addunt Pronomen *Ea.*

IV. 2. *Anima, quæ peccaverit.* In hebræo non est אשר *Ascher*, *Quæ*, sed כי *Ci.* *Quum*, prout & in LXX. ἐὰν. *Si* Lovanienses sine ulla nota alterius lectionis usitatæ habent *Quum*, sive *Cùm*, ùt Editio Sixti V. Hæc lectio magìs genuina videtur.

ỷ. 6. *In sanguine, asperget eo.* In hebræo est: *In sanguine, & asperget de sanguine.* Sed idem prorsùs est sensus lectionis Sixti V.

ỷ. 8. *Auferet.* ỷ. 10. *Aufertur.* Sic habetur in hebræo, & græco, non *Offeret*, & *Offertur.* Vide lib. 2. fol 147.

ỷ. 29. *Ponetque manum.* Est etiam singulare in hebræo, & græco.

ỷ. 35. *In incensum Domini.* Sic pariter hebræa, & græca.

VI. 9. *Ignis ex eodem altari erit.* Lectio Lovaniensium, & Sixti V. *Ignis in eodem altari erit*, verbotenus quidem pressius respondet hebræo: *Et ignis altaris accensus erit in eo.* Item græco: *Et ignis altaris ardebit super eo*; sed moderna Vulgatæ lectio meliùs sensum exprimit, Deus enim mandat, ut sit ignis sacer, seu ex eodem altari.

ỷ. 16. *In loco sancto atrii* &c. Moderna hæc lectio conformatur hebræo, græco, aliisque textibus, facitque insuper pro ea, quòd in *Sanctuario* nihil comedi poterat, sed benè in atrio. Vide dicta libro 2. fol. 147.

VII. 10. *Per singulos dividetur.* Singulare est in hebræo, & græco.

VIII. 28. *Domino.* Ita pariter est in græco; hebræum quoque ליהוה usitatiùs exponitur per Dativum *Domino*,

mino, quàm per Genitivum *Domini*.

IX. 3. *Vitulum atque agnum anniculos.* Hæc est genuina lectio Vulgatæ, estque calamo restituta in editione Vaticana 1592. antequam exemplaria distraherentur, cùm priùs esset impressum *agnos*, non, ùt esse debet, *agnum*. Editio Sixti V. habet: *Vitulum, atque agnum anniculum*, quomodò etiam LXX. Sed hebræa: *Vitulum atque agnum* בני שנה *Bene schana. Filios anni* unius.

℣. 22. *Extendens manus.* In hebræo, & græco est plurale: *Manus suas.*

X. 9. *Quando intratis.* Hebr. *In intrando vos.* LXX. *Quando intraveritis.*

℣. 18. *Debueritis.* Potest hebræum etiam verti *Debueratis.*

XI. 26. *Qui tetigerit.* Hebr. & LXX. *Omnis tangens.*

XIII. 12. *Omnem cutem.* Non *carnem*, sed cutem עור *Or* δέρμα habent hebræa, & græca.

XIV. 43. *Pulvis erasus.* Abrasionem, seu Erasionem significant hebræa, & græca. Vide libro 2. fol. 149.

℣. 49. *In purificationem.* Hebr. & LXX. *Ad purificandam domum*; unde præferendus videtur casus accusativus ablativo.

XV. 27. *Tetigerit ea.* Sic hebr. chald. samar. syra; sed cum codice Sixti V. & multis aliis latinis LXX. *Eam*, referuntque ad mulierem.

℣. 31. *Ut caveant immunditiam.* In græco est plurali numero, sicut & in plerisque latinis, signanter Sixti V. Hebræum מטמאתם modò quidem punctatur ut sonet *Mittumatham*, hoc est *Ab immunditia eorum*; sed si aliis punctis legas *Mittumotham*, significabit: *Ab immunditiis suis*; prout statim in omnibus latinis libris idem hebræum verbum in plurali legitur: *In sordibus suis*, quod tamen secundum puncta moderna pronunciandum est: *Betumatham*, id est *In immuditia eorum*.

XVII. 10. *Inter eos.* Sic hebræa; sed græca *Inter vos*, sicut plerique latini libri antiqui, cum Sixti V.

XIX. 20. *Nubilis.* Quòd varii Vulgatæ libri ante correctionem Clementinam habeant, sicut Sixti V. *Nobilis*, non congruit cum aliarum linguarum textibus, ùt expendi libro 2. fol. 149.

XX. 9. *Patri matrique maledixit.* Ista habentur in hebræo, græco, & latinis aliis, unde puto ex inadvertentia typographi deesse in codice Sixti V.

XX. 5. *Non radent caput.* Quòd Codices Sixti V. interponant *Sacerdotes*, subintelligitur quidem, sed non exprimitur in hebræo, neque in græco, neque in antiquis latinis, nec in Bibliis Lovaniensium notatur ullum Vulgatæ manuscriptum addere *Sacerdotes*.

℣. 23. *Quia maculam habet.* Non *Qui*, sed *Quia* habent textus hebræus, samaritanus, græcus.

XXII. 24. *Vel tusis, vel sectis... testiculis.* Esse legendum *Tusis*, vel *Tunsis*, non verò *Tonsis*, ùt est in quamplurimis latinis, & Sixti V. probavi lib. 2. f. 150.

XXIV. 11. *Cùmque blasphemasset nomen.* Hebr. השם *Hasschem. Illud nomen* ineffabile Dei, quod propter reverentiam subticetur etiam in græco. Vide libro 2. fol. 150.

℣. 16.

℣. 16. *Omnis multitudo.* In hebræo non additur, sed subintelligitur *Populi*, at LXX. Sixtina habent: *Omnis synagoga Israël.*

XXV. 2. *Sabbatum Domino.* Sic græca, & hebræa.

℣. 6. *Qui peregrinantur.* In hebræo est plurale, in græco singulare; sensus tamen utriusque idem.

XXVI. 45. *Et filios Israël.* Quod Clementini codices tantùm subintelligunt, nempè *Inter*, hoc cum Sixtinis, & reliquis latinis fermè omnibus exprimunt hebræi, & græci.

Eodem versu: *Ego Dominus.* Nec græca, nec hebræa addunt *Deus.*

XXVII. 26. *Primogenita, quæ ad Dominum pertinent.* Non *Deum*, sed *Dominum* habent hebræa, & græca.

℣. 27. *Juxta æstimationem tuam.* In hebræo est *Tuam*, in græco *Suam.*

Ibid. *Quantocumque à te fuerit æstimatum.* Etiam hîc est in hebræo, sicut statim antea: *Juxta æstimationem tuam.* Debet igitur in Vulgata legi *A te*, non *Ante.*

NUMERI.

CAp. I. 10. *Phadassur.* Ita hoc nomen scribunt pleraque latina, & græca, nisi quòd aliqua non duplicent *s.* Hebræum פדהצור nequit congruè pronunciari *Phadasseur.*

II. 2. *Castrametabuntur filii Israël.* Nominativus *Filii* est etiam in græco, & hebræo, magisque hîc congruit, quàm Genitivus *Filiorum.*

℣. 8. *Omnis.* Hebr. & gr. carent *Et.*

III. 49. *Quos redemerant à Levitis.* Hebr. & gr. *Redemptiones Levitarum.*

IV. 6. *Velamine.* Ex hebræo, & græco clarè patet, esse legendum in ablativo, quamvis in accusativo legatur in multis latinis, signanter Sixti V.

℣. 46. *Quos recenseri fecit.* Additur in hebræo, & græco *Recenseri.*

V. 3. *Cùm habitaverim vobiscum.* Quamvis omnes fermè antiqui Vulgatæ libri, cum Sixti V. habeant in tertia persona plurali *Habitaverint*; tamen esse legendum *Habitaverim*, sicut habent omnes alii textus, ostendi libro 2. fol. 150.

VII. 2. *Præfectique.* Copula nec in hebræo additur, nec in græco.

℣. 84. 88. *In dedicatione altaris.* Hebræa, & græca: *Hæc dedicatio altaris.*

VIII. 15. *Ingredientur.* Ita quidem est etiam in hebræo, & græco, sed in vim Imperativi, seu per modum legis, sive præcepti; unde non malè pleraque latina cum Sixti V. *Ingrediantur.*

X. 8. *Filii Aaron Sacerdotes.* Sic esse legendum in plurali constat ex omnibus aliis textibus.

℣. 23. *Phadassur.* Vide dicta Cap. I. 10.

XI. 21. *Et ait Moyses.* Nec græca, nec hebræa addunt: *Ad Dominum*, sed in illis subintelligitur.

℣. 31. Editio Sixti V. 1590. Clement. VIII. 1592. & 1598. *Arreptas*; At Clement. VIII. 1593. *Arreptans.* Utrumque dicitur optimo sensu, & conformiter ad hebræum, atque græcum, in quibus est *Arripuit*, quod (si nuda verba spectes) magis favet voci *Arreptas*, cùm & hæc præteritum involvat,

volvat, & *Arrepias* habent, quantùm ſcio, omnes antiqui Vulgatæ libri, ac Colonienſes anni 1639. 1647. 1682. In recentioribus equidem Editionibus paſſim eſt *Arrepians*.

ỷ. 32. *Congregavit coturnicum, qui parum decem coros.* Non debet addi vox *Multitudinem*, quæ nequidem ſubintelligitur in græco, aut hebræo; ſed ſenſus eſt hic: Qui parùm congregaverat reſpectivè ad alios, equidem acceperat decem coros coturnicum.

XII. 2. *Dominus.* Quod addunt Lovanienſes, aliique cum Sixto V. *Iratus eſt*, nec in hebræo habetur, nec in græco.

ỷ 4. *Locutus eſt.* Non ſolùm Biblia Sixti V. ac Lovanienſium ſine ulla nota marginali alterius lectionis, ſed & LXX & hebræa addunt: *Dominus.*

XIV. 10. *Cunctis filiis Iſraël.* Nec græca, nec hebræa interponunt *Videntibus.*

ỷ. 19. *Populi hujus.* In hebræo, & græco non mediat *Tui.*

XV. 3. *Aut victimam.* Hebræa, & græca non addunt *Pacificam.*

ỷ. 20. *Primitias ſeparatis.* Biblia Sixti V. & alia multa: *Separabitis* Hebræa, & græca patiuntur utrumque.

ỷ. 36 *Obruerunt lapidibus.* Quòd Biblia Sixti V. addant *Eum*, conforme eſt omnibus fermè antiquis latinis, atque etiam hebræis, & græcis.

XVI. 11. *Quid eſt enim Aaron?* Hebræum מה *Ma* ſine controverſia valet *Quid*, non *Quis*, etſi græca pleraque habeant τίς; *Quis?* prout etiam Biblia Lovanienſium, & Sixti V. ſed in meis manuſcriptis circiter à 300. annis eſt *Quid?*

ỷ. 37 *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdotis.* Ita etiam LXX. & pleraque antiqua latina, cum Bibliis Lovanienſium. Hebræum כהן *Chohen* & ad Eleazarum poteſt referri, ac transferri *Sacerdoti*, & ad Aaron, ac verti *Sacerdotis*, utì legit Editio Sixti V.

XVII. 3. *Una virga cunctas ſeorsùm familias continebit.* Adverbium *Seorsùm* non exprimitur in hebræo & græco, ſed ibi eſt *Patrum eorum*; unde quoad hoc Pronomen Editio Sixti V. magìs appropinquat textui originali: ſenſus equidem eſt utrobique idem.

ỷ. 12. *Perivimus.* Sic hebr. & græc.

XVIII. 28. *Date Aaron.* Tam hebræa, quàm græca interponunt *Ex eis*, ſeu *Ea*, ùt habent codices Sixti V. & Lovanienſium, ſed in meo manuſcripto veteri non additur.

ỷ. 29. *Electa erunt.* Si addas *Cuncta*, ùt addunt cum Editione Sixti V. Lovanienſes, & plures antiqui, magìs accedes quoad verba textui græco, & hebræo.

XX. 20. *Non tranſibis.* Singularis numerus pariter eſt in hebræo & græco, ubi etiam populus Iſraël loquitur in prima perſona ſingulari. Cùm verò hîc in plurali referatur locutus in omnibus latinis, etiam Clementis VIII. *Obſecramus*, *Ibimus*, *Bibemus*, *Gradiemur*, *Dabimus*, non incongruè reſponſum quoque dirigitur ad multos: *Non tranſibitis.*

XXI. 15. *In Ar.* Ita gr. & hebr.

ỷ. 18. *De ſolitudine.* In hebræo, & græ-

græco tantùm subintelligitur: *Profectique sunt.*

℣. 20. *De Bamoth.* Hebræa, & græca habent expressè. *Et de Bamoth.*

XXII. 4. *Ipse erat.* Est in hebræo & græco: *Et Balac*

℣. 8. *Manentibus illis.* Hebr. & gr. *Et manserunt.*

℣. 18. *Domum suam.* Habent *suam* hebræa, græca, & pleraque latina.

℣. 37. *Misi nuncios ut vocarem te.* Sixti V. *Ut vocarent te.* LXX. *Vocare te.* Hebræa, & Chaldæa *Ad vocandum te.*

XXIII. 14 *Vitulo, atque ariete.* Sic hebræa, & græca.

XXIV. 13. *Domum suam.* Vide dicta cap. XXII. 18.

XXVI. 12. *Jamin.* Copula *Et* nec in hebræo est, nec in græco.

℣. 62. *Quia non sunt recensiti.* Ita etiam hebræa, & græca.

XXVII. 3. *Non habuit filium.* Biblia Sixti V. & Lovaniensium: *Non habet.* LXX. *Quia non est ipsi filius.* Hebræa possunt utroque tempore reddi, habent enim: *Quia non ei filius;* sed ibi parùm antea additur היו *Haju Fuerunt Et filii non fuerunt ei;* ubi omnes Vulgatæ codices: *Hic non habuit mares filios.*

℣. 18. *In quo est spiritus.* Nec græca, nec hebræa addunt *Dei.*

XXX. 11. *Cùm se voto constrinxerit* &c. Ista omnia in schemate notata, habentur in omnibus aliis textibus, & Vulgatæ libris, quos videre potui; unde quòd absint à solo Codice Sixti V. puto per incuriam Typographi accidisse.

XXXII. 3. *Saban.* Ita quidem Editiones Clementis VIII. atque aliæ posteriores, sed Sixti V. *Saba*, Lovaniensium *Sabam*, quod etiam est in hebræo שבם LXX. Σεβαμά.

℣. 35. *Et Etroth.* Sic est in hebræo ואת עטרת *Veeth Etroth*, sive *Atroth*; nam utroque modo potest pronunciari. Occasione præcedentis *Et* in multis latinis, signanter Sixti V. & Lovaniensium, omissa est sequentis nominis prima syllaba, nimirum *Et*, scriptumque est mendosè: *Et Roth*, pro *Et Etroth.*

XXXIII. 3. *Alterâ die Phase.* Quòd Biblia Sixti V. & quædam alia latina, addant *Fecerunt*, nec in hebræo est, nec in græco, imò sensui obest.

℣. 44. 45. *Ijeabarim.* Hebræum עיי עברים constat duabus vocibus, nec, nisi ægrè, potest pronunciari *Jeabarim*; at rectiùs *Ijeabarim*, atque hoc ultimo modo exhibent puncta nunc subjecta.

XXXIV. 4. *A meridie.* Sic hebræa, at cùm Sixto V. Lovaniensibus, aliisque multis LXX. *Ad meridiem*; sed idem est hìc sensus, sive *à* legas, sive *ad.*

℣. 11. *In Rebla.* Ita hìc in hebræo. Alibi, sed rarissimè idem locus in hebræo, at in Vulgata frequenter vocatur *Reblatha*, uti hìc etiam scribunt cum Sixto V. multi alii latini libri.

℣. 23. *Hanniël.* Idem nomen hebræum חניאל potest efferri *Haniël*, prout scribitur in Sixti V. Lovan. &c. sed si נ scribatur cum puncto in medio, ùt fit in hebræo moderno textu, & exigit radix חנן vel חנה à quarum alterutra hoc nomen derivatur, tunc debet *n* duplicari, & pronunciari *Hanniel.*

XXXV.

XXXV. 19. *Interficiet.* Hoc verbum etiam in hebræo, & græco exprimitur, Editio Sixti V. subintelligit. Biblia Lovaniensium legunt *Interficietur*, sed notatur in illis, alia legere: *Interficiet.*

DEUTERONOMIUM.

CAp. I. 19. *Maximam.* Non additur in græco, aut hebræo *Solitudinem.*

℣. 31. *Vidisti.* Sic hebræa. At LXX. *Vidistis*, quod sequuntur Biblia Sixti V. & Lovaniensium.

II. 21. *Magnus & multus.* Ita hebræa, & græca.

IV. 6. *Ut audientes universa.* Sic etiam est in hebræo, & græco.

℣. 22. *Ecce morior.* Ita LXX. Tempus quoque præsens exigit hebræum: *Ego moriens.*

℣. 30. *Novissimo tempore.* Nec *Autem*, nec aliam copulam apponunt hebræa, & græca.

℣. 33. *Audisti, & vixisti.* Aliarum linguarum textus omnes, variique antiqui Vulgatæ libri habent *Vixisti*, non *Vidisti.* Vide libro 2. fol. 153.

V. 24. *Vocem ejus.* Hebræa, & græca præmittunt *Et.*

VI. 4. *Dominus unus.* יהוה Κύριος.

IX. 9. *Tabulas lapideas, tabulas pacti.* Etiam secundo loco habetur vox *Tabulas* in hebræo, & græco.

Ibid. *Dominus.* Ita hebr. & gr.

XI. 10. *Ingrederis.* Hebræa: *Tu ingrediens*, supple *Es.* LXX. *In quam ingredimini.*

XII. 3. *Aras eorum... nomina eorum...* Biblia Clementis VIII. ad Idola referunt; at Lovaniensium, Sixti V. & varia latina ad Gentes *Earum.* Hebræa verba, & græcum αὐτῶν indifferenter possunt referri, & ad Idola, & ad gentes, quarum erant Idola.

℣. 11. *Quæ vovebitis.* Sic hebr. & gr.

℣. 12. *Commoratur.* Istud in Vulgata suppletur; etenim in hebræo, & græco est: *Qui in portis vestris.* Est autem præferendum singulare, tum quia & ita est in græco ὁ *Iste, Hic*, non οἱ *Hi*; tum quia omnes libri de Levita subdunt in singulari: *Neque enim habet aliam partem.*

XIII. 9. *Et postea.* Quod Biblia Sixti V. & Lovaniensium habeant: *Et post te*, non discrepat sensu; sed in hebræo, & græco est Contrapositio: *In primo... In postremo*, hoc est *Prius*, & *postea.*

XVI. 4. *Fermentum.* Ita hebr. & gr.

XVII. 8. *Lepram & lepram.* Nec græca, nec hebræa interponunt negationem: *Lepram, & non lepram.* Vide dicta libro 2. fol. 154.

℣. 12. *Et decreto judicis.* De hac lectione disputavi lib. 2. fol. 154. Textus Samaritanus habet: *Et*, Hebræus, & græcus: *Vel.* Nullus *Ex decreto judicis*, nisi quædam latina, signanter Sixti V. & Lovaniensium.

XVIII. 1. *Cùm reliquo Israël.* Hebræa, & græca *Cùm Israël*, sed manifestè subintelligunt, acsi dicant: *Cum reliquo populo Israël.*

℣. 10. *Nec sit.* Copula involuta in voce *Nec*, deest tam in græco, quàm in hebræo; unde quoad hoc utrique illi textui, magìs verbaliter corres-

pondet

pondet Editio Sixti V. *Non sit.*

XXI. 15. *Genuerintque ex eo.* Hoc est, quod habent græca, & hebræa: *Et pepererint ei*, seu isti viro ambæ istæ uxores, filios. Aliqui Vulgatæ codices, signanter Sixti V. invertunt verba, eodemque sensu referunt ad virum: *Genuerintque ex eis.*

ỷ. 18. *Qui non audiat.* Præsens tempus magis accedit ad hebræum, & græcum; siquidem est in illis: *Non audiens.*

XXII. 8. *Labente alio.* In hebræo & græco: *Cùm ceciderit cadens.*

XXIV. 5. *Absque culpa domi suæ.* Hæc lectio præstat, præsertim cùm tam in hebræo, quàm græco sit: *Immunis erit in domo sua.*

ỷ. 6. *Opposuit.* Sixti V. aliaque latina, dum legunt *Apposuit*, idem significant, nempè id, quod est in hebræo *Oppignorans.* LXX. *Oppignoravit.*

XXV. 7. *Nomen fratris.* Ita etiam hebræa, & græca. Vide lib. 2. fol. 154.

In conjugem sumere. Hebræum יבמי *Jabbemi* potest æqualiter verti: *In conjugem sumere me*, & *In conjugium sumere me.*

XXVI. 4. *De manu tua.* Sic H. & G.

ỷ. 11. *Et epulaberis.* Biblia Sixti V. Lovaniensium, aliaque multa congruè omittunt copulam *Et*, ùt ostendi libro 2. fol. 154. Patetque ex ipso contextu: *Et adorato Domino Deo tuo, & epulaberis* &c.

ỷ. 16. 17. *Et custodias.* In hebræo, & græco est ỷ. 16. *Et custodies.* At ỷ. 17. in hebræo: *Et ad custodiendum.* In græco: *Custodire.*

ỷ. 18. *Et Dominus.* Non *En*, sed *Et* est in hebræo, & græco.

XXVIII. 57. *Illuvie secundarum.* Ita congruenter est restitutum, pro *Secundinarum*, quæ non est vox Latina, quòd sciam, inquit Brugensis.

XXIX. 6. *Quia ego sum.* Sic hebræa, atque etiam pleraque græca; aliqua tamen habent cum Sixto V. *Quia ipse est*, sensu equidem eodem.

ỷ. 11. *Advena, qui tecum moratur.* Etiam in hebr. & græco est singulare.

ỷ. 19. *Absumat ebria sitientem.* Quod Biblia Sixti V. Lovaniensium, & alia multa legunt *Assumat*, æquè convenit textui hebræo, sensus autem utriusque lectionis redit in idem. Vide dicta libro 2. fol. 155.

XXX. 3. *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam.* Ita verbotenùs est in hebræo, sensu equidem eodem, quo Sixti V. *Reducet te* &c. Interpretes LXX. intellexerunt captivitatem spiritualem, vel saltem causam captivitatis corporalis, transtulerunt enim: *Sanabit Dominus peccata tua.*

XXXII. 30. *Quomodò persequatur... fugent.* Est in hebræo, & græco futurum *Persequetur... fugabunt.*

ỷ. 35. *Retribuam.* Pronomen *Eis* nec in hebræo additur, nec in græco.

ỷ. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Futurum exprimunt hebræa, græca, Biblia Lovaniensium, aliaque.

ỷ. 49. *Transituum.* Istud significat hebræum עברים *Abarim*, non *Transitum*, quod omisso altero *u* irrepsit in varia manuscripta latina, & inde in Editionem Sixti V.

XXXIV. 2. *Omnem terram Juda.* Hebræus textus, & LXX. etiam exprimunt nomen *Juda.*

JOSUË.

CAp. I. 6. *Patribus suis.* Hebræa, & græca habent *Suis*, non *Tuis*.

II. 18. *Signum fuerit.* Negatio, quam interjiciunt aliqui Codices, signanter Sixti V. non est quidem in hebræo, aut græco; idem tamen est sensus sive legatur *fuerit*, sive *non fuerit*, ùt apparebit consideranti textum.

III. 16. *Adom.* Hebræum אדם æquè potest efferri *Edom*. Si sequamur signa, nunc hebræo textui apposita, pronunciandum est *Adam*.

v. 17. *Jericho.* Sic esse legendum, non verò *Jordanem*, probavi tum ex originalibus textibus, tum ex ipsa historia libro 2. fol. 156.

IV. 9. *Arcam fœderis.* Non in hebræo, sed in græco additur *Domini*.

v. 12. *Filios Israël.* Multi codices latini, signanter Sixti V. & Lovaniensium præponunt *Fratres suos*; sed hoc non est hujus loci, neque addunt hebræa, aut græca.

VI. 2. *In manu tua.* Sic hebræa. LXX. *Subjectam tibi*.

v. 4. *Tollant.* Biblia Lovaniensium, & Sixti V. *Tollent*, quomodò verbotenùs est in hebræo ישאו *Jisu*; sed Futurum ibi valet Imperativum.

v. 19. *Auri & argenti.* In græco, atque hebræo est *Et*, non *Aut*.

v. 24. *Omnia, quæ erant in ea.* Biblia Sixti V. pro *Erant* habent, *Inventa sunt*; neutrum exprimunt hebræa, & græca, habent enim: *Omne*, seu *Omnia, quæ in ea*.

VII. 5. *Triginta sex.* Hebræa interponunt *Et*, non græca.

VIII. 5. *Accedemus.* Ita gr. & hebr.

v. 33. *Et majores natu.* Nec græca, nec hebræa addunt *Omnes*.

IX. 4. *Et callide.* Græcus, & hebræus habent *Et*.

v. 8. *Et unde.* Sic hebr. & gr.

v. 10. *Qui erat.* LXX. *Qui habitabat.* Hebræa אשר בעשתרת *Ascher be-Astaroth. Qui in Astaroth*, ubi quidem istud *Ascher*, *Qui* est indifferens ad plurale, & singulare; sed cùm in *Astaroth* regnaverit solus *Og*, non *Sehon*, ad *Og* solum referri videtur, non etiam ad *Sehon*, ut poneretur plurale *Erant* cum Sixto V. & Lovan.

X. 23. *Et eduxerunt.* Sic est in hebræo, in qua lingua multùm differt ויוציאו *Vajjotsiu. Et eduxerunt*, à ויביאו *Vajjabiu Et adduxerunt*.

v. 41. *Gosen.* Ita sonat hebræum גשן ùt modò est punctatum, sed eadem vox aliis affecta punctis sonabit *Gessen*.

XI. 2. *In regionibus.* Biblia hebræa, & græca præponunt *In*, quod tantùm subaudiunt Lovan. & Sixti V.

v. 8. *Ita percussit.* Hebr. *Et percussit.* LXX. *Et percusserunt.*

v. 16. *Gosen.* Vide ad Cap. XI. 41.

v. 19. *Quæ se traderet.* Hanc lectionem confirmat contextus Scripturæ, ipsaque historiæ veritas, tum etiam textus hebræus, & chaldæus; græcus admodùm variat. Vide dicta libro 2. fol. 159.

v. 22. *In quibus solis.* Quòd Biblia Sixti V. & Lovaniensium legant *Solùm*, magis

magìs quoad verbum correſpondet hebræo רק *Rak. Tantùm*, *Solùm*.

XII. 2. *Jaboc*. Ita etiam expreſſerunt LXX. Plures verò Latini cum Lovan. & Sixti V. *Jeboc*. Utroque modo poteſt efferri hebræum יבק quod tamen hodie talibus eſt affectum punctis, ut ſonet *Jabbok*.

v. 8. *Aſedoth*. Sic ſcribitur in hebræo, & græco, multùmque differt ſignificatione ab *Aſeroth*; hæc enim vox *Lucos* ſignificat, *Aſedoth* verò *Loca irrigua*.

v. 15. *Odullam*. Etiam per *O* ſcribunt LXX. quamvis hebræum עדלם etiam poſſit (imò ſecundùm puncta, quæ illi voci modò ſubjecta ſunt, debeat) proferri *Adullam*.

XV. 1. *Edom deſertum*. Nec hebræa, nec græca interponunt *Uſque ad*.

XVI. 2 *De Bethel Luza*. In Bibliis Sixti V. Lovanienſium, & aliis plurimis valdè congruenter legi *Luzam*, probavi libro 2. fol. 159.

XVII. 12. *In terra ſua*. In græco, & hebræo non eſt Pronomen *Sua*, ſed הזאת *Hazzoth* ταύτῃ *Iſta*, vel *Ipſa*.

XVIII. 2. *Remanſerant autem... ſeptem Tribus*. In hebræo habetur quidem ſimplex præteritum; ſed iſta lingua caret aliâ formâ; unde hebræum Præteritum, pro circumſtantiis textûs transferendum eſt nunc per Perfectum, nunc per Imperfectum, nunc etiam per Pluſquam perfectum, ùt hoc loco ſatìs congruè; non enim ita *remanſerunt* hæ ſeptem Tribus, quaſi nunquam poſtea ſortem recepturæ (quod ſonat præteritum perfectum) ſed quaſi adhuc accepturæ, quamvis nondum recepiſſent.

XIX. 11. *Merala*. Hebræa מרעלה *Marala*, quod tamen etiam poteſt pronunciari *Merala*; item *Marilla*, ùt legunt aliqui græci codices; ſed non *Medalaa*.

v. 15. *Jerala*. Sic habent ſola Vaticana Clementis VIII. eſtque in aliquibus manuſcriptis hebræis codicibus; ſed *Jedala*, nempè per *d* in ſecunda ſyllaba, eſt non ſolùm in Bibliis Sixti V. ſed in chaldæis, atque in hebræis, & latinis modernis omnibus. Vide dicenda Cap. VII. puncto 5.

XXI. 4. *De tribubus Juda*, *& Simeon*, *& Benjamin*. In hebræo, & græco eſt: *De tribu Juda*, *& de tribu Simeon*, *& de tribu Benjamin*; quæ tria ſingularia Interpres latinus contraxit in unum plurale *Tribubus*, quomodò congruentiùs legitur, quàm ita contrahendo in uno ſingulari *Tribu*.

v. 36. *De tribu Ruben*, &c. Ordo, qui quoad hunc verſum, & ſequentem eſt in Editione Clementis VIII. etiam eſt in illis hebræis codicibus, in quibus hic verſus reperitur, de quo vide dicta libro 2. fol. 160.

XXII. 13. *Sacerdotis*. Sic etiam LXX. Hebræum כהן *Cohen* poteſt verti *Sacerdotis*, & ad *Eleazarum* referri, atque etiam *Sacerdotem*, ut reſpiciat ipſum *Phinees* filium *Eleazari*.

v. 17. *Multique*. Eſt in hebræo *Et*, non *Enim*.

v. 22. *Fortiſſimus Deus Dominus*. Ex hebræo, & græco conſtat, hæc eſſe repetenda.

XXIV. 27. *Quòd audierit* lapis *omnia verba*. Ita, non verò: *Audieritis* vos Israëlitæ, esse legendum ostendi libro 2. fol. 162.

JUDICUM.

CAp. I. 9. *Et in campestribus*. Sic hebræa, sic græca, sic antiqua latina, nempè cum *Et*, præcedente interpunctione, ut tria designentur loca: *Montana*, *Meridionalia*, *Campestria*. Vide dicta libro 2. fol. 162.

v. 30. *Naalól*. Ita hebræa.

v. 35. *Testaceo*. Est Ablativus à Nominativo *Testaceus*, ùt patet ex hebræo, & græco; non verò *Testatio* à verbo *Testor*. Vide lib. 2. fol. 163.

IV. 4. 9. 14. V. 1. 12. *Debbora*. דבורה Si sequamur puncta moderna, dicendum est *Debora*; sed eædem litteræ sic punctatæ דבורה valent *Debbora*.

IV. 17. *Erat enim* &c. Hebræa, & græca: *Quia pax* &c.

v. 22. *Dixit ei*. Copulam *Et* præponunt tam hebræa, quàm græca cum Bibliis Sixti V. & Clem. VIII. 1592. At sine dispendio sensûs omittunt Editiones Clem. VIII. 1593. & 1598. Item Lovaniensium, qui non indicant ullum manuscriptum illam addere; omissa pariter est in omnibus recentioribus, imò esse omittendam in latino & contextus innuit, & monet Index correctorius pro Vaticanis 1592. Nec dubito quin Hieronymus transtulerit: *Egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei*. In hebræo, & græco *Et* addi debuit, quia habent *Est* additum, seu involutum in verbo præteriti temporis: *Et egressa* EST *Jahel in occursum ejus*, ET *dixit ei*.

VI. 36. 39. 40. *Ad Deum*. Ita græca, & hebræa.

VII. 23. *Bethsetta*. Lib. 2. fol. 163.

Ibidem. *Tebbath*. Sive sic dicas, sive *Tabbath*, æquè convenis cum hebræo טבת licet, ùt nunc punctatur, sit pronunciandum *Tabbath*.

IX. 7. *Ita audiat*. Hoc est magìs conforme hebræo, & græco; neutra addunt *Ut*.

v. 19. *Hodie lætamini*. Est in hebræo, & græco Imperativum.

X. 8. *Terra Amorrhæi, qui*. Ita etiam græca. Hebræum אשר *Ascher* indifferens est ad *qui*, & *quæ*.

XI. 1. *Fuit illo tempore*. Pro his non est aliud in hebræo & græco, quàm: *Et fuit*.

v. 13. 22. *Jaboc*. Vide Jos. XII. 2.

XII. 13. *Illel*. Hebr. הלל Hoc sic punctatum sonat *Hillel* vel *Illel*, sed secundùm quod puncta mutes sonabit *Ellel*, sive *Hellel*, prout expresserunt Interpretes LXX. sequentes in hoc Dialectum Syriacam.

XIII. 5. *Concipies, & paries*. Sic est in hebræo, græco, latinis antiquis, ac Lovaniensibus, qui non indicant ullum manuscriptum codicem omittere *Concipies, &*. Unde reor per meram typographi incuriam esse omissum in Editione Sixti V.

v. 7. *Ex utero*. Nec hebræa, nec græca præponunt *Et*.

v. 22. *Deum*. Sic hebr. & gr.

XIV. 3. *Populo meo.* Ita gr. & hebr.
v. 11. *Ut essent cum eo.* Biblia Sixti V. & varia latina: *Qui essent cum eo.* Hebræa, & græca: *Et fuerunt cum eo.*

XV. 14. *Lina.* Sic esse legendum, non *Ligna*, probavi libro 2. fol. 164.

XVI. 9. *Filum de stupa tortum putamine.* Vide eod. fol. 164.

XVII. 1. *Fuit eo tempore vir.* Hebræa, & græca: *Et fuit vir.*
v. 2. *Meus Domino.* Ita gr. & hebr.
v. 3. *Reddidit ergo eos*, &c. Reor hæc per inadvertentiam Typographi deesse in Editione Sixti V. quandoquidem reliqui latini codices novi & veteres, omniumque linguarum textus illa habeant.

XVIII. 31. *Non erat rex.* In hebræo non habentur ista in fine hujus Capitis, sed initio sequentis hoc modo: *Et fuit in diebus illis, & rex non* erat *in filiis Israël. Et fuit Levites* &c. Hoc placet variis in hebræo expertis, propter illud *Et fuit* &c. Sed mihi videntur rectiùs in Vulgata poni in fine Cap. XVIII. tanquam conclusio historiæ ibidem relatæ, sicut eadem verba ponuntur Cap. XXI. 24. in fine historiæ, quæ inchoatur Cap. XIX. Interim in hebræo est copula *Et* involuta in illo *Nec* Editionis Sixti V.

XIX. 11. *Jamque erant juxta Jebus.* Hebræa: *Ipsi propè Jebus*; unde potest suppleri *Erant*, & *Aderant*, aut etiam, ùt LXX. *Venerant.*

XX. 16. *Ictus* &c. Hebr. *Omnis hic jaciens fundâ lapidem ad capillum, nec aberrabat.*
v. 18. *Deum.* 27. *Dei.* Ita hebr. & gr.

XXI. 13. *Ut eos susciperent.* In hebræo, & græco est masculinum, non femininum *Eas.*
v. 24. *Non erat rex.* Nec in hebræo, nec in græco præponitur copula negationi, ut valeret *Nec.*

R U T H.

Cap. I. 11. *Num ultra habeo filios?* Hebræa, & græca: *Num ultra mihi filii?* supple *Sunt*, vel *Erunt*; unde æquè bene potest in Vulgata suppleri *Habebo*, quàm *Habeo.*
v. 17. *Dominus.* Sic hebr. & gr.

III. 7. *Discooperto pallio à pedibus ejus, se projecit.* Ita esse interpungendum, monent Indices correctorii Romani. Vide infra Cap. V. §. 3.

IV. 15. *Quæ te diligit.* Ita esse legendum probavi libro 2. fol. 166.

I. R E G U M.

Cap. I. 9. *Templi.* Ita græca, & heb.
v. 19. *Ramatha.* Tum hìc, tum Cap. II. 11. additur in hebræo voci unum ה *h*, quod ita additum valet *In* prout significat motum ad locum.

II. 26. *Domino.* Ita hebr. & gr.
v. 30. *Glorificaverit me.* Ita LXX. Hebræum מכבדי *Mechabbedai* significat tam *Honorificantes me*, quàm *Glorificantes me.*

III. 3. *Lucerna Dei* &c. Illam lectionem, quæ est Clem. VIII. esse genuinam, probavi libro 2. fol. 167.

IV. 1. *Et egressus est.* Sic hebr. & gr.
v. 4. *Dei.* Ita gr. & hebr.

v. 9. *Vobis.* Sic hebræa. gr. *Nobis.*

VII. 10. *A facie Israël.* Ita gr. & heb.

IX. 1. *Seror.* Sic, non *Seor* potest pronunciari hebræum צרור

v. 7. *Sitarciis.* Ita scribendum esse docui libro 2. fol. 168.

v. 26. *Et dimittam te.* Hebr. & gr. *Et*, non *Ut.*

X. 12. *Quis pater eorum.* Ita hebræa. Græca *Ejus.*

XII. 6. *Terra Ægypti.* Nec hebræa, nec LXX. adjiciunt *Adest.*

v. 11. *Badan.* Biblia Sixti V. & Lovaniensium addunt: *Et Samson, & Barac*, sed hoc non est in hebræo, neque in LXX. nisi quòd in his pro *Badan*, modò sit *Barac.* Vide dicta lib. 2. f. 169.

v. 15. *Et super patres vestros.* Nec Biblia Lovaniensium, nec hebræa, nec græca præponunt *Sicut*; nec græca habent *Patres vestros*, sed *Regem vestrum.*

XIII. 18. *Termini imminentis.* In hebræo, & græco non interponitur: *In terra Sabaa.*

XIV. 2. *Magron.* Sic hebr. & gr.

v. 14. *Jugeri.* Est hoc magìs latinum, quàm *Jugeris.*

v. 15. *Per agros.* Copula præponitur in græco, sed non in hebræo.

Ibid. *Conturbata est terra.* Ita H. & G.

XV. 6. *Descendite.* Sic & hebræa רדו *Redu.* Præcesserat etiam in hebræo סרו *Suru. Recedite*, seu *Discedite.*

v. 22. *Voci Domini.* Sic est in H. & G.

v. 32. *Dixit Agag.* Nec hebræa, nec græca addunt *Samuel.*

v. 33. *Et ait Samuel.* Additur nomen *Samuelis* tam in græco, quàm in hebr.

XVI. 12. *Surge, unge eum.* Græcus textus interponit *Et*, non hebræus.

XVII. 5. *Squamata.* Videtur hoc magìs verbaliter correspondere hebræo *Kaskassim*; at *Hamata*, quod legunt Biblia Lovan. & Sixti V. pressiùs accedit ad græcum ἁλυσιδωτὸν, est enim ἅλυσις *Catena.*

v. 42. *Erat enim.* Sic hebr. & gr.

v. 52. *Et usque ad Geth.* Hebr. & gr. præponunt *Et.*

v. 55. *Abner? Dixitque Abner.* In græco, & hebræo est etiam primum *Abner.*

XVIII. 6. *David.* Quod additur in Codice Sixti V. ac quibusdam aliis: *Et ferret caput ejus in Jerusalem*, nec in hebræo reperitur, nec in græco.

v. 20. *Filia Saul altera.* Ita G. & H.

XIX. 3. *Ubicumque fueris.* Hebræa: *Quo tu ibi.* Vide libro 2. fol. 170.

v. 24. *Cecidit.* Vide lib. 2. fol. 171.

XX. 9. *Absit hoc à te.* Sic hebr. & gr.

v. 22. *Intra te.* Hoc est: non tam procul, quam tu. Eodem sensu Codex Sixti V. *Citra te.* Unde utroque modo potest verti hebræum הנה *Henna.*

v. 42. *Semen meum* &c. Idem ordo est in hebræo, & græco.

XXII. 7. *Audite nunc.* Nec LXX. nec hebræa interponunt *Me.*

v. 13. 15. *Deum.* Ita gr. & hebr.

XXIII. 7. 14. *Deus.* Sic Hebræa. Græca v. 7. *Deus.* v. 14. *Dominus.*

v. 23. *Abstruserit.* Biblia Lovan. & Sixti V. *Obstruxerit.* Hebr. & Gr. *Quòd si etiam in terra fuerit.*

XXIV. 7. *Christus Domini est.* Quod additur in Bibliis Sixti V. & variis aliis latinis: *Vivit Dominus* &c. non est hoc

loco

loco in hebræo, aut græco, ſed in utroque habetur Cap. XXVI. 10. 11.

℣. 9. *Surrexit autem & David.* Heb. & gr. *Et ſurrexit David.*

XXV. 6. *Sit pax.* Illa Sixti V. & aliorum: *Ex multis annis* &c. non ſunt de textu, neque vera videntur. Vide dicta lib. 2. fol. 171.

XXVII. 3. *Vir, & domus ejus.* Iſtud *Vir* exprimunt hebræa, & græca.

XXVIII. 3. *De terra.* Nec in hebræo, nec in græco eſt hoc, quod cum Sixti V. alii quidam latini codices habent: *Et interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.*

XXX. 19. *Nec defuit quidquam.* Hebræa & græca indicant nihil defuiſſe rerum ac perſonarum, atque adeò congruentior eſt Vulgatæ lectio. *Quidquam*, quàm *Quiſquam.*

℣. 27. *Jether.* Sic eſt in hebræo.

XXXI. 4. *Gladium.* Græca cum Sixti V. addunt *Suum*, ſed hebr. omittunt.

℣. 12. *Combuſſerunt ea ibi.* Nec hebræa, nec græca addunt *Igni.*

II. REGUM.

CAp. II. 5. *Benedicti vos Domino.* Sic etiam græca, hebræa, Lovan. &c.

℣. 13. *Hi ex una* &c. LXX. & hebræa: *Hi hinc* &c.

℣. 22. *Noli me ſequi.* In græco, & hebræo non præponitur *Et.*

℣. 24. *Itineris.* Copula deeſt in hebræo, & græco.

III. 1. *Inter domum Saul* &c. Idem ordo eſt in græcis, & hebræis.

v. 20. *Viris ejus.* Sic eſſe legendum oſtendi libro 2. fol. 172.

v. 23. *Qui erat.* Hebr. *Qui cum ipſo.*

v. 28. *Dominum.* יהוה Κυρίȣ.

v. 29. *Nec deficiat.* Ita in Imperativo, ſeu Optativo eſſe legendum monet Index correctorius pro Bibliis Vaticanis 1592. habent latini libri paſſim omnes, & docent textus græcus, & hebræus. Vide infra Cap. IV. ſect. 3.

VI. 6. *Nachon.* Sic hebræa. LXX. Ναχὼρ.

v. 12. *Abiit ergo.* Quæ hæc præcedunt in Bibliis Sixti V. & quibuſdam aliis: *Dixitque David* &c. nec in hebræo ſunt, nec in græco. Vide lib. 2. fol. 173.

v. 13. *Bovem, & arietem.* LXX. non interponunt *Ovem*, ſed habent *Vitulum, & agnum.* Hebræum מריא *Meri* ſignificat *Pingue*, ſive *Craſſum*, aut *Excellens*, nempè Pecus, putà *Arietem*, ùt colligitur ex I. Par. XV. 26.

v. 14. *David ſaltabat.* Quod additur in Sixti V. & quibuſdam aliis: *Percutiebat in organis armigatis*, ſumptum eſt ex LXX. Hi videntur hebraïca verba aliter intellexiſſe, quàm Hieronymus. Vide dicta libro 2. fol. 173.

v. 19. *Bubulæ* legendum eſſe, non *Bubalæ*, probavi libro 2. fol. 173.

v. 21. *Ante Dominum.* In Codice Sixti V. & quibuſdam aliis præcedit: *Vivit Dominus quia ludam.* Sed iſta non habentur in hebræo. In græcis tantùm invenitur *Ludam.*

VIII. 8. *Nimis.* In aliquibus latinis, ſignanter Sixti V. additur. *De quo fecit Salomon* &c. Verùm iſta non ſunt hujus loci, neque hîc habentur in he-

 bræo,

bræo, aut græco, sed I. Par. XVIII. 8.

℣. 14. *Millibus, & posuit.* Non esse de textu illa, quæ hîc interponuntur in Bibliis Sixti V. & quibusdam aliis, dixi libro 2. fol. 174.

IX. 11. *Mensam meam.* Sic hebræa. LXX. *Mensam David.* Vide libro 2. fol. 174.

X. 15. *Videntes igitur Syri.* Additamentum, quod hîc legitur in codice Sixti V. non habetur in græco, aut hebræo.

℣. 19. *Præbere ultra.* Istud *Ultra* exprimunt hebræa, & græca.

XI. 27. *Transacto autem.* Hebræa: *Et transivit.*

XII. 19. *Quod cum vidisset.* Hebr. *Et vidit.* Sic etiam quædam græca, alia verò: *Et intellexit.*

℣. 23. *Quare jejunem?* Hebr. *Quare jam ego jejunans?*

XIII. 2. *Deperiret eam.* Hoc magìs mihi latinum videtur, quàm *Deperiret in eam.* In hebræo est: *Adamavit eam.*

℣. 10. *In conclave.* Istud congruentiùs dicitur, quàm *In conclavi*; agitur enim de motu ad locum, quem etiam indicant græca, & hebræa.

℣. 37. *Cunctis diebus* Sic hebræa, & græca; sed chaldæus habet *Multis*, cum Editione Sixti V. pluribusque lat.

XIV. 16. 17. *Dei.* Ita gr. & hebr.

XV. 2. *Juxta introitum portæ.* Hebræa: *Super*, vel *Ad manum viæ portæ.* Ita etiam græca Sixtina, alia: *Super viam portæ.* Proinde non debet in Vulgata addi: *In via*; quia pro eo positum est nomen *Introitus*, quem hebræi vocant *Manum viæ.*

℣. 7. *Post quadraginta autem annos.* Ita hebræa, chaldæa, græca: Attamen *Quattuor* est non solùm in Bibliis Sixti V. sed in permultis aliis latinis. Vide dicta libro 2. fol. 175.

℣. 10. *Regnavit.* Sic hebr. & gr.

℣. 14. *Impellat.* Ita gr. & hebr.

℣. 23. *Contra viam.* Nec hebræa, nec græca addunt: *Oliva.*

℣. 24. *Deposuerunt arcam Dei.* In græco, & hebræo non interponitur *Fœderis.*

℣. 34. *Rex.* Non hebræa, sed græca addunt: *Patere me vivere.*

℣. 36. *Sunt autem cum eis.* Hebræa, & græca: *Ecce ibi cum eis.*

XVI. 1. *Utre vini.* Ita hebr. & gr.

v. 2. *Asini domesticis regis.* Sic etiam hebræa, & græca, carentque illis: *Domine mi rex.*

v. 9. *Mortuus.* v. 11. *Nunc.* Ita H. & G.

XVIII. 22. *Fili mi.* Nec hebræa, nec græca addunt: *Veni huc.*

XIX. 4. *Fili mi. Fili mi.* Ita repetitur in hebræo, & græco.

v. 10. *Reducitis regem?* Non in hebræo, sed in græco additur: *Et consilium* &c.

v. 11. *In domo ejus.* Nec græca, nec hebræa subdunt: *Quia dixerat* &c.

v. 35. *Et potus.* Hebr. *Et.* Gr. *Aut.* Sensus idem est.

XX. 10. *Et mortuus est.* Exprimuntur hæc in græco, & hebræo.

v. 14. *In Abelam.* Nec græca, nec hebræa addunt *Usque.*

v. 18. *Sic perficiebant.* Hoc est conforme hebræo, & græco.

v. 26. *Jaïrites.* Sic est in hebræo יאירי Inadvertenter est impressum ı pro

pro *i*, in Codicibus Sixti V. *Janties*.

XXII. 7. *De templo suo*. Hebræa, & græca omittunt *Sancto*.

℣. 17. *De excelso*. Sic hebr. & gr.

℣. 36. *Mansuetudo tua*. Ita gr. & hebr.

XXIII. 1. *Verba David novissima*. Eodem modo græca, & hebræa.

℣. 8. *David. Sedens*. Ita legendum esse, & interpungendum, probavi libro 2. fol. 176. Non verò: *David. David sedens*.

℣. 15. *David*. Nec hebræa, nec græca addunt: *Aquam de lacu*.

℣. 33. *Semma de Orori*. Sic hebr. הררי non *Orodi*.

XXIV. 6. *Hodsi* חדשי Eædem litteræ mutato puncto sonabunt *Hadsi*.

℣. 23. *Areuna rex regi*. Non quidem LXX. sed hebræa addunt illud *Rex*.

III. REGUM.

CAp. I. 8. *Semei, & Rei*. Eodem modo hebræa, & græca.

v. 35. *Veniet*. Ita gr. & hebr.

v. 50. *Abiit*. Non additur in græco & hebræo: *In tabernaculum Domini*.

II. 3. *Observa custodias*. Ita legendum esse probavi libro 2. fol. 176.

v. 4. *Vias suas*. In græco, & hebræo est: *Viam suam*, seu *Ipsorum*.

℣. 28. *Ad Joab*. ℣. 42. *Ieris*. Sic gr. & hebr.

v. 46. *Qui egressus*. Hebræa, & græca: *Et exivit*.

IV. 10. *Benhesed*. Ita hebr. & gr.

v. 21. *Regna*. Non additur in hebræo, & græco *Secum*.

v. 24. *A Taphsa*. Græca, & hebræa non præponunt *Quasi*.

v. 32. *Fuerunt carmina ejus quinque & mille*. Hanc lectionem esse verosimiliorem probavi libro 2. fol. 177.

VI. 8. *In parte*, sive *ad latus*, ùt est in hebræo, & græco.

VII. 9. *Extrinsecùs*. Ita gr. & hebr.

v. 24. *Striatarum*. Incertum est quid propriè significet hebræum plurale פקעים *Pekäim*. Videtur designare figuras ovales, quales aliqualiter formant *Stria*, seu lineæ striatæ in protuberantiis intermediis. LXX. transtulerunt: *Sustentacula*.

v. 25. *Stabat* mare istud æneum. Etiam est in hebræo singulare.

v. 26. *Capiebat*. Non esse addendum: *Et tria millia Metretas*, probavi libro 2. fol. 177.

v. 35. *Dimidii cubiti*. Sic hebræa, & græca. Vide dicta lib. 2. fol. 177.

VIII. 2. *Ethanim* אתנים

v. 23. *Qui ambulant*. Sic esse legendum, non *Ambulabant* ostendi libro 2. fol. 177.

v. 60. *Ut sciant*. Ita gr. & hebr.

XI. 1. *Hetthaas*. Hebræa vox חתית *Chitthioth* scribitur à LXX. Χετταίας. Vulgata vocat *Filias Heth*, & *Hetthaas*, nisi quòd minùs congruè Ezech. xvi. 3. *Cethaas*; nam prima nominis littera ח non exprimitur genuinè per *c*, sed rectiùs per *h*, aut *ch*, vel *hh*.

v. 5. *Sidoniorum*. Nec hebræa, nec græca addunt: *Et Chamos Deum Moabitarum*.

XII. 10. *Sic loquêris ad eos*. Videntur hæc inadvertenter omissa in prælo Sixti V. cùm & in reliquis latinis codici-

dicibus, & in aliarum linguarum textibus habeantur.

v. 21. *Virorum bellatorum.* Nec græca, nec hebræa interponunt copulam *Et.*

XIII. 23. *Stravit asinum suum Prophetæ, quem reduxerat.* Etiam in Dativo est in hebræo, chaldæo, græco, atque in Vaticanis Clem. VIII. 1593. prout & in posterioribus passim, meritòque desertus est Nominativus *Propheta*, quem habet Editio Sixti V. quemque in prælo habuerat Clem. VIII. 1592. sed calamo correctum est Romæ antequam exemplaria sunt divulgata.

℣. 29. *Prophetæ senis.* LXX. Nominativo ὁ προφήτης. Hebræa indifferenter transferri possunt *Propheta Senex*, & *Prophetæ senis*, quamvis pro hoc ultimo suffragium ferant accentus hebræo textui per Rabbinos appositi.

XV. 1. 7. 8. *Abiam.* Sic hebr.

XVI. 24. *Samariam.* Congruentiùs legitur Accusativo, quàm Genitivo.

XIX. 18. *Osculans manus.* In hebræo est: *Osculans eum*, nempè ipsum *Baal.*

XXI. 1. Potuissem hìc in schemate exhibere diversitatem, quæ est inter Biblia Clementis VIII. quæ omnia habent: *Qui erat in Jezrahel*, at Sixti V. *Quæ erat in Jezrahel*, quam esse genuinam lectionem, ostendi libro 2. fol. 180. Omisi tamen hunc locum, eo quòd Indices correctorii moneant in Bibliis Clementinis esse legendum *Quæ*, atque ita vera lectio Clementinorum non discrepet à Sixtinis.

XXII. 13. *Prædicant.* Istud, vel certè *Prædicunt*, ùt legunt alii, est supplendum ad hebræa: *Verba Prophetarum uno ore bonum ad regem*, supple *Nunciant*, vel *Promittunt.*

℣. 15. *Tradet eam Dominus.* Ita Biblia Vaticana anni 1598. Estque etiam genuina lectio Vaticanorum 1592. & 1593. prout monent Indices correctorii pro istis Bibliis, in quibus equidem impressum est *Eum.* Vide dicta libro 2. fol. 181.

IV. REGUM.

CAp. III. 26. *Educentes gladium*, quisque nimirum suum, unde Sixt. V. *Gladios.* Est tamen etiam singulare in græco, & hebræo.

IV. 1. *Dominum.* Ita gr. & hebr.

℣. 27. *Celavit à me.* Istud *A me* exprimunt LXX. & hebræa.

℣. 42. *Panes primitiarum, viginti* &c. Non esse ponendam copulam *Et* ante *Viginti* probavi lib. 2. fol. 182. Neque ea ponitur in græco, & hebræo, sed in chaldæo.

V. 13. *Quantò magis quia nunc dixit* Nec *nunc*, nec *tantùm* exprimitur in hebræo, aut græco; sed additur in Vulgata ut sensus suppleatur.

℣. 17. *Ut vis.* Sixti V. *Si vis.* Transfertur sensus hebræi ולא *Valo, Et non.* At hìc subintelligendum: *Non ultra cogam te. Non ero amplius importunus. Fiat sicut vis*, ùt clariùs LXX. *Et si non*, supple: Velis acquiescere quoad hoc, saltem *concede mihi* &c. ùt in textu.

VI. 13. *Dothan.* Sic etiam hebræa, sed LXX. Δωθαΐμ, sed Biblia Sixti V. Lovaniensium, & multa alia *Dothain.* Videtur idem locus, quem Gen. XXXVII.

17.

17. Vulgata bis vocat *Dothain*, prout & ibi primo loco hebræus, at secundo ùt hîc *Dothan*.

ỷ. 15. *Egreſſus.* Nec Biblia græca, nec hebræa, nec latina Lovanienſium addunt *Portam*.

ỷ. 29. *Dixique ei.* LXX. *Dicebam.* Hebræum ואמר ſi legas *Vaamar* ſignificat: *Et dixit*, ſi *Vaomar*, prout eædem litteræ poſſunt efferri, denotabit: *Et dixi*; ſed circumſtantiæ textûs monſtrant eſſe primam perſonam. Puto eſſe ſpeciale mendum, quo in Editione Sixti V. additâ litterâ *t* inadvertenter eſt impreſſum *Dixit*, pro *Dixi*, hoc enim habent omnes tam veteres, quàm recentes editiones latinæ.

IX. 26. *Et pro ſanguine* &c. Hæc magìs verbaliter correſpondent textibus hebræo, & græco.

ỷ. 27. *In aſcenſu Gaver.* Non eſt ſcribendum *Gaber*, nam nullum ineſt *b* גור γαύρ.

XI. 6. *Obſervet... Ad portam Sur.* Contextus exigit ut ponatur in tertia perſona *Obſervet*, ſcilicet tertia pars veſtrûm, aliàs hebræus textus eſt indifferens, cùm in eo ſit *Obſervantes*, ſtatim autem infra tam in hebræo, quàm Vulgatâ *Cuſtodietis*. Quoad ſecundam differentiam, cùm in hebræo ſit סור ſcribi debet ad portam *Sur*, non *Seir*.

ỷ. 9. *Ingrediebantur ſabbatum.* Hoc eſt incipiebant vices ſuas ſabbatinales, aut etiam *Ingrediebantur ſabbato* templum, ùt Sixti V. & Græca. Utramque lectionem admittit textus hebræus, in quo eadem phraſis *Ingredientes ſabbati*, & *Egredientes ſabbati*, in Vulgata vertitur hoc verſu: *Ingredientes ſabbatum*, & *Egredientes ſabbato*.

ỷ. 17. *Inter regem.* Sic hebr. & gr.

XIV. 17. *Quindecim annis.* Sic habent omnes latini codices, & aliarum linguarum textus II. Paral. xxv. 25. atque etiam hîc hebræa, chaldæa, græca.

ỷ. 22. *Ælath* אילת

ỷ. 23. *Joas.* Sic omnes alii libri. Per inadvertentiam irrepſit *i* in Sixti V. *Joias*.

XV. 19. *In terram.* ỷ. 20. *In terra.* Ita græca & hebræa, non *Therſam*.

XVI. 12. *De Damaſco.* Addunt iſtud Biblia hebræa, græca, & Lovan. &c.

XX. 1. *Præcipe domui tuæ.* Hebræum צו *Tſau*, & græcum ἔντειλαι propriè ſignificant *Præcipe*: Senſu tamen hîc valent *Diſpone*, ùt idem hebræum צו *Tſau* tranſlatum legitur Iſa. xxxviii. 1. in omnibus Vulgatæ codicibus; ibi equidem eſt in græco τάξαι. *Ordina*, *Diſpone*.

XXII. 3. *Aſlia.* Hebræum אצליה includit *l*.

XXIII. 11. *Nathanmelech.* Ita ſcribunt omnes, niſi quod in Editione Sixti V. videatur per inadvertentiam omiſſa littera *n* *Nathamelech*.

ỷ. 33. *Rebla.* Nec græca, nec hebræa hic habent *Reblatha*.

ỷ. 34. *Et mortuus eſt ibi.* Quamvis hæc abſint à plurimis libris latinis, meritò tamen ſunt retenta in Editione Clementis VIII. cùm etiam habeantur in græco, & hebræo. Vide lib. 2. f. 184

XXIV. 19. In nomine regis Juda hoc verſu relato valdè variant codices latini. Lovanienſium habent *Ioacim*.

Sixti V. *Joachin.* Clem. VIII. 1592. *Joakin*, at anni 1593. *Joakim.* Hoc ultimo modo scribendum esse monet Index correctorius pro Bibliis Vaticanis anni 1592. Eamque lectionem meritò retinere posteriores editiones, patet ex hebræo יהויקים in quo nomine est *k*, & *m*, aliusque ab eo fuit יהויכין *Joachin*, nempè *Joakimi* filius.

XXV. 19. *Sexaginta viros.* Idem numerus est in hebr. chald. græc.

℣. 23. *Netophathites.* Cùm omnes alii textus, & Codices ita scribant & hîc, & aliis Scripturæ locis, reor in Editione Sixti V. inadvertenter esse impressum *M* pro *N*.

I. PARALIPOMENON.

CAp. I. 31. *Jetur.* Græca Ἰέτουρ, quomodò etiam potest pronunciari hebræum יטור sed nequaquam *Jachur*.

℣. 38. *Sebeon*, *Ana*, *Dison*. Brugensis: *Corruptè scribitur in quibusdam Ava, pro Ana*; siquidem in hebræo est ענה

II. 3. *De filia Suë Chananitide.* Hebræum: *Mibbath Sua hac-Chenaanith* nequit hîc verti *Chananitidis*; nam, ùt constat ex Gen. XXXVIII. 2. *Suë*, sive *Sua* Chananæus, erat socer Judæ, cujus filiam, utique Chananæam, Judas duxit uxorem. Est proinde mendum in illis codicibus, qui habent Genitivum *Chananitidis*; cùm iste Genitivus non possit in latino referri ad aliud, quàm ad *Suë*, quod, ùt dixi, nomen est masculi; nempè patris uxoris Judæ.

Erroris occasionem fortè præbuit textus græcus ἐκ τῆς θυγατρὸς Σούας τῆς Χαναανίτιδος. Verùm ibi iste Genitivus *Chananitidis*, non regitur à voce Σούας *Suë*, cùm sit masculina, sed vox *Chananitidis* est ibi nomen gentilitium relatum ad vocem genitivam θυγατρὸς *Filia*.

℣. 6. *Dara* דרע Δαράδ.

℣. 13. *Abinadab.* Sic hebræa אבינדב sed LXX. Ἀμιναδάβ.

III. 22. *Saphat sex numero.* Non esse addendum *Sesa*, probavi lib. 2. fol. 184.

IV. 7. *Isaar*, & *Ethnan.* Ita modò est in hebræo יצחר *Isoar*, seu *Itsohar*, sed Rabbini, seu Masorethæ ad marginem sacri textûs dicunt, legendum esse וצחר *Ve-Tsohar*, hoc est *Et Suhar*, qualiter etiam est in LXX. in Bibliis Sixti V. & Lovaniensium.

V. 10. 19. 20. *Agaraos*, sive *Agarenos*. Primum propiùs accedit hebræo הגראים

VI. 28. *Abia.* Sic hebr. & gr.

℣. 62. *Aser.* Ita & græca. Posset quidem in hebræa voce אשר duplicari *s*, & ita latinè scribi *Asser*; sed hoc est Vulgatæ inusitatum in isto nomine.

℣. 75. *Hucac.* LXX. Ἀ'κὰκ. Hebr. חוקק *Hhukok*, vel *Hhokak*, seu *Hucac*; sed nequit pronunciari *Asach*.

VII. 15. *Accepit uxores.* Magìs verbaliter correspondet hebræo, & græco lectio Sixti V. quæ etiam est Lovaniensium, & variorum latinorum, nempè singulare אשה *Issa*, γυναῖκα *Uxorem*, scilicet utrique filio unam.

VIII. 40. *Centum quinquaginta.* Non esse

esse addendum *Millia* probavi fol. 185.

IX. 28. *De horum genere.* Hebræa, & græca: *Ex his.*

XI. 21. *Inter tres secundos* (seu secundi ordinis) *inclytus.* Hoc est: Primus secundi ordinis. Hunc sensum, & lectionem exigunt & circumstantiæ, & textus hebræus, ac græcus.

XII. 20. *Principes millium*, seu familiarum. Vide fol. 185.

XIII. 2. *Et à Domino.* In hebræo, & græco additur *Et.*

XIV. 2. *Cognovitque David quòd.* Rectè omissum esse *Eo*, dixi lib. 2. f. 186.

Eodem ℣. 2. *Et sublevatum esset.* In Bibliis Lovaniensium additur *Et*, sed legitur *Est* pro *Esset.* In hebræis & græcis non exprimitur *Et*, sed subauditur, ejusque loco est *Quia.* Hebræum נשאת *Nisseth* potest verti: *Sublevatum est*, &: *Sublevatum esset.*

XVI. 36. *Hymnum Domino.* Sic hebr. & gr.

℣. 42. *Deo.* Θεοῦ אלהים

XVII. 3. *Sermo Dei.* Ita hebræa. græca *Domini.*

XIX. 5. *Mandassent.* Hebr. *Nunciaverunt*, aut etiam *Nunciassent.*

XXIII 3. *A triginta annis.* Vide libro 2. fol. 186.

℣. 5. *Totidem Psalta.* Ita legendum constat ex dictis libro 2. fol. 187.

℣. 29. *Lagana azyma.* In græco, & hebræo non additur *Et*, quod in quibusdam latinis non benè mediat; nam ipsa *Lagana* erant *azyma*, seu *infermentata.*

XXV. 2. *Prophetantis.* ℣. 5. *Videntis.* In græco, & hebræo utrúmque est singulare.

XXVI. 7. *Elzabad fratres ejus.* In hebræo post *Elzabad* non sequitur *Et*, hoc tamen addunt LXX. imò illud אחיו *Echau. Fratres ejus* (vel aliis punctis *Achiu. Frater ejus*) ipsi accipiunt ùt nomen proprium vertentes Καὶ Ἀχιούδ.

℣. 21. *Filii Ledan.* Nec græca, nec hebræa addunt copulam.

℣. 25. *Fratres quoque ejus.* Ut ad ℣. 7. notavi, hebræum אחיו pro varietate punctorum significat *Fratres ejus*, & *Frater ejus.* Græca Sixtina habent *Fratres*, alia *Frater.*

℣. 28. *Omnes, qui.* Præstat ut sic legatur, eo quòd in hebræo, & græco sit *Omnis sanctificans.* Vide lib. 2. fol. 187.

℣. 29. *Chonenias, & filii.* Ita H. & G.

XXVII. 16. *Tribubus præerant Israël.* Est genitivus, q. d. *Israëlis*, quod manifestant hebræa, & græca; quæ non habent quoad verbum: *In Israël.*

℣. 31. *Agaraus.* Vide Cap. V. 10.

II. PARALIPOMENON.

CAp. I. 1. *Deus ejus.* Ambæ hæ voces etiam sunt in hebræo, & græc.

℣. 3. *Fœderis Dei.* Θεοῦ אלהים

℣. 17. *Hethæorum.* Vide ad III. Reg. XI. 1.

II. 10. *Et vini viginti* &c. Esse hæc addenda constat ex dictis lib. 2. fol. 187.

℣. 13. *Hiram patrem meum.* Istud *Ut* additum in Sixti V. nusquam alibi reperi; equidem benè sensum explicat; non enim iste *Hiram* erat naturalis pater Regis Tyri, sed ipsi erat *ùt*, sive instar patris.

℣. 18. *In montibus caderent.* In hebræo est בהר *Bahar. In monte*, non מהר *Mehar. De monte.*

IV. 16. *Pater ejus.* Additur hoc in hebræo, Lovaniensibus, & plerisque latinis, deest tamen in græco, sicut in Editione Sixti V.

℣. 22. *In Sancta sanctorum.* Sic G. & H.

V. 13. *Impleretur domus.* Nec in hebræo, nec in græco additur *Ita.*

℣. 14. *Nec possent stare.* Magis genuinum est *Nec*, quàm *Ne*, cùm sit in hebræo, & græco: *Et non.*

VI. 16. *Vias suas.* Vide lib. 2. fol. 188.

℣. 42. *Ne averteris.* Sixti V. *Ne avertaris.* Lovanienses: *Ne aversêris.* In græco *Ne avertas*, vel *Ne aversêris.* In hebræo est אל תשב *Al taschеb*, quod Psalm. cxxxi. 10. vertitur benè quoad sensum *Non avertas*, quamvis quoad verbum sit futurum, à radice שוב *Schub. Averti*, *Aversum esse.*

VII. 18. *Qui sit princeps.* Nec in græco, nec in hebræo interponitur *Non*, quod equidem appositum in Codice Sixti V. non mutat sensum, ùt ex contextu patet.

VIII. 15. *Et in.* Sic hebr. & gr.

XIII. 3. *Quadringenta... octingenta.* ℣. 17. *Quingenta* Eundem numerum exprimunt textus hebræus, græcus &c. Vide lib. 2. fol. 188.

XV. 1. 8. *Oded.* Ita gr. & hebr.

XVII. 14. *Principes.* Etiam in græco, & hebræo est plurale.

XX. 36 *Ut facerent naves.* Alii cum Sixt. V. *Ut faceret* ipse Josaphat cum Ochozia. In græco & hebræo est: *Ad faciendum.*

XXIII. 8. *Egressuri.* Benè notat Franciscus Lucas: *Non est mutandum Participium futurum Egreßuri, in Participium Præteritum Egreßi.* Loquitur enim Scriptura de eo, quod fieri debebat, seu jubebatur, non de eo, quod factum erat. In hebræo est simplex participium præsens, *Egredientes.*

XXIV. 5. *Dei vestri.* Sic hebr. & gr.

XXV. 1. *Nomen matris ejus Joaden.* Hebræum יהועדן potest pronunciari *Joaden*, & *Joadan*, ùt omnes habent IV. Reg. xiv. 1.

℣. 5. *Invenitque trecenta millia.* Eundem numerum exprimunt hebr. & gr.

XXVIII. 9. *Oded* עדד

XXX. 3. *Non enim potuerant.* Sic est in hebræo, & græco.

XXXII. 29. *Urbes ædificavit.* Nec græca, nec hebræa addunt *Sex.* Vide fol. 190.

XXXIII. 7. *Deus* אלהים

XXXIV. 3. *Duodecimo anno postquam regnare coeperat, mundavit.* In Bibliis Sixti V. tantùm subintelligitur illud *Regnare.* Imò in hebræo deest totum illud: *Postquam regnare coeperat*, atque ita habetur: *Et in duodecimo anno coepit mundare*; sed subintellige *Regni sui*, prout etiam in græco suppletum est.

℣. 27. *In conspectu Dei.* Ita gr. & heb.

XXXV. 9. *Nathanaël fratres.* Nec hebræus textus, nec græcus interponunt *Et.* Imò nec Lovanienses ullum codicem notant, qui interponat.

I. ESDRÆ.

CAp. II. 2. *Josuë.* Hebræa nunc punctata ישׁוּע *Jeschua*, quomodò præter Vaticanum Exemplar Sixti V. etiam habent Biblia Lovaniensium, & varia alia. Nomen hoc purè hebraïcum est יְהוֹשֻׁעַ *Jhoschuah*, seu molliùs efferendo *Josua*, sive *Josuë*; sed temporibus Esdræ alteratâ per captivitatem Babylonicam hebræâ linguâ, scribebatur, & dicebatur *Jesua*, unde benedictum nomen JESUS.

℣. 36. & 40. *Josuë.* Iterum in hebræo ישׁוּע *Jesua*, in Sixti V. & Lovan. *Jesuë.*

℣. 66. *Septingenti.* ℣. 69. *Sexaginta millia.* Ita esse legendum ex hebræo, & græco probavi libro 2. fol. 191.

III. 7. *Ad mare Joppe.* Vide lib. 2. fol. 192.

IV. 23. *Consiliariis.* Constructio verborum exigit casum Dativum.

V. 13. *Domus Dei hac.* Exprimitur *Hæc* in græco, & hebræo.

VI. 15. *Sextus regni Darii regis.* Ita græca, & hebræa. Vide lib. 2. fol. 192.

VIII. 1. *Hi sunt ergo.* Græca, & hebræa: *Et hi*, seu *Isti*.

℣. 3. *Sechenia, filiis.* Subaudiendum *De* filiis, exprimiturque in hebræo, imò græca Sixtina: *Et de filiis.*

IX. 14. *Ut non converteremur* &c. In hebræo est: *Numquid convertemur ad infringenda mandata tua?* Hoc est: An resolvemus hoc? seu: An rursus ad hoc faciendum animum mentemque declinabimus? Unde non incongruè Biblia Sixti V. *Averteremur.*

X. 1. *Implorante eo.* Nec græca, nec hebræa pro *Eo* habent *Deum.*

℣. 31. *Josuë.* Hebr. ישׁיה *Isschija*, sive, ùt aliis punctis legerunt LXX. *Jesia.* Sixti V. & Lovan. *Jesuë.*

II. ESDRÆ.

CAp. I. 2. *Ipse, & viri ex Juda.* Sic est in hebræo מִיהוּדָה *Mijuda. De*, sive *Ex Juda*; sed in græco est omisso *Ex*, ùt in Sixt. V. *Viri Juda.*

II. 6. *Constitui ei tempus.* Primam personam exigit contextus, & græca, atque hebræa ואתנה *Vaettena. Et dedi.* Credo istud *Constituit* esse speciale mendum typographicum Editionis Sixti V.

℣. 8. *Portas turris domûs.* Ita græca, & hebræa. Vide libro 2. fol. 193.

III. 6. *Ipsi texerunt eam.* Sic esse legendum probavi libro 2. fol. 193.

℣. 19. *Filiis Josuë.* ישׁוּע *Jesua.* Vide dicta hoc libro ad I. Esdr. II. 2.

℣. 28. *A porta.* Est hoc conformiùs græco, & hebræo.

℣. 31. *Aurifices.* De hac lectione. Vide dicta libro 2. fol. 193.

IV. 22. *Sint nobis vices.* Ita hebr.

V. 9. *Dixique.* Sic hebr. & gr.

VI. 2. *In viculis in campo Ono.* Sic gr. & hebr. Vide dicta lib. 2. fol. 193.

VII. 12. *Mille ducenti.* Ita heb. & gr.

℣. 21. *Nonaginta octo.* Sic gr. & heb.

℣. 39. *Josuë.* Vide supra.

℣. 66. *Trecenti.* Ita gr. & hebr.

v. 69. Quæ circa Notam Hieronymi hîc in Clementinis positam sunt

 obser-

observanda, vide libro 2. fol. 194.

VIII. 6. *Domino Deo magno.* Ita hebr. & gr.

IX. 8. *Hethai, & Amorrhai.* Nec hebræa, nec græca interponunt *Hevaos.*

v. 29. *Quæ faciet homo, & vivet.* Ita præcisè est in hebræo, sed Editio Sixti V. verbotenùs correspondet græco.

XI. 17. *Idithum.* Nomen hoc aliis Scripturæ locis semper finitur per *n*, prout etiam hîc in hebræo ידיתון

v. 30. *Lachis... & Azeca.* Præpositio *In* tantùm subintelligitur in hebr.

XII. 4. *Genthon.* Hebr. גנתוי *Ginnethoj*, sive *Genthoj.*

v. 7. 10. 24. 26. *Josuë.* Hebr. ישוע LXX. Ἰησοῦς. Vide I. Esdr. II. 2.

XIII. 9. *Gazophylacia.* Etiam in hebræo, & græco est plurale.

TOBIAS.

CAp. III. 21. *In correptione*, seu *Correctione*, ùt Codex Sixti V. Illa siquidem in Scriptura frequenter sumuntur pro eodem. Vide lib. 2. f. 195.

VIII. 24. *Fecit scripturam.* Hæc, prout & alia multa, quæ benè habet Vulgata, desiderantur in græco.

JUDITH.

CAp. I. 2. *In latitudinem* &c. Sic etiam græca, nisi quòd loco *Triginta*, habeant *Quinquaginta.* Biblia Lovaniensium incipiunt Periodum per *Altitudinem*, non per *Latitudinem*, sicut etiam Codices Sixti V. in quibus tamen istud *Altitudinem* chartulâ, & literis impressis pulte superpositum est, atque adeò de industria est correctum, quod ibidem priùs erat impressum, fortè *Latitudinem.* Vide lib. 2. fol. 195.

VIII. 10. *Et venerunt.* Sic græca.

XIII. 7. *Confirma me.* Non videtur omittendum *Me*, cùm hoc & sensus exigat, & similis oratio v. 9. quamvis hæc verba versûs septimi desint in græco.

v. 10. *In cervicem.* Ita græca.

XV. 8. *De prædationibus*, seu *prædis eorum.* Græca: *Prædati sunt eos.*

XVI. 2. *Exaltate.* Hoc significat græcum ὑψοῦτε, non verò *Exultate.*

ESTHER.

CAp. II. 14. *Deducebatur.* Hoc singulare magìs quadrat contextui, & hebræo, ac græco, quàm plurale *Deducebantur.*

IV. 4. *Vestem misit ut ablato sacco induerent eum.* In hebræo, & græco pro bina ultima voce est: *Induere Mardochæum*, quod patet magìs favere lectioni modernæ, quàm Sixti V.

VIII. 11. *Et spolia eorum diriperent.* Ista quidem non habentur in græco, sunt tamen in hebræo, & chaldæo. Vide libro 2. fol. 197.

IX. 10. *Tangere.* Propiùs hoc verbum accedit ad hebræa, & chaldæa: *In prædam non miserunt manum suam.* Istud tamen Sixti V. *Agere* magìs est secundùm proprietatem sermonis latini; unde ita videtur ab Hieronymo translatum.

X. Omnes Notæ S. Hieronymi hinc.

hinc inde in libro Esther intermixtæ omissæ sunt in Editione Vaticana Sixti V. quia voluit hic Pontifex exhibere nudum Scripturæ textum: Unde in eadem Editione etiam congruentiùs fuissent omissa illa verba Capite

XII. 6. *Et diripuerunt bona, vel substantias eorum*: Ut enim constat ex Nota prævia, quæ habetur in Vulgata moderna Editionis Clem. VIII. ista verba non pertinent ad hunc locum; sed tantummodò citantur per Notam S. Hieronymi, quâ indicat, quo loco libri Esther in Vulgata haberi solerent ista, quæ, quia in hebræo non reperit, Hieronymus in sua translatione ad calcem libri rejecit, & post Notam illam immediatè subjecit, nempè epistolam Artaxerxis, seu Assueri. Hinc etiam illa verba: *Et diripuerunt* &c. nullo modo cohærent cum verbis immediatè præcedentibus in Editione Sixti V. prout nec cum sequentibus.

XV. 1. *Haud dubium quin esset Mardochæus*. Hæc verba non malè omissa sunt in Editione Sixti V. quia sunt mera quædam Nota interposita ab Hieronymo, aut aliquo alio, ùt probavi libro 2. fol. 197. Porrò, ùt ibidem dixi, habetur in omnibus aliis Editionibus Romanis *Esset*, quamvis in cunctis fermè posterioribus Editionibus sit impressum *Esther*.

J O B.

CAp. VI. 17. *Incaluerit*. Singularem numerum esse retinendum probavi libro 2. fol. 199.

XIX. 26. *Deum meum*. Hebræa non addunt *Salvatorem*. Vide lib. 2. fol. 202.

XX. 25. *Eductus*. Nec in græco, nec in hebræo præponitur *Gladius*.

XXIII. 7. *Perveniat*. Verbum hebraïcum meliùs exponitur per Futurum, quod hìc cum Sixto V. habent penè omnes antiquiores Vulgatæ Codices, ita ut Lovanienses non indicent ullum aliter legere.

XXIV. 21. *Sterilem, quæ non parit*. Post *Sterilem* non est in hebræo *Et*.

XXX. 12. *Orientis* &c. Lectiones varias, quæ hìc sunt in variis Vulgatæ codicibus expendi libro 2. fol. 202.

℣. 15. *Abstulisti quasi ventus desiderium meum*. Per Clementinam correctionem judiciosè restitutum est *Abstulisti* Domine Deus, pro eo, quod in impressos antea Vulgatæ Codices passim irrepserat *Abstulit*, qualiter etiam habent Biblia Lovaniensium, & etiamnum habere vulgatam putavit Menochius, ùt patet ex ejus Scholiis.

Siquidem *Abstulisti* magno consensu legunt Biblia Latina manuscripta, prout & nova Editio operum S. Hieronymi; exigit autem textus hebræus, in quo quidem ponitur Futurum, sed loco Præteriti, habeturque expressè secunda persona masculini generis numeri singularis תִּרְדֹּף *Tirdoph. Persequêris*, pro quo eleganter Hieronymus vertit *Abstulisti*, propter comparationem, quam hìc instituit S. Job cum vento, qui dum vehementer spirat, rem afflatam suo modo persequitur, percellit, propellit, atque adeò aufert. Nota: *Persequêris*, seu *Persecutus*

cutus

cutus es sicut ventus. Hoc est: Eo modo, quo ventus persequi solet, utique propellendo, & ita auferendo.

Est quidem hebræum תרדף *Tirdoph* etiam verbum Futuri temporis tertiæ personæ singularis numeri; sed non nisi in genere feminino, quod genus hîc non venit ad rem circa verbum *Abstulit*, saltem secundùm translationem Vulgatæ nostræ, quandoquidem in ea istud femininum non possit referri ad Deum, vel Satanam, aut alium hostem, qui ista, quæ Job conqueritur ablata, abstulisset. Dixi: *Saltem secundum translationem Vulgatæ nostræ*; quia in hebræo præcedit immediatè vox feminina, sed pluralis בלהות *Ballahoth*, quam LXX. transtulerunt *Dolores.* Arabicus: *Perturbationes*, prout eandem vocem hebræam vertit Hieronymus Isaiæ XVII. 14. Pagninus, Arias, Codurcus *Terrores*, sive *Formidines*, ùt vocem *Ballahoth* transfert Hieronymus in Vulgata Job XVIII. 11. unde ad illam vocem referendo Activum *Tirdoph*, possent hebræa verba, quæ Hieronymus non malè transtulit: *Redactus sum ad nihilum. Abstulisti* &c. Possent, inquam, etiam verti: *Conversæ sunt* (hoc est irruerunt) *super me perturbationes*, *Dolores*, *Terrores*, *Formidines*; *persequentur*, nempè unaquæque earum *Persequetur*, hoc est *persecuta est sicut ventus*, atque adeò *abstulit desiderium meum.*

Potest etiam *Tirdoph. Persequetur* sumptum tanquam femininum habere congruum sensum in lectione Sixti V. *Abiit quasi ventus desiderium meum*; nam in hebræo est femininum נדבתי *Nedibathi*, quæ vox hîc ab Hieronymo transfertur *Desiderium meum*, ab Interpretibus LXX. *Spes mea*: intellige per Metonymiam objectum spei, & desiderii. Aut potiùs vertes genuinè absque ullo tropo: *Principatus meus*, conformiter ad Psalm. CIX. 3. ubi eadem vox hebræa est translata *Principium*, hoc est *Principatus*, prout dixi libro 1. fol. 60. Et ita intellexit Translator Chaldaïcus hîc in libro Job, cùm verterit רבנותי *Rabbanuthi. Amplitudo*, *Magnificentia*, sive *Dominium meum.*

Illa, inquam, hebræa vox *Nedibathi* est feminini generis, & consequenter potest ad eam referri verbum *Tirdoph*, prout significat tertiam personam femininam. Sed tunc oporteret dicere, quod Activum *Tirdoph* non solùm valeat: *Illa persequetur*, seu *Persecuta est*; sed insuper significet *Abiit*, quod an satis possit probari, nescio.

Interim ita ùt habet lectio Sixtina, intellexerunt hunc locum LXX. quandoquidem verterint ᾤχετό μου ἡ ἐλπὶς. *Discessit mihi spes*, seu potiùs *Spes mea avecta est curru*, sive *Rhedâ cursoriâ*, nempè celerrimè instar venti vehementis; derivatur enim hoc græcum verbum ab ὄχος *Currus*, quem à *Currendo* ita dictum esse, nemo, ùt reor, inficiabitur.

Videntur tamen mihi hi græci Interpretes easdem litteras hebræas תרדף legisse non: *Tirdoph*, quod certò est Verbum activum, sed ut affectas aliis punctis תֵּרָדֵף *Teradeph*, quod est Verbum passivum tertiæ

tiæ personæ singularis numeri feminini generis. Diximus autem Futurum hîc poni pro Præterito, adeòque sensus est: *Persecutionem passa est*, seu *Propulsa est spes mea*, atque adeò *Abiit*, *Discessit*, *Ablata est* velocissimè instar venti vehementer propulsi.

Hæ quoad præsentem difficultatem, & variantes circa hunc Scripturæ locum tum textus, tum lectiones, meæ sunt speculationes, ac reflexiones, quibus excitati Doctiores forsitan meliora reperient: *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia*. Proverb. IX. 9.

℣. 24. *Ad consumptionem eorum*. In hebræo, & græco non additur Pronomen, quod in Vulgata meliùs suppletur per *Eorum*, quàm per *Meam*, quandoquidem etiam in hebræo sequatur: *Et si corruerint*.

XXXI. 7. *Si secutum est oculos* &c. Ita legitur in hebræo, chaldæo, græco, sed lectio Sixti V. est conformis S. Gregorio M. & omnibus penè antiquis Vulgatæ libris.

℣. 40. *Finita sunt verba Job*. Etiam hæc in hebræo, & græco habentur hoc versu, seu in fine Cap. XXXI.

XXXIV. 37. *Quia addit*. Ita legendum esse probavi libro 2. fol. 204.

XXXVI. 7. *Et illi eriguntur*. In hebræo, & græco subauditur *Illi*, sed *Illic* ibidem non habetur.

℣. 33. *Et ad eam*. Nec *Et*, nec *Ut* est verbotenùs in hebræo.

XXXVII. 9. *Ab interioribus*. Hebræa, & græca non addunt *Austri*.

XXXVIII. 41. *Vagantes*. Sic hebræa, & græca. Vide libro 2. fol. 204.

XLI. 14. *Fulmina*. De hoc loco egi libro 2. fol. 204.

PSALMI.

Quoad Titulos Psalmorum notandum est, in Editione Sixti V. omnibus Psalmis præponi integram vocem *Psalmus*, vel abbreviatam *Psalm.* Hoc autem non est generale in hebræo; unde in Editione Clem. VIII. plerumque omittitur, etsi quandoque ponatur, etiam ubi in hebræo non habetur. Deinde ubi in Titulo Psalmi præponitur in Editione Clem. VIII. illud *In finem*, ibidem in Editione Sixti V. ordinariè ponitur post alia ejusdem Tituli verba, sed Editio Clem. VIII. quoad hoc correspondet textui hebræo, non verò Editio Sixti V.

Psalm. I. 5. *Ideò non resurgent*. Tam in hebræo, quàm græco habetur tempore futuro.

III. in Titulo. *Absalom*. Per *m* scribitur in hebræo, græco, & reliquis latinis.

IV. Tit. *In carminibus*. In hebræo, & græco est plurale.

℣. 4. *Et scitote*. Hîc habent græca, & hebræa *Et*, sed non ℣. 5. *In cubilibus*.

V. Tit. *Consequitur*. In hebræo est: *Ad*, sive *Pro hereditantibus*, vel *hereditatibus*, ùt vertit Hieronymus. LXX. *Super hereditatem consequente*. Igitur idem est sive dicas *Consequitur*, sive *Accepit*, nisi quòd præsens tempus videatur præferendum.

VI. Tit. *In carminibus*. Sixti V. & LXX. *In hymnis*. Hebræum נגינות

Neginoth est incertæ significationis. De *Hymnis* nota istud Augustini in Psalm. 72. *Si sit laus, & non sit Dei laus, non est Hymnus. Si sit laus, & Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo ut sit hymnus habeat hac tria: & laudem, & Dei laudem, & canticum.*

XV. Tit. *Tituli inscriptio ipsi David.* Ita etiam LXX. Hebræa: *Michtham Davidi*; magna porrò est controversia, quid hîc significet *Michtham.* Suspicor LXX. non legisse מכתם *Michtham*, sed mutatâ ultimâ litterâ מכתב *Michthab. Scriptura*, seu *Inscriptio.*

XVII. Tit. *In finem* &c. Correspondet hæc lectio hebræo, & græco, qui ambo addunt cum Editione Clem. VIII. *Et dixit*; sed hæc habet hunc Titulum charactere cursivo impressum.

XIX. 7. *Exaudiet.* Futurum tempus etiam exprimunt hebræa, & græca.

XXII. In Titulo neque hebræa, neque græca addunt: *In finem.*

XXV. Titulus. *In finem Psalmus David.* Nihil habetur in græco, & hebræo præter לדוד *Le-David. Davidi*, vel *Davidis.* LXX. τοῦ Δαυίδ.

XXVI. 4. *Ut videam voluptatem.* Sic esse legendum probavi ex hebræo, & græco libro 2. fol. 207.

XXVII. Tit. *Ipsi David.* Græca *Davidis.* Hebræa *Le-David. Davidi*, vel *Davidis.*

℣. 3. *Ne simul trahas me.* Ita esse legendum ostendi libro 2. fol. 208.

℣. 7. *In ipso speravit.* Nec græcus textus, nec hebræus præponunt *Et.*

XXIX. Titulo hujus Psalmi nec hebræa, nec Editio Clem. VIII. addunt *In finem*, quod addunt LXX. & Sixt. V.

XXXI. Tit. *Ipsi David intellectus.* Tam in hebræo, quàm græco est *Ipsi David*; at hebræum משכיל *Mascil*, & græcum Σύνεσις æquè verti possunt *Intellectus*, & *Intelligentia*; quamvis, si spectemus rigorem hebraïci verbi, quod est in forma Hiphil, *Mascil* sit *illud*, vel *ille*, *qui* intelligere facit; unde Arias Montanus vertit: *Erudiens.* Etiam notandum in græco non esse Nominativum Σύνεσις, sed Genitivum Συνέσεως.

XXXIII. Tit. *Davidi.* Ita H. & G. Idem est de Titulis Psal. 34. 35. 36. 59. 67.

Ibid. *Achimelech.* In hebræo, græco, & omnibus antiquioribus latinis habetur *Abimelech*; equidem lectionem Vulgatæ modernam esse verosimiliorem docui libro 2. fol. 208.

XXXIV. 25. *Devoravimus.* Præteritum etiam est in hebræo, & græco.

℣. 26. *Qui magna loquuntur.* Hebræa, & græca: *Magna loquentes*, non *Maligna.*

XXXVI. 2. *Et quemadmodum.* Additur *Et* in hebræo, & græco.

℣. 14. *Ut dejiciant.* Ita gr. & hebr.

℣. 21. *Tribuet.* H. *Tribuens.* G. *Dabit.*

XL. 2. *Beatus, qui.* Nec græca, nec hebræa interponunt: *Vir.*

XLI. 3. *Fortem vivum.* Ita, non *Fontem* esse legendum ostendi lib. 2. f. 209.

XLII. Tit. *Psalmus David.* Sic græca Lucianæa, sed quædam exemplaria Interpretum LXX. addunt: *Sine titulo apud Hebræos*, quod verum est. Nec he-

bræa, nec græca hîc addunt: *In finem*, quod tamen adjungunt in Titulo Psalmi XLIII.

XLVI. Vox *David* Titulo non additur in hebræo, aut græco.

XLVII. Tit. *Psalmus cantici*. Hebræum מזמור *Mizmor*, & græcum ᾠδὴ non propriè *Laudem* significant, sed *Canticum*.

XLVIII. Nec hebræa, nec græca addunt in Titulo: *David*.

XLIX. 4. *Advocabit*. Ita etiam hebræa & græca.

L. Tit. *In finem*. Sic gr. & hebr.

℣. 16. *Exultabit*. Sic græca. Hebræa תרנן *Terannen*, quod est lætanter, atque exultando laudare, vel cantare.

LI. Tit. *Achimelech*. Ita & hebræa, & græca. Vide libro 2. fol. 209.

LII. Tit. *Pro Maëleth*. Sic esse legendum ex græco, & hebræo docui lib. 2. fol. 210.

Ibid. *Intelligentia David*, sive *Intellectûs* genitivo singulari. Vide Ps. 31.

℣. 7. *Converterit Deus*. Ita H. & G.

LIII. LIV. *In carminibus*. Hebr. נגינות *Neginoth*. Vide dicta Ps. VI.

LVI. LVII. LVIII. Tit. *Ne disperdas*. Hoc significat tam hebræum *Al taſcheth*, quàm græcum μὴ διαφθείρῃς, quamvis magis grammaticaliter: *Ne corrumpas*, ùt habet editio Sixti V.

LVII. 2. *Recta judicate*. Etiam græca, & hebræa habent *Recta*, seu *Rectitudines*, non *Rectè*.

LVIII. 12. *Deus ostendet*. In græco, & hebræo est Futurum.

℣. 17. *Exultabo*. Hebr. ארנן *Arannen*. Vide dicta Psal. L. 16.

LIX. Tit. *Idumæam*. Latinâ terminatione sic solet vocari Regio illa à posteris Esau habitata, quæ hebraïcè dicitur אדום *Edom*.

LXII. 7. *Si memor fui*. In hebræo, & græco est *Si*, non *Sic*.

LXIV. 11. *Rivos ejus inebria*. Sic & græca μέθυσον, & hebr. רוה *Ravve*, non מרוה *Marve*, vel *Meravve*. *Inebrians*.

LXV. 17. *Exaltavi*. Hebr. רומם *Romam*. *Exaltatus est*. Vide lib. 2. f. 210.

LXX. Tit. *Et priorum captivorum*. Ita ad verbum est in græca Lucianæa, sed in aliis editionibus LXX. & in hebræo nullus huic Psalmo præfigitur titulus.

LXXI. Post finem hujus Psalmi additur: *Defecerunt laudes David filii Jesse*, sive, ùt magis litteraliter reddam hebræa verba: *Consummata*, seu *Finita sunt orationes David filii Isaj*, quæ etiam hoc loco habentur in græco, in quo vocantur ὕμνοι *Hymni*. In Editione Sixti V. eadem verba minùs congruè posita sunt post Titulum Psalmi sequentis, seu LXXII. quod fortè deputandum est errori typographico.

LXXII. 16. *Ut cognoscerem hoc, labor est*. In hebræo est: *Ut cognoscerem hoc, labor ipsum*.

LXXV. 4. *Potentias arcuum, scutum*. Ita clarissimè græca, & hebræa, nisi quod hæc habeant in genitivo singulari *Arcûs*.

LXXVI. 11. *Nunc cœpi*. Etiam prima persona est in hebræo, & græco.

LXXVII. 45. *Cœnomyiam*. Ita hîc, & Ps. CIV. 31. esse legendum docui libro 2. fol. 211.

℣. 53. *Deduxit eos in spe.* Hoc est conforme hebr. & græco.

LXXVIII. 13. & LXXXVIII. 5. *In generationem.* Tam hebræum לדור *Ledor*, quàm græcum εἰς γενεὰν congruentiùs vertes per accusativum: *In generationem*, quàm per Ablativum *In generatione.* Idem notandum Ps. cv. 31. cxviii. 90. cxxxiv. 13. cxlv. 10.

LXXX. Tit. *Ipsi Asaph.* Hebræa לאסף *Le-Asaph.* Etiam gr: τῷ *Ipsi* Ἀσάφ, neque additur in hebræo, aut græco: *Quinta Sabbati.*

LXXXVII. LXXXVIII. Tit. *Ezrahita.* Ita hebræa אזרחי sed græca τῷ Ἰσραηλίτῃ *Israëlita* in Dativo.

LXXXVIII. 8. *In consilio.* Hebræum סוד *Sod*, usitatiùs *Consilium* significat, quàm *Concilium.* Idem est de græca voce βουλῇ.

LXXXIX. 14. *Et exultavimus.* Heb. & gr. præponunt *Et.*

XCI. 4. *In decachordo, Psalterio.* Interpunctionem mediare notavi libro 2. fol. 211.

XCII. 5. *In longitudinem.* Accusativum habet græcus textus, & exigit Hebræus.

XCIV. 9. *Probaverunt me.* Hebræa omnia, & varia græca addunt *Me.*

XCVI. Tit. *Huic David.* Sic græca; sed hebræa carent Titulo.

℣. 4. *Illuxerunt.* Ita communiùs dicitur; posset tamen transferri *Alluxerunt* tam hebræum האירו *Heïru. Lucere fecerunt, Illuminaverunt*, quàm græcum ἔφαναν. *Apparuerunt, Luxerunt.*

XCIX. 5. *In generationem.* In hebræo, & gr. est: *Usque ad generationem.*

CI. 11. *A facie iræ, & indignationis.* Copulam *Et* etiam interponunt hebræa, & græca.

℣. 13. 25. *In generationem.* Est ℣. 13. in hebræo לדר *Le dor*, in græco εἰς γενεὰν, ùt Psal. lxxviii. 13. Sed ℣. 25. est בדור *Be-dor*, ἐν γενεᾷ, quæ magìs genuinè vertuntur casu ablativo: *In generatione*, prout habetur in Editione Sixti V. & plerisque antiquis latinis.

CVI. Tit. *Alleluja.* Unicum tantùm est in græco, & hebræo.

℣. 40. *Effusa est contemptio.* Sic legendum probavi lib. 2. fol. 213.

CVIII. 26. *Secundùm misericordiam tuam.* Sixti V. *Propter* &c. Græcum κατὰ potest hîc utroque modo verti; sed ægrè hebræum כ istud enim vix aliter hîc transferri potest quàm: *Secundùm.*

CIX. 7. *Bibet: propterea exaltabit.* In hebræo, & græco est utrumque futuro tempore.

CXI. Tit. *Reversionis Aggai, & Zachariæ.* Ista nec in hebræo sunt, nec in græco. In editione Sixti V. *Conversio* sumitur pro *Reversione.*

CXVII. 4. *Dicant nunc.* Non hebræa, sed græca addunt: *Omnes.*

CXVIII. 48. *Exercebar.* Sic præcisè græca. Hebræa magìs favent Futuro, quàm Præterito.

℣. 73. *Et discam.* Est *Et*, non *Ut* in hebræo, & græco.

℣. 86. *Iniquè.* Ita gr. & hebr.

CXXVIII. 4. *Concidit.* ℣. 7. *Implevit.* Utroque loco hebræa, & græca habent Præteritum.

CXXXI. 11. *Non frustrabitur eam.* Ita etiam

etiam ex græco, & hebræo Hieronymus. Vide dicta lib. 2. fol. 214.

CXXXVI. Tit. *Hieremiæ.* In hebræo nihil habetur, in græco Ἱερεμίου Genitivo casu.

℣. 9. *Parvulos tuos.* Sic græca, & hebræa, ùt vide lib. 2. fol. 216.

CXXXVIII. 14. *Cognoscit.* Sic etiam græca; hebr. *Cognoscens.*

℣. 20. *Civitates tuas.* Ita hebr. & gr.

CXXXIX. 4. *Sicut serpentis.* Eodem modo gr. & hebr.

CXLII. Tit. *Quando persequebatur eum Absalom filius ejus.* Non sunt hæc in hebræo, aut chaldæo; sed in græco legitur: *Quando eum filius persequebatur.*

CXLIII. 9. *In Psalterio, decachordo.* Hìc nec in hebræo, nec in græco mediat copula; unde dubium est an interpunctio mediare debeat, imò congruè tollitur in Sixti V. juxta illa, quæ notavi in Dictionario Scripturistico, verbo: *Decachordum.*

CXLIX. 2. *Filii Sion.* Sic heb. & gr.

℣. 4. *Exaltabit mansuetos.* In hebræo & græco etiam est Futurum.

℣. 6. *Exaltationes.* Ita gr. & hebr.

PROVERBIA.

CAp. III. 9. *Da ei.* Nec *Da ei*, nec *Da pauperibus* habetur in hebræo, & græco, sed agi videtur in Scriptura de oblationibus Deo faciendis ad usum Levitarum, vel etiam pauperum. Vide dicta libro 2. fol. 217.

℣. 14. *Negotiatione argenti, & auri primi,* &c. Hæc verborum constructio correspondet hebræo textui.

IV. 13. *Ipsa est vita tua.* In hebræo, & græco est *Vita*, non *Via*: hoc tamen communiùs habent antiqui Vulgatæ Codices.

℣. 16. *Non enim dormiunt, nisi malefecerint, & rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint.* Ita etiam hebræa, & græca, quibus sensu, etsi non verbis convenit lectio tùm Sixti V. *Non capitur*, tum Lovaniensium *Non rapitur somnus.* Potest particula negativa, quæ initio versûs habetur subintelligi repetita in illo *Et*, q. d. *Et non rapitur*, seu *Nec rapitur*, ùt transtulit Pagninus; potest etiam exponi locus sine subintellecta negatione, q. d. Avellitur ab eis somnus, nequeunt se dare quieti, nisi priùs aliquem supplantaverint.

VI. 30. *Furatur enim ut.* Sic etiam LXX. Sed in hebræo tantùm subintelligitur *Furatur*, quia ibi nomen *Furis* præcessit.

℣. 31. *Deprehensus quoque.* Hebr. *Et inventus.* LXX. *Si autem deprehensus fuerit.*

VIII. 11. *Cunctis pretiosissimis.* In hebræo est מפנינים *Mippeninim.* *Præ Peninim.* Porrò *Peninim* videntur esse quædam prætiosæ gemmæ, & quidem rubei coloris, cùm talem ipsis *Peninim* adscribat Jeremias Thren. IV. 7. quo loco LXX. verterunt *Lapidem*, hìc autem: *Lapidibus pretiosis.*

X. Pro titulo capitis ponitur: *Parabolæ Salomonis*, etiam in hebræo, ubi ista verba sunt initium versûs primi, quapropter æquè congruè illa eodem modo, eodemque charactere, quo reliqua verba textûs collocari potuissent in

in Vulgata; attamen in Editionibus Vaticanis Clem. VIII. impressa sunt tanquam Titulus, & quidem charactere alio, quem vocamus cursivum; in græco autem, & Editione Sixti V. dictæ duæ voces desiderantur.

XI. 13. *Qui autem fidelis est animi*, seu *Spiritûs*, ùt est in hebræo, & græco.

XII. 12. *Munimentum*. ℣. 17. *Index justitiæ*. Sic esse legendum utroque loco ostendi libro 2. fol. 218.

XIV. 5. *Mentitur*. Sic LXX. At hebræa *Mentietur*. Sensus idem est; in his enim sententiis moralibus futurum sumitur pro præsenti, & econtra, q. d. Sic passim fieri solet, sic natum est evenire: unde nunc in futuro, nunc in præsenti transtulit Interpres latinus, quæ in hebræo passim habentur futuro tempore.

℣. 9. *Stultus illudet peccatum*. Quod Biblia Sixti V. & varia alia legant *Stultis*, videtur magìs conforme hebræo, ùt ostendi libro 2. fol. 218.

℣. 23. *In omni opere*, seu *labore*, & *anxia cura*, ùt est in hebræo, & græco, in quibus non additur *bono*, nec addendum videtur in Sixti V.

℣. 27. *Ut declinent* homines: Si legas cum Sixto V. & permultis aliis in singulari *Ut declinet*, subaudi *Quisque*. In hebræo est: *Ad declinandum*. LXX. *Facit autem declinare*.

XV. 10. *Deserenti*. In hebræo est singulare, in græco plurale.

XVI. 21. *Majora percipiet*. Alii *Reperiet*; sed primum meliùs correspondet hebræo: *Addet doctrinam receptam*. Græca: *Plura audient*.

XVII. 19. *Qui exaltat ostium*. Ita esse legendum ostendi libro 2. fol. 219.

XVIII. 5. *Impii, non est bonum*. Nec græca, nec hebræa interponunt: *In judicio*.

℣. 10. *Ad ipsum*. Cùm sit masculinum hebræum בו *Bo*. *In ipso*, potest indifferenter referri ad *Migdal*. *Turrim*, & *Schem*. *Nomen*, atque ad יהוה *Dominum*; omnia enim masculina sunt in hebræo.

℣. 22. *Impius*. Sic legit Hieronymus in Matth. XIX. Sic est in græco ἀσεβὴς. Deinde immediatè præcessit *Stultus*, unde non videtur repetendum *Insipiens*. Versus hic deest in hebræo.

℣. 23. *Loquetur*. Ita & hebræa.

℣. 24. *Vir amabilis*. Hebr. איש רעים *Is reïm*. *Vir amicorum*; unde non displicet mihi lectio Sixti V. *Vir amicabilis*, quomodò etiam legunt omnes propemodùm antiqui codices.

XIX. 23. *Absque visitatione pessima*. Hanc lectionem puto præferendam, quia in hebræo est: *Non visitabitur malo*.

℣. 26. *Et fugat matrem*. Ita legendum docui libro 2. fol. 219.

XX. 15. *Et vas*. Sic gr. & hebr.

℣. 25. *Devorare sanctos*. Vide dicta libro 2. fol. 219.

XXI. 18. *Datur impius*. In hebræo tantùm subauditur verbum, unde est perinde sive suppleas *Datur*, sive *Dabitur*.

℣. 21. *Vitam*, *justitiam*, *& gloriam*. Græcus textus omittit *Justitiam*, hebræus addit.

℣. 22. *Et destruxit*. Codex Sixti V. & plures alii Vulgatæ, legentes *Detraxit*-

traxitque, videntur quoad verba magìs conformes hebræo, in quo est ויורד *Vajjored. Et descendere fecit*, *Deposuit*, *Detraxit*. Græcum Καθεῖλε tam *Detraxit* verti potest, quàm *Destruxit*.

℣. 27. *Quia offeruntur ex scelere*. Sic lege, non *Quæ*; nam in hebræo, & græco est *Etenim*.

XXII. 3. *Callidus vidit malum*. Sic & hebræa; græca ἰδὼν *Cùm viderit*.

℣. 17. *Inclina*. Nec græca, nec hebræa; sed chaldæa præmittunt: *Fili mi*.

XXIII. 16. *Rectum labia*. Sic legendum ut caveatur ambiguitas, & ne intelligantur *Labia recta*; nam in hebræo est: *In loquendo*, seu *Cùm locuta fuerint labia tua* מישרים *Meschariim. Rectitudines*.

XXIV. 10. *Si desperaveris lassus*. Magìs est hebræo conforme *Lassus*, quàm *Lapsus*.

℣. 16. *Septies enim cadet justus*. Sic est præcisè in hebræo, & græco. Vide libro 2. fol. 219.

℣. 23. *Hæc quoque sapientibus*. Nec in hebræo, nec in plerisque latinis dicitur *Dico*, sed in græco est: *Hæc autem dico sapientibus*.

℣. 27. *Ut postea*. Monet quidem Brugensis: *Non mutes* Ut *causativum cum* Et *copulativo*; sed tam in hebræo, quàm græco est *Et*, quod & Biblia Lovaniensium, & Sixti V. habent.

℣. 33. *Parum*. Nec græca, nec chaldæa, nec hebræa habent illud, quod versu 33. præcedit in Bibliis Sixti V. & quibusdam aliis: *Usquequo piger dormies? Usquequo de somno consurges?*

XXV. 24. *Meliùs est sedere* &c. Cùm ista expressè habeantur tam in hebræo, quàm græco, neque Lovanienses notent ullum textum, aut Vulgatæ codicem à quo absint; neque ullum ego repererim, puto ista per inadvertentiam esse omissa in prælo Sixti V.

XXVI. 2. *Avis ad alia transvolans*. Sic hebræa, sic Biblia mea manuscripta latina. Vide libr. 2. fol. 220.

℣. 20. *Conquiescent*. In hebræo est Futurum, in græco Præsens.

XXVII. 4. *Concitati*. Nec græca, nec hebræa addunt *Spiritûs*.

℣. 11. *Ut possis exprobranti respondere*. Etiam in græco est secunda persona, dixique libro 2. fol. 220. ita pariter exponi posse hebræum *Aschiba*, quamvis verbotenùs exprimat primam personã.

℣. 16. *Vocabit*. Ita gr. & hebr.

℣. 24. *In generationem*. Hebræa & græca rectiùs vertuntur per Accusativum, quàm per Ablativum.

℣. 26. *Ad agri pretium*. In græco, & hebræo tantùm subintelligitur *Ad*.

XXVIII. 8. *Qui coacervat* &c. Monui libr. 2. fol. 220. esse ita interpungendum, sicut exhibet Editio Clem. VIII.

℣. 26. *Salvabitur*. Ita etiam LXX. item Hebræa *Jimmalet*. *Liberabitur*, *Eripietur* è periculis, & ruina.

XXX. 17. *Effodiant eum corvi*. Pronomen *Eum* exprimitur in hebræo.

℣. 31. *Et aries, nec est* &c. Lectionem Sixti V. præstare, probare conatus sum libro 2. fol. 221.

XXXI. 7. *Bibant*. In hebræo non additur *Ut*.

℣. 29. *Congregaverunt divitias*. Non interponit hebræus textus: *Sibi*.

ECCLE-

ECCLESIASTES.

CAp. II. 1. *Dixi ego.* Hebræa, & gr. exprimunt *Ego*, omittunt *Ergo.*

℣. 16. *Ut indoctus.* Græca, & hebræa: *Cum indocto.*

℣. 17. *Vita mea.* Est patens mendulum typographicum, quo inadvertenter impressum est in Codice Sixti V. *Vite* sine diphthongo, pro *Vita.*

VII. 19. *Sed & ab illo.* Hebr. *Et etiam ab illo.* LXX. *Et quidem ab illo.*

VIII. 14. *Vanitas, quæ fit super terram.* Istud *Quæ fit* exprimitur in græco, & hebræo.

XI. 2. *Da partem septem.* Sic hebræa, & græca. Vide tum fol. 64. tum 221.

CANTICUM.

CAp. I. 8. *Post vestigia gregum.* Nec hebræa, nec græca addunt *Tuorum.*

II. 13. *Surge amica mea.* Quod in Sixti V. interponitur *Propera*, propugnavi libro 2. fol. 222.

℣. 17. *Montes Bether.* Sic gr. & heb.

VI. 12. VII. 1. *Sulamitis.* Ita est in hebræo, & græcis aliquibus, aliqua enim habent *Sunamitis.*

SAPIENTIA.

CAp. I. 6. *Maledicum.* βλάσφημον. Vide libro 2. fol. 223.

℣. 15. *Immortalitas.* Liber hic non habetur in hebræo, ac proinde recurrendum est ad textum græcum, in quo non habetur: *Injustitia autem* &c. quod additur in Bibliis Sixti V. & quibusdam aliis latinis.

℣. 16. *Digni sunt, qui sint ex parte illius.* Græca: *Digni sunt illius partis esse.*

II. 10. *Nec veterani revereamur canos.* Sic etiam est in græco.

℣. 11. *Lex justitiæ.* Ita esse scribendum probavi libro 2. fol. 223.

III. 3. *Et quod à nobis est iter, exterminium.* Hanc esse genuinam lectionem docui libro 2. fol. 223.

℣. 15. *Quæ non concidat.* Græcè: *Indecidua, Nulli casui obnoxia.*

℣. 16. *In inconsummatione.* Gr. *Inconsummati, Imperfecti.* Proinde non rectè Biblia Sixti V. *In consumptione*, item Lovaniensium: *In consummatione.*

IV. 6. *Ex iniquis enim somnis.* Sic græca. Vide libro 2. fol. 224.

℣. 18. *Videbunt, & contemnent.* In græco nec additur *Autem*, quod habet Codex Sixti V. nec *Enim*, quod est in Lovaniensium.

V. 3. *Dicentes* &c. Ordo verborum Editionis Clem. VIII. est conformis ordini textûs græci.

℣. 21. *Duram iram.* Græcum ἀπότομον significat *Præcisam, Severam*; unde etiam potest transferri *Diram*, ùt est in Sixti V.

℣. 23. *Plenæ mittentur grandines.* Ex græco πλήρεις χάλαζαι patet istud *Plenæ* esse Adjectivum pluralis numeri, atque adeò non esse scribendum sine diphthongo, quod fit in Bibliis Sixti V. & quibusdam aliis.

VI. 11. *Justa justè, justificabuntur.* De hoc loco, & sequenti *Qui didicerint ista.* Vide libro 2. fol. 224.

VII. 1. *Ex genere terreni illius*. Græcè γηγενοῦς *Terrigenæ*. Adjectivum genitivum relatum ad Adamum.

℣. 16. *Operum scientia, & disciplina*. Est græcè ordine inverso: *Prudentia, & operum* (seu *Opificiorum*) *scientia*. Hinc patet nec omittendum esse *Et*, nec scribendum esse in genitivo *Scientiæ*.

℣. 18. *Commutationes* &c. ℣. 22. *Quem nihil vetat, benefaciens*. Utrumque locum tractavi libro 2. fol. 224.

VIII. 12. *Tacentem me*. Ita gr.

℣. 17. *In cognatione*. Sic esse legendum ostendi libro 2. fol. 224.

℣. 31. *Hoc ipsum erat sapientiæ*. Ita est in græco.

IX. 18. *Et sic correcti*. Sic est in græco.

X. 3. *Homicidii fraterni*. Vide lib. 2. fol. 224.

℣. 5. *In consensu nequitiæ, cùm se Nationes extulissent... in filii misericordia*. Hanc lectionem utramque esse conformem græco, ostendi libro 2. fol. 225.

℣. 10. *Hæc profugum*. In græco nec *Autem* intervenit, nec aliud quidquam.

℣. 18. *Transtulit*. Neque hîc in græco aliquid præponitur.

XI. 5. *Et in eis cùm abundarent*. Illa *Et in eis* non sunt in græco, sed ad sensum enucleandum addita sunt in Editione Clementis VIII. Similiter ea, quæ in textu sequuntur, non verbis, sed sensu tantummodò cum græcis conveniunt.

℣. 15. *Justis sitientes*. Sic gr.

℣. 16. *Iniquitatis illorum*. Græcum ἀδικίας est indifferens ad genitivum singularem, & accusativum pluralem.

℣. 19. *Irâ plenas ignotas*. Nec *Aut*, nec *Et* ponitur in græco ante *Ignotas*.

XII. 2. *Eos, qui exerrant, partibus corripis*. Græcè: *Paulatim*, sive *Per parvas partes*. Vide lib. 2. fol. 225.

℣. 5. & 6. *Sanguinis* &c. Textui græco conformis est ordo verborum in Bibliis Clementis VIII.

℣. 20. *Attentione, dans*. Græca non interponunt: *Et liberasti*.

℣. 27. *In quibus enim* &c. Sic est verbotenùs in græco, cujus alia translatio est in verbis illis, quæ tum in Bibliis Sixti V. tum in aliis aliquibus præponuntur: *In his enim* &c. Eod. ℣. 27. *Venit super illos*. Gr. *Supervênit*.

XIII. 13. *Ad nullos usus*. Non additur in græco *Est*. Ibid. *Vorticibus*. Si dicas *Verticibus*, idem significas.

XIV. 4. *Sine arte*. Sic legendum esse docui libro 2. fol. 225.

℣. 11. *In Idolis*. Græca exprimunt *In*.

℣. 14. *Hæc advenit*. Gr. *Ingressa est*.

℣. 31. *Non enim juratorum virtus*. Quod Biblia Sixti V. & varia alia habent *Jurantium*, etiam quoad verbum correspondet græco ὀμνυομένων, sed istud hîc passivè sumi indicat contextus; unde non intelliguntur ipsi Juratores, seu jurantes, neque ea, quæ juramento affirmantur; sed Idola, per quæ invocata committuntur perjuria.

XV. 6. *Digni sunt, qui spem habeant in talibus*. Pauci Vulgatæ libri, cum Sixti V. addunt *Morte*, sed istud excludit græcus textus, atque exigit *Habeant*; habet enim: *Dignique talis spei*, seu *Talium expectationum*.

XVI. 11. *Examinabantur*. Gr: *Extimulabantur*.

℣. 14. *Per malitiam*. Non addunt

græca: *Animam suam.*

v. 21. *Substantia enim tua* &c. v. 25. *Desiderabant.* De his vide lib. 2. f. 226.

XVII. 7. *Sapientia gloria.* Clariùs græca: *Super prudentiam*, sive *Astutiam gloriationis*; unde in Vulgata istud *Sapientia* est in Dativo, at *Gloria* in Genitivo.

v. 9. *Videre.* In græco non sequitur: *Frequenter enim* &c.

v. 13. *Inscientiam.* Sic gr.

v. 17. *Si enim rusticus.* Ita gr.

XVIII. 2. *Eadem passi.* His non præponitur in græco *Per.*

v. 9. *Patrum jam.* Sic gr.

v. 15. *De cælo.* Superfluit *Exiliens* additum in variis latinis, signanter in Sixti V. nam nec in græco est, & in illo, ac omnibus latinis habetur in fine versûs: *Prosilivit.*

v. 22. *Nec armaturæ potentia.* Gr. *Non armorum efficacia.*

XIX. 2. *Pœnitentiâ acti.* Ita legi postulat græcus textus.

v. 14. *Et non solùm hac, sed & alius quidam respectus.* In græco nullatenùs est *Quidem*: Interpres autem sensum supplevit addendo *Hac*, item *Et* post *Sed*; nunc enim in græco habetur καὶ ὀυ μόνον, ἀλλ' ἥ τις ἐπισκοπὴ. *Et non solùm, sed quævis*, seu *quædam superinspectio*, sive *respectus.* Verùm si easdem litteras aliter conjungamus hoc modo ἄλλη τίς ἐπισκοπὴ sonabit: *Alia quædam superinspectio.* Ita ergo videtur Interpres latinus legisse, nisi fortè fuerit priùs ἀλλ' ἄλλη τίς *Sed alia quædam.* Id quod ego puto, etenim hoc contextus indicat, & exigit sensus.

ECCLESIASTICUS.

IN Prologo *Dicentes.* Sic græca. Ibid. *Illorum periti facti.* Gr. *Horum compotes facti.* Ibidem: *Deficere.* Quædam græca præponunt *Et*, quædam omittunt, prout etiam ante: *Deficiunt verba.*

Cap. I. 36. *Ne sis incredibilis.* Lectio Sixti V. *Incredulus* est magìs secundùm proprietatem locutionis, nam in græco est: *Ne sis impersuasibilis*, *Incredulus*, *Contumax*, *Inobediens.*

II. 5. *Homines verò receptibiles.* In græco est δεκτοὶ, à δέχομαι *Capio*, *Recipio*; unde tam *Acceptabiles* verti potest, quàm *Receptibiles.*

III. 10. *Benedictio ab eo* patre tuo. Ita græca, & Syra. Vide lib. 2. fol. 227.

v. 12. *Ejus confusio*, nempè *Patris tui*, ùt pro *Ejus* habetur in græco; non est igitur legendum: *Sed confusio.*

v. 30. *Radicabitur in illis.* Hoc firmatum est libro 2. fol. 228.

V. 13. *Ad audiendum verbum.* Græca non adjiciunt *Dei.*

v. 16. *Non appelleris susurro.* Quod Editio Sixti V. & quædam manuscripta latina addunt: *In vita tua*, est conforme quibusdam græcis; sed plura omittunt.

VII. 3. *Noli quærere à Domino ducatum.* Hanc esse genuinam lectionem ostendi libro 2. fol. 228.

v. 6. *In æquitate tua*, seu *Rectitudine*, ùt est in græco.

v. 13. *Noli arare mendacium.* Græcè *Ne ares*, hoc est: Moliaris.

℣. 28. *Odibili non credas te. In toto corde tuo honora patrem* &c. Græca suadent ita rectiùs interpungi, quàm si incongruam versuum divisionem sequendo, colloces punctum ante *Honora.*

VIII. 8. *In gaudium nolumus venire.* Prætuli hanc lectionem lib. 2. fol. 228.

℣. 12. *Dare responsum.* Ita gr.

IX. 2. *In virtutem tuam.* Græcè: *In*, seu *super animam tuam.*

X. 3. *Sensum potentium.* Sic gr.

℣. 5. *Prosperitas.* Vide fol. 228.

℣. 27. *Magnus, & Judex, & Potens.* Gr. *Magnates, & Judices, & Dynastæ.* Vide fol. 228.

XI. 20. *Nescit quod tempus præteriet.* Ita esse legendum, nec *Quod* adverbialiter sumendum, ostendi lib. 2. fol. 229.

℣. 32. *Præcordia fœtentium*, sive *fœtantium* legas, utrumque est ad propositum. Græca his carent.

XII. 9. *In bonis viri* &c. Interpunctio Editionis Clem. VIII. magìs congruit sententiæ, & suadetur ex græco, in quo pro *Malitia* habetur κακοῖς *Malis, Adversitatibus, Miseriis*, hoc modo: *Et in malis illius &* (seu *Etiam*) *amicus separabitur.*

XVI. 5. *Tribus impiorum deseretur.* Sic & græca. Vide libro 2. fol. 229.

v. 9. *Peregrinationi Loth.* Ex hebræo לוט & græco Λὼτ constat *Lot* esse scribendum, non *Loth*, minùs *Eorum.*

v. 22. *Interrogatio omnium.* Græcum ἀπάντων valet *Simul-omnium.*

v. 31. *Anima omnis.* In græco est præteritum, nec additur *Autem.* Vide libro 2. fol. 229.

Ibid. *Et in ipsam.* Sic græca pleraque, aliqua tamen habent in genitivo.

XVII. 18. *Signaculum.* Gr. *Sigillum.*

v. 30. *Quid nequius, quàm quod* &c. De hoc loco disputavi libro 2. fol. 230.

XVIII. 6. *Aporiabitur.* Sic græca.

v. 14. *Excipientis.* Ita gr.

v. 24. *In conversatione faciei*, seu *Aversione*, ùt est in græco.

v. 29. *Impluerunt proverbia.* Sic esse legendum dixi libro 2. fol. 230.

XIX. 12. *Sagitta infixa femori carnis.* Sic, non *Canis* est in græco.

v. 24. *Est qui se nimium* &c. Vocem *Justus* meritò omittunt græca pleraque. Vide libro 2. fol. 230.

XXI. 15. *Sapientia.* Gr. *Astutia.*

v. 18. *Ad se adjiciet.* Græcè ἐπ' ἀυτὸν *Ad ipsum*, vel ἀυτὸν ponitur pro ἑαυτὸν *Se-ipsum.*

XXII. 20. *Omni tempore, metu non depravabitur.* Non est in græco *Vel* ante *Metu.*

v. 21. *Sicut pali.* Ita gr.

v. 26. *Est enim regressus* &c. Græcus textus confirmat interpunctionem quæ est in Editione Clem. VIII.

XXIII. 1. *In illis.* Nihil aliud est in græco.

v. 2. *Superponet.* Ita gr.

v. 11. *Sicut enim servus.* Sic gr.

XXIV. 16. *In parte Dei mei.* Ita gr.

v. 19. *Juxta aquam in plateis.* Ita quoque interpungunt Biblia Lovaniensium, congruentiùsque absolvitur sensus; attamen in græco non est illud: *In plateis.*

v. 38. *A mari enim abundavit.* Etiam in græco est Præteritum. Ibid. *Et ab abysso.* Sic omninò legendum, & habetur

tur in græco; sumitur autem hic *A* & *Ab* per hebraïsmum pro *Præ*, sive *Plusquam*.

v. 41. *Quasi fluvii dyorix*, seu fossa, sive *Trames*, ùt eadem græca vox διώρυξ transfertur ℣. 43.

XXV. 23. *Draconi, placebit.* Non malè additur in Bibliis Sixti V. *Magis*, quia hoc & subaudiendum est in Editione Clem. VIII. & satis clarè dicitur in græco, in quo habetur: *Cohabitare leoni, & draconi* εὐδοκῶ ἤ *Magis-probo quàm, Magis mihi placet, Voluntate meâ præpono.*

v. 31. *Plaga cordis.* Ita gr.

XXVII. 23. *Maledicti est concordatio.* Nec in græco additur *Dura*, nec subintelligendum videtur, ùt dixi libro 2. fol. 231.

v. 27. *Multa odivi.* Sic græca.

XXVIII. 28. *Linguam nequam noli audire.* Hæc desunt in græco; *Et* verò præpositum in Bibliis Sixti V. aliisque, saltem est subintelligendum.

Ibid. *Et seras.* In græco non additur: *Auribus tuis.*

XXIX. 10. *Multi non causâ nequitiæ non fænerati sunt.* Postremum *Non* esse addendum, probavi libro 2. fol. 232.

v. 19. *Pro proximo suo.* Græcus textus exigit ita legi.

XXX. 27. *Splendidum cor, & bonum.* Sic est in græco.

XXXI. 13. *Non dicas sic.* Non est in græco *Sic*.

v. 29. *Nequissimo in pane.* Vide libro 2. fol. 232.

v. 30. *Diligentes in vino, noli provocare.* Hoc est strenuos, & studiosos calicibus epotandis. Vide dicta fol. 74. & 232.

v. 32. *Vinum in sobrietate.* In græco non est istud: *In sobrietate.*

v. 33. *Quæ vita est ei, qui minuitur vino?* Græcus textus addi postulat *Ei*.

XXXII. 5. *Diligenti scientia.* Sic esse legendum ostendi libro 2. fol. 232.

v. 19. *Scandalizabitur in ea.* Ita gr.

v. 26. *Et à filiis.* Sic gr.

XXXIII. 15. *Duo & duo, & unum contra unum.* Græca: *Duo duo, unum contra unum.* In Vulgata moderna suppletur *Et*, nec minùs congruè Editio Sixti V. habet: *Duo contra duo.*

XXXIV. 3. *Similitudo hominis.* Græca non interponunt *Alterius*.

XXXV. 12. *In bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum.* Hoc est: Absque invidia, liberali animo fac, & tribue, quod potes, sive id, quod videris tibi suppetere ut largiaris. Est Phrasis hebræa, quâ etiam locutus David I. Reg. XXV. 8. *Quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis.*

Porrò debet scribi duabus vocibus *Ad inventionem*, sicut exhibent Biblia Vaticana Clementis VIII. Item Plantiniana omnia impressa ante annum 1650. quamvis illo anno edita, item impressa 1664. & Coloniensa 1638. 1647. 1666. 1682. ac varia alia, præsertim recentiora, atque inter illa etiam Parisiensia anni 1691. habeant, ùt Sixti V. unâ voce *Adinventionem*. In græco quidem est passim impressum χαθεύρεμα, sed malè, nam ista vox non significat *Adinventionem*, vel *Adinventum*; sed ibi scribendum est χαθ' εὕρεμα

μα. *Ad*, sive *Secundùm inventionem manuum tuarum*, sicut immediatè præcesserat: *Da Altissimo secundùm datum ejus.*

XXXVI. 19. *De populo tuo.* Sic græca, non *Da*. Vide libro 2. fol. 233.

℣. 21. *Cor sensatum.* Gr. Συνετὴ. *Prudens*, *Intelligens.*

XXXVII. 6. *In opibus tuis.* Græcum χρήμασι *Opes*, non *Opera* significat.

℣. 7. *Cum eo, qui tibi insidiatur.* Hoc est conformiùs græco, quàm illud: *Cum socero tuo.*

℣. 12. *De ea, quæ æmulatur.* Græcè *De contrazelante*, seu *æmula ejus*, sive *Sua.*

℣. 16. *Qui cùm titubaveris.* Ita gr.

XXXVIII. 1. *Etenim illum.* Sic gr.

v. 4. *Medicamenta* φάρμακα.

v. 5. *Amara.* Quod in aliquibus Bibliis, signanter Sixti V. sequitur: *Ut cognosceretur virtus ejus ab homine*, concordat græco: *Ad notam fieri virtutem ejus ab homine.* Quod idem, sed non æquè commodè important illa, quæ modò sunt in Vulgata: *Ad agnitionem hominum virtus illorum*; quæ eadem sequuntur etiam in Editione Sixti V. post illa: *Ut cognosceretur* &c. unde in illa idem bis dicitur, sive transfertur verbis differentibus.

v. 25. *Sapientia scribæ.* Ita scribe juxta ea, quæ dixi libro 2. fol. 233.

Eod. v. 25. *Quâ sapientiâ replebitur?* Græcè: *Quid sapiet? Quid erudietur? In quo sapiens erit?*

v. 28. *Qui sculpit signacula sculptilia.* In græco est: *Sculpentes sculpturas signaculorum.*

v. 31. *In perfectionem.* Sic gr.

XXXIX. 5. *In hominibus tentabit*, Ita gr.

v. 33. *Placabunt.* Gr. *Sistent*, *Quiescere facient.*

XL. 14. *Lætabitur.* In græco non præponitur *Pius.*

v. 15. *Sonant*, seu perstrepunt decidentes evulsæ. Nec *Sonant*, nec *Sonabunt* est in græco, sed in Vulgata suppletur ad sensum perficiendum.

XLI. 28. *Ab amicis de sermonibus improperii.* In græco non additur *Cave*, sed hoc versu est subintelligendum id, quod præcessit v. 21. *Erubesce*, hoc est: Pudeat te amicis tuis dicere improperia, & consequenter illa cave.

XLII. 8. *Vivorum.* Gr. *Coram omni vivente.*

v. 9. *Adulta.* Vide libro 2. fol. 234.

v. 17. *Stabiliri.* Græcum στηριχθῆναι genuinè vertitur *Ad stabiliri*, vel *Ad firmari*; potest etiam reddi: *Ut stabiliretur.*

XLIII. 11. *In verbis sancti.* Sic gr.

v. 23. *Extinguet viride sicut igne.* Græcum ὡς πῦρ potest verti *Sicut ignem*, & *Sicut ignis*, seu acsi *igne* consumptum esset viride gramen &c. Hic porrò videtur genuinus sensus.

v. 25. *Plantavit in illa Dominus insulas.* Vide quæ circa hunc locum dixi libro 2. fol. 234.

XLIV. 14. *In generationem.* Ita gr.

XLV. 6. *Dedit illi coràm præcepta.* Sic omninò esse legendum ostendi libro 2. fol. 234.

v. 9. *Zona gloriæ.* Sic gr.

v. 12. *Stolam sanctam.* Gr. *Stolâ sanctâ.*

XLVI. 4. *Perduxit.* Gr. *Adduxit.*

v. 5. *An non.* Gr. *Nonne.*

v. 8. *A tergo potentis.* Gr. *Post dynastam*, seu potentem.

v. 17. *Vidit Deus Jacob.* Gr. *Superinspexit Dominus Jacobum.*

v. 23. *Vocem suam.* Græcum ἀυτοῦ verti potest *Suam*, & *Ejus*; sed magìs congruit textui ut dicatur *suam.*

XLVII. 6. *Nam invocavit.* Sic est in græco, atque etiam addita copula: *Et dedit.*

v. 13. *Dominus purgavit.* Ita gr.

v. 15. *Es in juventute tua.* In græco est tertia persona.

v. 22. *Incitari.* Ut notat Brugensis: Plerosque libros veteres malè occupat: *In ceteris*, pro *Incitari*, seu *Stimulari* κατανυγῆναι.

XLVIII. 3. *Dejecit de cælo ignem ter.* Sic est in græco.

v. 13. *Tectus est.* Ita græca.

XLIX. 13. *In dextera manu.* Græca non addunt *Israël.* Sed omittunt *Et* ubi Vulgata moderna: *Sic & Jesum.*

v. 17. *Neque ùt Joseph.* Sic gr.

L. 26. *Credere Israël nobiscum* &c. In græco non est *Israël*, sed videtur subintelligi repetitum, exprimiturque etiam ibi in immediatè præcedentibus.

LI. 19. *Ante Templum.* Ita gr.

Ibid. *Et effloruit.* Græcè *Ex flore.*

v. 26. *Insipientiam ejus luxi.* De genuina lectione hujus loci egi libro 1. fol. 76. & 2. fol. 234.

ISAÏAS.

CAp. III. 6. *Sui*: *Vestimentum* &c. In hebræo non interponitur *Dicens*, sed in chaldæo, & græco.

v. 7. *Respondebit.* Additur copula in græco, non in hebræo.

v. 8. *Ruit enim.* Sic gr. & hebr.

VI. 1. *Templum.* Quod additur in aliquibus libris, præsertim Sixti V. *Et plena erat domus à majestate ejus*, habetur in quibusdam græcis, at deest in hebræo, nec ad hunc versum pertinere videtur, sed ad v. 3. ubi in omnibus libris invenitur.

v. 7. *Ecce tetigit hoc.* Ita hebr. & gr.

v. 9. *Et videte.* In hebræo, & græco etiam præponitur *Et.*

VIII. 19. *Requiret pro vivis.* Nec in græco, nec in hebræo vidi *Visionem.*

XIII. 4. *Regum, gentium.* Copulam *Et* interjicit græcus textus, non hebræus.

XIV. 16. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Eodem modo est in hebræo, in græco pariter est tempore Futuro, nec Lovanienses hìc notant aliam lectionem. Interim Biblia Sixti V. eodem sensu, sed aliis verbis habent: *Inclinentur*, & *Prospiciant*, utrumque tamen (quod miror) chartâ impressâ superpositâ cum pulte, unde videtur ibi etiam fuisse antecedenter impressum Futuro tempore.

XVII. 10. *Plantationem fidelem*, quantùm est ex parte sua, sed quæ fructus expectatos non afferet, eo quòd vel seges ad maturitatem non perveniet, vel ab hostibus decerpetur. Vide dicta libro 2. fol. 235.

XIX. 11. *Dicetis Pharaoni.* In hebræo, & græco est etiam Futurum.

XX. 4. *Juvenum & senum.* Plurale est in græco, & hebræo.

XXI. 10. *Filii area mea.* Ex hebræo בן *Ben*, constat esse legendum *Filii*, non *Filia.*

XXII.

XXII. 20. *Eliacim filius Helcia.* אליקים בן־חלקיה Utrumque *c* in hebræo,& græco valet simplex *k*, unde non debet aspirari.

ỳ. 23. *Patris ejus.* Hebræum ו & græcum ἀυτοῦ indifferenter verti possunt *Ejus*, & *Sui.*

XXIII. 4. *Dicens*, sive *Dicit*, aut ùt LXX. *Dixit.* Hebræa *Lemor. Dicendo.*

ỳ. 18. *Negotiationes ejus, & mercedes ejus.* In hebræo, & græco ponitur singulare pro plurali: *Negotiatio ejus, & merces ejus*, nempè *Merces* mercedis, non *Merx* mercis.

XXVI. 16. *In tribulatione murmuris.* Ablativus est conformior græco, quàm Accusativus. In hebræo est: *Effuderunt mussitationem.*

ỳ. 18. *Et peperimus spiritum. Salutes non fecimus.* Sic est in hebræo, sed in græco (ùt notavit Hieronymus) *Et peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus super terram.*

XXVII. 8. *Meditatus est.* In hebræo, & chaldæo est genus masculinum, eodemque genere legit Hieronymus, at græca abstrahunt à genere.

ỳ. 13. *In terra Ægypti.* Etiam hebræa, & græca habent *In.*

XXIX. 6. *Flamma ignis.* In græco est Nominativus, in Hebræo valet Ablativum, qui videtur in Vulgata præferendus.

XXX. 15. *Deus sanctus Israël.* Exprimitur *Sanctus* in hebræo, & græco.

ỳ. 29. *Sicut nox.* Sic, non *Vox* est in hebræo. Vide libro 2. fol. 236.

XXXII. 7. *In sermone mendacii.* Hanc esse genuinam lectionem ostendam infra Cap. 4. sect. 3. In hebræo est: *In sermonibus mendacii.*

XXXIII. 19. *Populum impudentem.* Hebræum נועז *Noaz*, videtur significare *Obfirmatum*, *Obstinatum*, atque adeò magis propriè *Impudentem*, quamvis simul *Imprudentem.*

XXXIV. 11. *Ibis, & corvus.* In Editionem Sixti V. per inadvertentiam irrepsit *Ibix*, non enim ita, sed *Ibis* vocatur illa avis Ægyptiaca.

ỳ. 14. *Occurrent dæmonia* &c. Ita esse verba construenda, sicuti sunt in Editione Clementis VIII. probavi libro 2. fol. 236.

ỳ: 17. *In generationem.* Est hoc magìs conforme hebræo, & græco.

XXXV. 4. *Pusillanimis*, seu meticulosis. Vide dicta libro 2. fol. 236.

XXXVI. 3. *Eliacim* &c. Vide Cap. XXII. 20.

XL. 12. *Quis... libravit.* Hebræa, græca, ipseque Scripturæ contextus ita legi postulant. Vide lib. 2. fol. 237.

XLI. 18. *In supinis collibus.* LXX. *Super montes.* Hebr. *Super excelsa.* Unde æquè bona est lectio Sixti V. *In excelsis collibus.*

v. 27. *Ecce adsunt.* Ita esse legendum probavi libro 2. fol. 238.

XLV. 4. *Et vocavi te.* Non in græco, sed in hebræo additur *Et.*

v. 6. *Non est.* Non est in hebræo vox *Deus*; est tamen in græco.

XLVI. 7. *Et stabit.* Sic hebræa. Græca omittunt *Et.*

v. 11. *Avem.* Ita H. & G. Vide f. 238.

XLVII. 11. *Et irruet.* Sic gr. & hebr.

XLIX. 20. *Filii sterilitatis.* Ita esse legen-

legendum, demonstravi lib. 2. fol. 238.

v. 21. *Isti ubi erant?* Nec græca, nec hebræa addunt *Hic*, nec congruè addi sensus patitur, & contextus.

LII. 5. *Et numquid mihi est hic?* Libro 2. fol. 239. rationes allegavi cur mallem legi duabus vocibus *Nunc quid*, prout est in Bibliis Sixti V. item in Regiis, & Lovaniensium.

LV. 5. *Quia glorificavit te*. In græco, & hebræo est *Quia*, non *Qui*.

LVII. 9. *Regi*. Sic H. Vide fol. 240.

LIX. 9. *A nobis... nos*. Hebræus textus habet in prima persona, græcus in tertia, multi latini libri in secunda: omnes sensu conveniunt.

LX. 9. *Quia glorificavit te*. Ita hebr. & græca.

℣. 15. *Gaudium in generationem, & generationem*. Hebr. *Generationis & generationis*. Gr. *Generationum generationibus*.

LXI. 3. *Ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis*. Hebræa: *Ad ponendum... ad dandum*, sed omittunt *Fortitudinem*.

℣. 4. *In generationem*. Gr. *In generationes*. Hebr. *Generationis*.

LXIII. 4. *Redemptionis meæ*. Ita gr. & hebr. Vide dicta libro 2. fol. 240.

LXIV. 6. *Ut immundus omnes nos*. In hebræo est singulare, in græco plurale.

LXV. 6. *In sinum*. Sive vertas *In sinu*, æquè convenit hebræo על *Al*.

℣. 16. *Ab oculis meis*. Sic hebræa.

LXVI. 2. *Pauperculum, & contritum*. Hebræa, & græca interponunt *Et*.

JEREMIAS.

CAp. I. 6. *A a a*. De hac voce disserui lib. 1. fol. 80. & 2. fol. 240.

IV. 3. *Et Jerusalem*. LXX. addunt *Habitatoribus*, quos hebræa tantùm subintelligunt, aut potiùs metaphoricè denotant per vocem *Jerusalem*, quæ in hebræo est Dativi casûs.

℣. 8. *A nobis*. Sic est in hebræo, ac plerisque græcis; aliqua tamen habent *à vobis*, atque ita transtulisse LXX. asserit Hieronymus.

℣. 16. *Dicite gentibus*. Vide libro 2. fol. 241.

VI. 26. *Super nos*. Sic hebræa; at græca *Super vos*, ùt Sixti V. Sensus idem est.

VII. 24. *In voluntatibus*, seu desideriis. Hebræum מעצות *Maetsoth* propriè significat *Deliberata consilia*, atque adeò animi decreta.

℣. 37. *In desolationem*. Propter ל in hebræo præpositum, congruentiùs transfertur per Accusativum.

IX. 17. *Et veniant*. Ita gr. & hebr.

X. 18. *Ita ut inveniantur*. Nec græca, nec hebræa addunt *Non*. Vide libro 2. fol. 241.

XI. 12. *Clamabunt ad Deos*. Sic gr. & hebr. Qui legunt *Eos* manifestè intelligunt *Deos*, seu Idola.

℣. 18. *Tunc ostendisti*. Ita hebr. & gr.

XIV. 13. *A a a*. Vide citata Cap. 1. 6.

℣. 14. *Divinationem, & fraudulentiam*. Ita etiam græca, & hebræa.

XV. 15. *Noli in patientia tua suscipere me*. Non esse interponendum *Furoris tui*, probavi libro 2. fol. 241.

XVII.

XVII. 9. *Omnium.* Sic gr. & hebr.

XX. 6. *Et in Babylonem venies.* Hebræa: *Et Babylonem venies.*

℣. 17. *Qui non me interfecit.* In græco est *Quia*, prout etiam verti potest hebræum אשר *Ascher*, quod tamen usitatiùs significat *Qui.*

XXII. 3. *Contristare.* Ita scribi exigit Latinitas, non *Contristari*; unde in Bibliis Clem. VIII. 1592. in quibus ita erat impressum, calamo correctum est; posteriores quoque, & anteriores editiones habent *Contristare*, exceptâ Sixti V.

XXIII. 13. *Prophetabant in Baal.* In hebræo, & græco nec interponitur *Enim*, nec præponitur *Et*, quod in variis Vulgatæ libris est additum.

℣. 33. *Vos estis onus.* Ita esse legendum docui libro 2. fol. 242.

XXV. 3. *Amon.* Rectiùs ita per simplex *m* scribi, ostendam Cap. 4. sect. 3.

℣. 20. *Ascaloni.* Tam hebræa, quàm græca exigunt casum dativum.

XXVII. 16. *Vasa Domini.* Sic etiam græca aliqua, sed pleraque habent, sicut Editio Sixti V. *Vasa domûs Domini*, qualiter etiam est in hebræo.

XXIX. 1. *Verba libri, quem misit.* Hebræum *Ascher* est ambiguum ad *Quem*, & *Quæ.* LXX. cum Sixto V. habent *Quæ.*

℣. 15. *Suscitavit.* In hebræo, & græco est Præteritum.

XXX. 7. *Ex ipso.* Æquè, si non magìs congruè esse in Bibliis Sixti V. *Ex ipsa* dixi libro 2. fol. 242.

XXXI. 3. *Miserans.* Neque in græco, neque in hebræo additur *Tui*, quod & Biblia Lovaniensium, & pleraque antiqua omittunt.

℣. 6. *In monte Ephraïm.* Nec hebræa, nec græca præponunt *In monte Samaria, &c.*

℣. 11. *Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum.* Cùm præcesserit præteritum *Redemit*, etiam congruentiùs sequitur *Et liberavit eum*, estque ita in græco, & in hebræo.

℣. 40. *Usque ad torrentem Cedron* &c. Idem ordo est in hebræo, & græco.

XXXII. 12. *In oculis testium.* In hebræo, & græco præponitur *Et*, sicut in Sixt. V.

XXXIII. 11. *Quoniam bonus Dominus.* Tam græca, quàm hebræa addunt *Dominus.*

℣. 16. *Jerusalem habitabit.* Ita G. & H.

XXXIV. 20. *In manus* ביד *Bijad* est singulare, & hîc indifferenter verti potest *In manu*, & *In manum.*

XXXVIII. 11. *Et antiqua, quæ computruerant.* Non malè supplent varii cum Sixto V. *Vestimenta*, subintelliguntur enim in nomine מלחים *Melahhim. Consumpta*, seu *Lacera*, sive *Putrida facta.*

XL. 6. 8. &c. *Masphath.* Proprium loci nomen erat *Maspha*, quod in hebræo, non nisi in regimine dicitur, & scribitur *Masphath.*

XLVII. 2. *Ascendunt.* Sic græca. Hebræa *Ascendentes.* Equidem non differt sensu lectio Sixti V. *Descendunt*, quia Scriptura tantùm indicat *Aquas affluere.*

XLVIII. 15. *Succiderunt*, seu exciderunt. Ita hebræa.

ỿ. 34. *Vitula conternante.* Id est trienni. Vide libro 2. fol. 244.

v. 36. *Quasi tibiæ resonabit.* Non additur in hebræo, & græco *Æris*, & in utroque *Tibiæ* est plurale.

ỿ. 45. *Seon* sive *Sihon* סיחון Non scribas *Sion* sine aspiratione ne intelligatur Arx Jerosolymitana.

XLIX. 2. *In tumulum.* Ità hebr.

L. 19. *Pascetur.* Hoc est comedet Carmelum. Sic hebræa, & græca.

ỿ. 39. *Cum faunis ficariis.* Vide libro 2. fol. 245.

LI. 27. *In gemitibus.* Ita hebr. & gr.

LII. 28. *Judæos tria millia* &c. Idem ordo est in hebræo.

ỿ. 29. *De Jerusalem.* Subintelligitur *Transtulit*, sed modò non habetur in hebræo textu, in quo tamen à Rabbinis est spatium vacuum relictum, & signum appositum, indicans aliquid deesse, nempè (ùt ipsi ad marginem adscribunt) הגלה *Hegla. Transmigrare fecit*, seu *Transtulit.* Estque admodùm verosimile hoc verbum ibi primitùs fuisse, sicut habetur v. 28. & 30. hoc est versu tum præcedenti, tum sequenti.

THRENI.

QUandoquidem famosa Præfatiuncula Threnis præfixa non sit indubitata Scriptura, imò multò verosimiliùs non sit Verbum Dei, satìs incongruè illa in Editione Sixti V. collocatur uno contextu, eodemque charactere tamquam finis libri, seu Prophetiæ Jeremiæ.

Præfatiuncula ista nusquam reperitur in hebræo, multò minùs in fine capitis ultimi Jeremiæ; in omnibus autem aliis Scripturæ Codicibus, in quibus habetur, collocatur ante Threnos, seu Lamentationes Jeremiæ tamquam Præfatio quædam.

Cap. III. 28. *Quia levavit.* Non sequitur in græco, aut hebræo *Se.*

v. 32. *Abjecit, & miserebitur.* In hebræo additur copula.

IV. 14. *Cùmque non possent.* Nec in græco, nec in hebræo additur *Intrare*, quod nec subintelligendum videri, dixi libro 2. fol. 246.

V. 19. *In generationem.* Ita G. & H.

BARUCH.

CAp. I. 7. *Filii Salom.* Sic græca: At ùt Sixti V. sic & Lovaniensium *Salon.*

v. 8. *Mensis Sivan.* Græcè Σιοὺαν. Esther VIII. 9. vocatur in Vulgata *Siban*, sicuti hìc in Bibliis Sixti V. & Lovaniensium; in hebræo autem סיון *Sivan.*

v. 21. *Misit ad nos.* Non addunt græca: *Et ad judices nostros.*

II. 22. *Si non audieritis.* In græco non est additum: *Feceritis, nec.*

III. 13. *In pace sempiterna.* Sic & græca. Vide libro 2. fol. 247.

v. 23. *Merrhæ.* Græcè Μεῤῥὰν, non *Terræ*, ùt antea erat in plerisque antiquis libris, signanter Sixti V.

IV. 6. *In ira.* Hæ duæ voces sicut in Editione Sixti V. omittuntur, sic etiam desunt in græco.

V. 6.

V. 6. *In honore sicut.* Præferendus videtur Ablativus, quia etiam in græco est: *Cum gloria.*

VI. 7. *Lingua ipsorum.* Ita gr.

℣. 26. *Munera.* Sic gr.

℣. 46. *Artifices etiam ipsi.* Gr. *Ipsique fabricantes.*

℣. 50. *Lignea.* Neque hoc versu, neque 54. additur in græco *Lapidea.*

℣. 56. *Quibus hi, qui fortiores sunt* &c. Ita etiam est in græco. Vide libro 2. fol. 247.

℣. 58. *Quæ in ipsa sunt.* Sic gr.

℣. 71. *Supra illos tineant.* Hoc est Tinearum corrosione putrefiunt, & dispereunt. Gr. Σητομένης *Putrefacto.* σὴς est *Tinea.*

EZECHIËL.

CAp. I. 13. *Aspectus.* In hebræo non præponitur copula.

III. 6. *Ad populos multos.* Etiam hebræa, & græca habent *Multos.*

℣. 11. *Et vade ingredere* &c. Idem ordo est in hebræo, & græco.

℣. 22. *Est super me.* In græco non additur *Ibi*, sed in hebræo, & in Editione Sixti V.

IV. 14. *A a a.* In hebræo habetur una interjectio אהה *Ahah!* in græco μηδαμῶς, *Nequaquam*, *Nullatenus*, ut hîc sit interjectio deprecantis. Vide ad Jerem. I. 6.

℣. 17. *Contabescam.* Est in græco, & hebræo Futurum.

V. 7. *Judicia.* משפטים *Mispatim* sunt ad verbum *Judicia*, hîc verò quoad sensum *Consuetudines*, *Caremonia*, *Justificationes*, atque adeò etiam hoc sensu *Judicia.* Græcum δικαιώματα, & *Justificationes*, & *Justitiæ*, & *Judicia* verti potest, sed ultimum minùs pressè, tantùmque quoad sensum.

℣. 10. *Filios in.* Nec græci, nec hebræi, nec Lovanienses interponunt *Suos:*

IX. 6. *Parvulum quemque*, atque adeò *Parvulos.* In hebræo est vox singularis טף *Taph*, sed quæ non raró collectionem significat, nempè cœtum parvulorum, ùt patet ex Numer. XVI. 27. Porrò, ùt ex textu colligitur, idem est sensus sive legas singulare, sive plurale, quod habent varia Biblia latina, signanter Sixti V. Etiam in græco est νήπια *Infantes.*

XI. 15. *Fratres tui, fratres tui.* Ita repetitur in hebræo, item in græcis aliquibus, sed non in Romanis.

XIV. 22. *Ingredientur.* Egressum significant tam græca, quàm hebræa, sed idem est sensus, nempè: *Venient ad vos è locis suis.* Vide lib. 2. fol. 248.

XVI. 10. *Ianthino.* Hebræum תחש *Thachas* aliquando *Ianthinum* vertitur, aliquando *Hyacinthinum*, prout hîc transtulerunt LXX. quos sequuntur multæ Editiones latinæ, signanter Sixti V. Vide supra fol. 392.

℣. 13. *Polymito, & multicoloribus.* Lovanienses: *Polymito, & multis coloribus*, quod ex inadvertentia pro *Multicoloribus* irrepsit supra in Schemate fol. 359. Editio Sixti V. non insundatè omittit istud *Multicoloribus*; siquidem in hebræo est unica vox רקמה *Rikma*, quæ in Vulgata vertitur simplici-

pliciter *Polymitum*, ut Ezech. XXVII. 24.

Videntur equidem latiùs patere *Multicoloria*, quàm *Polymita*, nempè ut non tantùm denotent pannos, aut vestimenta ex multorum colorum liciis, seu filis contexta, hoc est *Polymita*; sed generaliter quosvis pannos, aut vestes diversorum colorum, licet etiam aliunde, quàm ex textura variorum liciorum, seu filorum diversi coloris, ista colorum varietas oriatur. Unde in omnibus Vulgatæ libris eadem hebræa vox hîc ℣. 18. transfertur *Multicoloria*. Item cùm Exod. XXXVIII. 23. Hieronymus aliam hebræam vocem vertisset *Polymitarius*, statim subdit *Plumarius*, pro quo ibi est in hebræo רקם *Rokem*, qui est artifex faciens *Rikma*. Hoc Ezechielis loco verterunt LXX. *Ex pilis-contexta, & varia.*

℣. 18. *Operuisti illas.* Sic græca, & hebræa. Vide dicta libro 2. fol. 248.

XVIII. 19. *Quare non portavit.* Miror Pagninum, & præsertim Ariam Montanum, vertisse in Futuro *Portabit*, cùm in hebræo non sit ישא *Jissa. Portabit*, sed נשא *Nasa. Portavit.* Sed hi sensum attenderunt, non mera verba.

XIX. 1. *Et tu assume.* Neque in hebræo, neque in plerisque græcis additur: *Fili hominis.*

XX. 36. *Dominus Deus.* Sic hebræa. Græca omittunt *Deus.*

℣. 49. *A a a.* Vide ad Cap. IV. 14.

XXI. 28. *Mucro evaginate ad occidendum, limate* &c. Ita conjunctim, & in Vocativo esse legendum, demonstravi libro 2. fol. 248.

XXIII. 45. *In manibus earum.* Non solùm ab hebræis, & græcis, sed & à plerisque latinis abest illud Sixti V. *Et cum Idolis suis fornicatæ sunt.*

XXIV. 21. *Filii vestri, & filiæ.* Sic est in hebræo, græco, aliisque latinis, excepto Sixti V. in quo *Et* est inadvertenter omissum, vel potiùs transpositum ante vocem *Filii.*

XXV. 10. *Filiis orientis.* LXX. ut Sixti V. *Filios.* Hebræus textus hîc adeò obscurus est, ut nesciam utri lectioni magis faveat, interim habet לבני *Libne. Filiis*, aut etiam *Filiorum*, vel *Ad filios.*

XXVII. 13. *Advexerunt.* Hebræa, & græca *Dederunt.*

℣. 35. *Tempestate perculsi.* Ita potiùs legendum esse, quàm *Percussi*, probavi libro 2. fol. 251.

XXVIII. 13. *Topazius.* Ita per *z* scribitur alibi semper in Scriptura, & ab omnibus sacris, & profanis hujus gemmæ nomen in græco, & latino; unde minùs rectè Biblia Romana 1592. 1593. 1598. 1624. *Topatius.*

℣. 16. *De monte Dei.* Nec in hebræo, nec in græco additur, nec Lovanienses ullum notant codicem, qui legat *Sancto.*

XXXII. 10. *Super te.* Nec græca, nec hebræa habent id, quod sequitur in Bibliis Sixti V. & aliis quibusdam latinis: *Propter universas iniquitates, quas operatus es.*

In die ruinæ tuæ. Ita hebr. & gr. Vide libro 2. fol. 232.

℣. 18. *Cane lugubre*, nempè *Carmen.* Hebræum נהה *Nehe*, & græcum θρήνησον significant *Lamentare, Cantilenas*

lenas lugubres cane.

℣. 24. 30. *Descendunt.* Biblia Lovaniensium habent ℣. 24. *Descenderunt*, at ℣. 30. *Descendunt.* In græco est Participium præsens, prout & in hebræo יורדי *Jorede. Descendentes.*

℣. 32. *Dedi terrorem meum.* Etiam hebræa, & græca habent *Dedi.* Pro *Suum*, vel *Ejus* stat græcus textus, & hebræus modernus; sed pro *Meum* correctio Masoretica. Vide lib. 2. f. 252.

XXXIII. 11. *Convertimini, convertimini.* Etiam hebræa, chaldæa, græca repetunt.

XXXIV. 26. *Pluvia.* Nec græca, nec hebræa præponunt *Et.*

XXXV. 13. *Derogastis.* Hoc magìs accedit hebræo, quàm *Rogastis.* Græca: *Magnificè locutus es*, sive *Magnificasti sermones super me ore tuo.*

XXXVI. 4. *Vallibusque.* Copula additur in hebræo, & græco.

XXXVII. 16. *Et filiorum Israël sociorum... sociorumque ejus.* Hebræa possunt æquè verti in Genitivo, ac Dativo. Græca habent Accusativum. Interim inter *Israël*, & *Sociorum* non est copula in hebræo, & græco, prout nec ante *Sociorum ejus.*

v. 18. *Nonne indicas?* Hebr. *Nonne indicabis?* LXX. οὐκ *Non*, sed quod ibi, sicut in Codice Sixti V. valet *Numquid?* vel *Nonne?* Dicitur enim per interrogationem.

v. 23. *Sedibus.* Tam hebræa, quàm græca addunt *Suis*, sicuti additur in Bibliis Sixti V. & adjunctùm reperi in meis Manuscriptis, quamvis illud omitttentes Lovanienses, nullum notent codicem, qui addat.

XXXVIII. 2. *Gog, terram Magog.* In græco apponitur copula *Et terram*, sed non in hebræo; equidem videtur subintelligi in hebræo, & latino.

XXXIX. 2. *Educam te.* An rectiùs *Seducam te*, proposui lib. 2. fol. 252.

XLI. 1. *Sex cubitos latitudinis inde.* Istud *Latitudinis* exprimunt hebræa, græca, & antiqua latina cum Sixti V. & Clem. VIII. 1592. 1598. Reor in Editione Vaticana 1593. illud esse inadvertenter omissum, & inde pariter omissum est in posterioribus Editionibus; absque ullo tamen sensus dispendio, nam satìs clarè subintelligitur.

℣. 25. *Et sculptura palmarum.* Idem est sive legas cum Sixto V. aliisque multis in singulari *Sculptura palmarum*; nam in hebræo tantùm est: *Et palma*, nempè sculptæ.

Expressa erant, nempè *Sculptura.* Qui legunt neutro genere *Expressa*, referunt ad *Cherubim.* Id æquè, ac femininum *Expressa* congruit hebræo, & græc.

XLIV. 30. *Domui tuæ.* Ita gr. & heb.

XLVI. 11. *Agnis.* ℣. 16. *Donum.* Utrique congruunt hebr. & gr. Vide dicta fol. 253.

XLVII. 17. *Terminus Emath.* Tam græca, quàm hebræa præponunt *Et*, quod etiam clariùs sensum exhibet.

XLVIII. 22. *Inter terminum Benjamin.* In hebr. & gr. est *Inter*, non *In.*

DANIËL.

CAp. II. 2. *Præcepit autem rex.* Post S. Hieronymum in Commentario, multi antiqui Vulgatæ libri, prout & Sixti

Sixti V. legunt *Ergo* pro *Autem*. In hebræo, & græco habetur: *Et dixit rex*, utique præcipiendo.

℣. 23. *Patrum nostrorum*. Hebræa, seu chaldæa, & pleraque græca habent *Meorum*. Vide fol. 254.

℣ 41. *Partem testæ figuli*. Ita Chaldæa, at LXX. ùt Sixti V. Vide dicta libro 2. fol. 254.

III. Quia Sixtus V. in Editione sua omnes Notas S. Hieronymi inter verba sacri textûs appositas omitti voluit, ideò in ipsius Editione illæ etiam desunt hoc Cap. III. tum post ℣. 23. tum post ℣. 90. item post finem Cap. XIII. Hæ autem Notæ in Editionibus Clementis VIII. sunt resumptæ pro instructione legentium.

v. 67. *Frigus, & æstus*. Græcum καύσων significat *Æstum* contrarium *Frigori*, non *Æstatem* oppositam *Hiemi*.

v. 92. *Respondit, & ait*, nempè *Rex*, ùt addunt LXX. Sixtus V. aliique, sed tantùm subintelligunt chaldæa.

v. 100. *In generationem*. Ita græca, est tamen in originali עם דר *Im dar*. *Cum generatione*, sed est modus loquendi chaldaïcus.

IV. 24. *Forsitan ignoscet*. Non exprimuntur verba, sed sensus textûs chaldaïci, in quo non additur vox *Deus*, sed hæc adjungitur in græco.

v. 27. *Babylon magna*. Neque in græco, neque in chaldæo additur *Civitas*.

v. 30. *Quasi avium*. Nec græca, nec chaldæa hîc repetunt *Ungues*.

v. 31. *In generationem*. Græca, & chaldæa hîc sicuti Cap. III. 100.

v. 34. *Et via ejus*. Non inveni additum *Omnes* in ullis textibus, aut Vulgatæ codicibus, præter Sixti V.

V. 11. *Sapientia*. Chaldæa, & græca exhibent singulare.

IX. 16. *Monte sancto*. In Bibliis Sixti V. & quamplurimis latinis, non incongruè habetur: *A monte sancto*; magis equidem verbaliter correspondet chaldæo, & græco lectio moderna omittens *à*.

XI. 41. *Multa corruent*. Ita etiam hebræa *Rabboth*. *Multa*, nempè, ùt præcessit ארצות *Aratsoth Terræ*; unde sequitur: *Hæ autem sola salvabuntur... Edom, & Moab* &c. at ibi verbum *Jiccischelu*. *Corruent* est masculinum, prout & in græco Pronomen πολλοὶ *Multi*, nempè terrarum inhabitatores.

XII. 3. *Ut videant semper*. Tam hebræa, quàm græca rectè vertes: *Ad sempiternam erubescentiam*. Item *Ut æterno afficiantur pudore*, & *Erubescentiâ*.

O S E Ë.

CAp. I. 9. *Non ero vester*. Neque in græco, neque in hebræo exprimitur, sed subintelligitur *Deus*, quod additur in quibusdam latinis signanter in Sixti V.

II. 16. *Baali*. Ita esse scribendum constat ex hebræo. Vide lib. 2. fol. 355.

IV. 3. *Sed & pisces*. Hoc valet hebræum וגם־דגי *Vegam dege*. *Et etiam pisces*. In græco tamen est, ùt in Sixti V. *Et pisces*.

V. 1. *Et rete*. In hebræo tantùm subintelligitur *Sicut*, quod exprimunt chaldæa, græca, & Biblia Sixti V.

VI. 9.

VI. 9. *Sichem.* Cùm ita per *m* scribant omnes reliqui, videtur per inadvertentiam esse impressum in Bibliis Sixti V. *Sichen.*

VII. 1. *Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Magìs mihi & Brugensi placet interpunctio Sixti V. *Et fur ingressus est, spolians latrunculus foris.* Tum quia sic interpungere docet contextus, nam *latronis* est *spoliare*, *furis surripere.* Tum, quia in hebræo est: *Et fur ingressus est spoliavit latro foris*, quod omninò exigere videtur illam interpunctionem Sixti V.

XII. 11. *Frustra erant.* Vide fol. 256.

℣. 12. *In uxorem.* Hebræum ב & græcum ἐν usitatiùs redduntur per latinum Ablativum, sive significant *In* in loco, non ad locum, atque adeò non malè Editio Sixti V. *In uxore.* Attamen sensus clarior, & magìs genuinus apparet nostræ modernæ lectionis. *In uxorem*, hoc est ad obtinendum uxorem.

XIII. 6. *Et levaverunt.* Lovanienses *Elevaverunt.* In hebræo, & græco additur copula.

℣. 9. *Perditio tua Israël.* Puto in Editione Sixti V. inadvertenter omisso *a*, esse impressum *tu*, pro *tua*; cùm ita habeant omnes alii textus, & codices.

J O Ë L.

CAp. I. 15. *A a a diei.* Vide supra ad Ezech. IV. 14. fol. 335.

II. 14. *Domino Deo vestro.* Ita hebræa & græca.

III. 20. *In generationem.* Sic G. & H.

A M O S.

CAp. I. 1. *Pastoribus de Thecuë.* Sic est in hebræo. Vide lib. 2. fol. 256.

℣. 14. *Rabba* רבה At LXX. & Sixtus V. *Rabbath*, qualiter sæpè etiam in Scriptura exprimitur hujus urbis nomen, & scribitur in hebræo, sed non nisi quando est in regimine.

VII. 1. *Tonsionem regis.* Hunc locum tractavi libro 2. fol. 256.

VIII. 5. *Mensis.* Sic hebr. chald. gr.

℣. 9. *Dicit Dominus Deus.* Sic etiam hebræa, & pleraque græca; aliqua tamen omittunt *Deus.*

IX. 2. *Non erit fuga eis* &c. Hæc lectio est magìs conformis textui hebræo.

A B D I A S.

VErsu 16. *Bibistis.* Sic hebræa, & chaldæa; sed græca: *Bibisti.*

M I C H Æ A S.

CAp. I. 14. *Domus mendacii.* Hebræum בתי *Bate* est indifferens ad pluralem nominativum, & accusativum, quem cum Sixto V. variisque latinis exprimunt LXX.

II. 6. *Ne loquamini.* Nec græca, nec hebræa præponunt *O Israël!* sed pauca latina, & Editio Sixti V.

IV. 6. *Quam afflixeram.* In hebræo, & græco subintelligitur *Consolabor*, aut potiùs id, quod præcessit *Colligam*, vel simile aliquod verbum, sed nihil exprimitur.

℣. 8. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion.* Ita in genitivo *Filiæ* etiam est in Bibliis Bibliothecæ nostræ manuscriptis

tis circiter à 500. annis. Ita quoque transtulisse S. Hieronymum apertè colligitur ex ejus Commentario, in quo equidem notat Symmachum, & Interpretes LXX. vertisse *Filia*, sicut habent Biblia Sixti V. & varia antiqua latina, imò etiam post correctionem Clementinam ita legit, & legendum prætendit Tirinus, non rectè tamen asserens, sic legere Biblia Romana.

Hebræum בת ציון *Bath Sion*, est quidem indifferens ad Nominativum *Filia Sion*, & Genitivum *Filiæ Sion*; sed ultimo favet Latinus contextus, & Hebræus textus, ex quo patet Michæam alloqui *Turrim nebulosam*, sive *Ophel*, quæ turris vel ipsa vocabatur *Ophel*, hoc est *Nebulosa*, seu *Caliginosa*, vel (quod veriùs puto cum Villalpando in Apparatu p. 1. lib. 2. c. 7. & Bonfrerio in Onomastico) existebat in, aut propè *Ophel*. Est verò *Ophel* in hebræo Masculinum, prout & *Migdal. Turris*. Porrò turris hæc, & locus *Ophel* erant propè murum orientalem urbis Jerusalem mediæ, quæ speciali nomine vocabatur *Filia Sion*, ideòque hîc dicitur: *Tu turris Ophel*, seu *nebulosa filia Sion*.

V. 9. *Exaltabitur*. Nec græca, nec hebræa præponunt *Et*.

VI. 5. *Quid cogitaverit Balach*. Sic est in hebræo, in quo subintelligitur *Contra te*, quod exprimunt LXX. & Sixtus V.

℣. 9. *Nomen tuum*. Sic hebræa, sed græca cum Sixto V. *Nomen suum*.

℣. 16. *In voluntatibus*. Vide fol. 257.

VII. 17. *Formidabunt*. Vide fol. 257.

NAHUM.

CAp. II. 2. *Quia reddidit* &c. Sic est in græco, & hebræo.

III. 15. *Congregare ut bruchus*. Non additur in græco, aut hebræo *Ergo*.

HABACUC.

CAp. I. 3. *Contra me*. Quæ Biblia Sixti V. & quædam alia addunt: *Quare respicis* &c. non sunt hujus loci, neque in hebræo, & græco hîc habentur, sed ℣. 13. & 14.

℣. 13. *Quare respicis*. Neque in hebræo, neque in græco est contradictorium: *Quare non respicis?*

℣. 17. *Interficere gentes non parcet*. In græco, & hebræo est expressè: *Non parcet*.

II. 6. *Usquequo & aggravat*. In hebræo additur *Et*, prout & in plerisque antiquis latinis.

III. 5. *Et egredietur*. Omnes alii textus, & codices præponunt *Et*, excepto Sixti V.

℣. 8. *Qui ascendes*. Hebr. *Quia ascendes*, seu *Equitabis*.

℣. 12. *In furore*. Copula non præponitur in hebræo; sed in græco.

SOPHONIAS.

CAp. III. 17. *In dilectione sua*. In hebræo, & græco est *Sua*, non *Tua*; quamvis si *Tua* legas idem habeatur sensus, indicatur enim dilectio Dei erga populum suum, quem alloquitur Propheta. Vide libro 2. fol. 257.

AG-

AGGÆUS.

CAp. I. 1. *Josedec.* Ita per *e* in media syllaba scribitur semper hoc nomen in latino, & græco, adeò ut videatur merâ inadvertentiâ impressum in Editione Sixti V. per *a Josadec.* Attamen ita etiam modò pronunciant Rabbini, & punctant textū יְהוֹצָדָק *Jotsadak.*

℣. 12. *Domini Dei sui.* Ita gr. & heb.

ZACHARIAS.

CAp. I. 15. *Ipsi verò.* Omnes penè latini codices habent Masculinum *Ipsi*, conformiter ad hebræum המה *Hemma. Ipsi*; sed ibi גוים *Goïm. Gentes* est etiam masculini generis. Pariter LXX. quamvis priùs habeant in neutro τὰ ἔθνη, tamen subdunt in masculino ἀυτοὶ *Ipsi*, quæ mutatio est admodùm frequens in nostra Vulgata circa Pronomina vocis *Gens.* Interim lectio Sixti V. *Ipsæ verò* est magìs secundùm latinitatem.

III. 2. *Increpet Dominus in te* &c. Omittendo *In* clariùs sensum exprimit Editio Sixti V. Sed Editio Clementis VIII. addendo *In* sequitur verba, & Phrasim hebræam. Vide dicta fol. 88.

℣. 9. *Ego cælabo.* Esse scribendum per diphthongum patet ex græco: *Ego fodiam scrobem*, & hebræo: *Ego aperiens apertionem*, seu fossam, effodiendo. Non est igitur satìs exactè in Bibliis Sixti V. Lovaniensium, & multis aliis impressum sine diphthongo *Celabo*, quod significat *Occultabo.*

VII. 11. *Scapulam recedentem.* Etiam hebræa, & græca: *Dorsum*, *Tergum*, *Scapulam deficientem*, sive *amentem.* Qui legunt *Recedentes* eundem afferunt sensum, nimirum Judæos rebelles, quasi à Deo abeuntes, & *recedentes*, ipsi scapulam, seu tergum obvertisse.

X. 2. *Vanè.* Nec græca, nec hebræa præponunt *Et.*

XII. 3. *Levabunt eam.* An potiùs sit scribendum *Eum.* Vide lib. 2. fol. 259.

XIII. 9. *Dicam.* In hebræo, & chaldæo omittitur *Et*, in græco additur.

XIV. 10. *Habitabit.* Jerosolymæ populus. Nota Jerem. xxxiii. 16. Hebr. ישבה *Jascheba* potest etiam verti in passivo *Habitabitur*, quod hìc meliùs quadrare videtur, quia Jerusalem, aut terræ non convenit *habitare*, sed *habitari*, & immediatè præcessit: *Exaltabitur.*

Si quis objiciat, etiam præcessisse: *Revertetur omnis terra.* Dico more Scripturæ in Vulgata Verbum *Reverti* poni pro Adverbio *Rursum*, sive *Iterum.* Item hebræum יסוב *Jissob* non tantùm significare *Revertetur*; sed etiam *Circumdabitur*, *Ambietur*, *Circuibitur.*

MALACHIAS.

CAp. I. 1. *Malachiæ.* Nec hebræa, nec græca addunt *Prophetæ.*

℣. 3. *Posui montes.* In græco, & hebræo non interponitur *Seïr.*

III. 5. *Mercenaris, viduas.* In hebræo non additur: *Et humiliant*; sed in græco: *Et sub potestatem redigentes*, *Opprimentes.*

℣. 18. *Convertemini.* Ita gr. & hebr.

I. MACHABÆORUM.

CAp. I. 11. *Radix peccatrix.* Sic gr.

℣. 51. *In omnibus immundis.* Græca: *In omni immundo.*

℣. 67. *Super populum valdè.* Græca *Super Israël valdè.*

II. 1. *Joarib.* Ultimam hujus nominis litteram esse *b*, non *m*, patet & ex græco hìc, & ex aliis Vulgatæ locis.

℣. 30. *Et filii eorum.* Sic gr.

℣. 46. *In finibus Israël.* Ita congruentiùs legi, notavi libro 2. fol. 259.

III. 30. *Ut semel, & bis.* Etiam est in græco *Ut.*

IV. 11. *Quia est, qui.* Græca pariter omittunt *Deus.*

V. 3. *Acrabathane.* Vide lib. 2. f. 260.

℣. 30. *Ecce populus multus.* In græco præponitur *Et*, sicut in Bibliis Sixti V. & Lovan.

℣. 38. *Exercitus.* Textus græcus non præponit *Et.*

℣. 42. *Ne reliqueritis.* Sic est in græco; sic etiam videtur priùs fuisse impressum in Bibliis Sixti V. cùm chartâ per pultem superpositâ impressis litteris modò habeatur: *Ne relinquatis.*

℣. 44. *Cum omnibus, qui erant in ipso.* Sixti V. aliique *Qua.* Græcum τοῖς est indifferens, sed contextus suadet istud de hominibus dici, atque adeò legendum esse *Qui.*

℣. 60. *Fuga magna.* Ita gr.

VI. 17. *Eupator.* Sic gr.

℣. 26. *Arcem Jerusalem... Bethsuram.* Non sat congruè, neque consentaneè textui græco, Biblia Sixti V. & Lovaniensium addunt *In* tum ante *Jerusalem*, tum ante *Bethsuram.*

℣. 41. *Multitudinis, & incessu turbæ.* Videtur inadvertenter mutatus ordo verborum in Bibliis Sixti V. Etenim ordo jam allegatus est reliquorum latinorum librorum, atque etiam textûs græci.

VII. 6. *Nos dispersit.* Græcè *Dispersunt*, non *Disperdiderunt.*

IX. 35. *Commodarent illis.* Ita rectiùs legi, patet ex dictis lib. 2. fol. 260.

X. 19. *Aptus es, ut.* Sic gr.

℣. 21. *Scenopegia.* Ita gr.

℣. 40. *Ego do.* Sic etiam græca; sed hìc *Do* valet *Dabo*, ùt est in Sixti V. nempè: Promitto me daturum.

℣. 53. *Sedimus.* Ita gr.

℣. 54. *Ipsi digna te.* Sic & græca, non *Dignitatem*, quod ex affinitate vocum irrepsit etiam in Biblia Sixti V.

XI. 28. *Et Samariam.* Ita, non verò *Hoc est*, habetur in græco, & plerisque latinis libris.

XII. 7. *Ab Ario.* Vide dicta libro 2. fol. 261. tum circa hunc locum, tum circa ℣. 20. *Onia*: *Arius rex* &c.

Eodem ℣. 7. *Sicut rescriptum.* Gr. ἀντίγραφον, quod rectiùs transfertur *Rescriptum*, quàm *Scriptum.*

℣. 52. *Qui cum ipso fuerant.* Textus græcus omisso verbo substantivo habet *Et eos*, qui *cum ipso*; sed cùm agatur de defunctis, rectiùs habent Biblia Vaticana 1592. per plusquam perfectum *Fuerant*, illudque meritò secuti sunt posteriores Typographi, cùm ita legendum esse moneat Index correctorius, quod in Vaticanis 1593. impressum fuit *Erant.*

XIII. 11. *Qui erant in ea*, nimirum in urbe *Joppe*. Ita etiam græca.

ỳ. 15. *Pro argento, quod debebat*. In Vulgata non *Habebat*, sed *Debebat* est legendum cum Bibliis Sixti V. & Clementis VIII. non prout hæc sunt impressa, sed prout sunt correcta per Indices. De hoc egi libro 2. fol. 261.

ỳ. 46. *Tuas*. In græco non additur: *Et serviemus tibi*.

XIV. 37. *Muros Jerusalem*. Græca non interponunt *In*.

XV. 21. *Refugerunt*. Ita etiam simplici præterito græca διαπεφεύγασιν.

ỳ. 22. *Ariarathi*. Gr. Ἀράθῃ.

ỳ. 23. *Lampsaco*. Textus græcus habet ùt Sixti V. *Sampsama*. Vide dicta libro 2. fol. 262.

Ibidem *Gortynam*. Sic gr.

ỳ. 33. *Aliena*. Etiam græcus textus exigit Accusativum neutrum.

ỳ. 39. *Gedorem*. In meo græco habetur Κεδρὼν, prout in Bibliis Sixti V. & pluribus antiquis.

II. MACHABÆORUM.

CAp. I. ỳ. 18. *Scenopegia*. Sic esse scribendum sine aspiratione patet ex græco Σκηνοπηγίας.

III. 1. *Pietatem*. Non additur in græco: *Dispositionem, &c*.

ỳ. 7. *De pecuniis, quæ delata erant*. Græca: *De nunciatis ei pecuniis*.

IV. 20. *Sed hæ*. Sic legendo refertur ad *Didrachmas*; nec minùs commodum est neutrum: *Sed hæc*, nimirum *oblata*.

ỳ. 21. *Mnesthei*. Gr. Μενεσθέως, hoc est *Menesthei*, ùt habet Editio Sixti V.

ỳ. 30. *Antiochidi*. Ita græca.

V. 2. *Hastis, quasi cohortes, armatos*. Ita legi postulat græcus textus propter ἐξωπλισμένους *Armatos*.

VIII. 33. *Jerosolymis*. Græcus textus habet: *In patria*.

IX. 9. *Viventis in doloribus carnes*. Est etiam in græco genitivus *Viventis*.

X. 7. *Mundari*. Passivum & congruentius dicitur, & habetur in græco.

ỳ. 17. *Viginti millibus*. Eundem numerum exprimunt græca.

ỳ. 31. *Quingenti*. Subintelliguntur *Pedites*; sed nec in græco exprimuntur.

XI. 16. *Quidem*. Hoc significat græcum μὲν, non *Siquidem*.

ỳ. 31. *Judæi*. Sic græca.

XII. 2. *Super hos*. Gr. *Ultra hos autem*. Vide dicta libro 2. fol. 264.

ỳ. 26. *Ad Carnion*. Ita græca.

XIII. 15. *Quattuor millia*. Sic quædam græca, alia: *Duo millia*, nulla: *Quattuordecim millia*.

XIV. 4. *Thallos*, seu *Ramos*. Gr. θαλλῶν, non *Talos*.

ỳ. 13. *Judam caperet*. Non addunt græca *Vivum*, imò pro *Caperet* habent ἐπανελέσθαι *Occidere*.

ỳ. 21. *Sellæ prolatæ*. Hoc est conformiùs græco, quàm *Sellæ perlatæ*.

XV. 32. *Quam extendens contra*. Sic etiam græca.

ỳ. 37. *Tertia decima die mensis Adar, quod dicitur*. Nempè tempus. Qui legunt *Quæ*, referunt ad id quod præcessit *Die*, sed non adeò concinnè. In græco est omisso Pronomine: λέγεται *Dicitur*, hoc est *Dictum* tempus, vel *dicta* dies.

MATTHÆUS.

CAp. I. 23. *Vocabunt.* Ita rectiùs legi, dixi libro 2. fol. 264.

II. 13. *Surge, & accipe.* Quod Editio Sixti V. omittat *Et*, est aliquatenùs magìs conforme græco, in quo est: *Expergefactus accipe.*

III. 2. *Appropinquavit.* Tum hîc, tum Cap. IV. 17. est in Græco, & Syro Præteritum.

℣. 3. *Qui dictus est.* Græca ὁ ῥηθεὶς *Ille dictus*, seu *Pronunciatus.*

℣. 10. *Arborum.* Ita græca.

IV. 6. *Et in manibus tollent te.* Sic habet præcisè textus græcus.

℣. 7. *Ait illi Jesus: Rursum scriptum est.* Idem verborum ordo est in græco; cùm verò Scriptura sit ab Hagiographis conscripta sine interpunctionibus, æquè benè possemus interpungere cum Bibliis Sixti V. & aliis multis: *Ait illi Jesus rursum: Scriptum est.*

℣. 15. *Galilæa gentium.* Ita gr.

℣. 16. *Qui sedebat.* Græca: *Ille sedens.* In Isaia equidem est: *Qui ambulabat.*

℣. 17. *Appropinquavit.* Vide Matth. III. 2.

V. 11. *Maledixerint vobis.* In græco non additur *Homines.*

v. 40. *Judicio contendere.* Est in græco unum verbum passivum κριθῆναι, quod propriè significat *Judicari*, sed hîc ex subjecta materia non malè transfertur *Judicio contendere*, vel *In judicio contendere.*

VI. 7. *Sicut Ethnici.* Redundat, inquit Brugensis, quod sequitur in quibusdam libris, verbum *Faciunt*, neque illud est in græco.

v. 30. *Si autem fœnum.* Sic gr.

VII. 1. *Ut non judicemini.* Ita & græca, nec nisi pauca addunt: *Nolite condemnare* &c. Vide libro 2. fol. 265.

v. 4. *Sine, ejiciam.* In græco non præponitur *Frater.*

v. 23. *A me.* Tantùm pauca græca addunt *Omnes.*

v. 29. *Scribæ eorum, & Pharisæi.* Græca pleraque non solùm omittunt *Eorum*, sed etiam: *Et Pharisæi.*

VIII. 9. *Alii.* Hoc Dativum magìs latinum est, quàm *Alio.*

v. 12. *Ibi erit.* Græcum ἐκεῖ significat *Ibi*, non *Ubi.*

v. 18. *Jussit ire.* Textus græcus non interponit *Discipulos.*

v. 20. *Caput.* S. Hieronymus, textus Syriacus, & Biblia Sixti V. addunt *Suum*, quod etiam invenitur in aliquibus græcis, sed pleraque omittunt.

v. 32. *Impetu abiit.* In græco tum hîc, tum Marci V. 13. est unicum Verbum præteriti temporis ὥρμησε à Præsenti ὁρμάω *Impetu feror*, *Irruo.* Hoc loco plurima latina omittunt *Magno*, sed addunt omnes Vulgatæ codices Marci V. 13.

v. 33. *Nunciaverunt omnia.* Pleraque tum latina, tum græca omittunt *Hæc.*

v. 34. *Rogabant ut* &c. Græca non interponunt *Eum.*

IX. 1. *Ascendens.* In græcis quibusdam additur *Jesus.*

v. 2. *Et videns.* Sic græca, & omnia penè latina.

℣. 25. *Manum ejus.* Non additur in græco: *Et dixit*: *Puella surge*; sed illud habetur Lucæ VIII. 54. ex quo loco huc à quibusdam translatum videtur.

X. 4. *Simon Cananaus.* Ita, non *Chananaus* esse scribendum, ostendi libro 2. fol. 266.

℣. 5. *Eis, dicens.* Nec græca interponunt *Et*, nec plurima latina.

℣. 22. *Odio omnibus.* Non videtur addendum *Hominibus*, cùm eo careant græci codices,& latini passim omittant.

XII. 2. *Non licet facere.* Nec græca, nec Syra interponunt *Eis*, quod & multa latina omittunt.

℣. 31. *Spiritûs autem Blasphemia.* Sic esse scribendum constat ex græco.

XIII. 3. *Seminare.* Non additur in græco *Semen suum.*

℣. 14. *Et adimpletur.* Ita etiam græca. Latina exemplaria, quæ habent: *Ut adimpleatur*, & pauca sunt, & minoris notæ.

XIV. 13. *In navicula.* Hoc est vectus naviculâ. Porrò Ablativus hîc est in græco, & meliùs congruit, quàm Accusativus.

v. 19. *Discipuli autem turbis.* Subintelligitur *Dederunt*; sed hoc verbum omittunt tam græca, quàm pleraque latina.

v. 32. *Ascendissent.* Christus, & Petrus. Sic etiam græca.

XV. 2. *Traditionem.* Ita gr.

XVI. 8. *Cogitatis intra vos.* Græcum ἐν ἑαυτοῖς sonat propriè *In vobisipsis.*

XVII. 1. *Assumit... ducit.* Ita legendum esse monet Index correctorius pro Bibliis Vaticanis 1593. Præsens etiam est in græco textu, sed in Syro Præteritum.

v. 20. *Transi hinc illuc.* Sic & græca. Attamen varia latina cum Sixto V. omittunt *Illuc.*

XIX. 20. *A juventute mea.* Hæc quidem absunt à multis antiquis manuscriptis, sed & in variis habentur, atque etiam in græco.

v. 21. *Vende, quæ habes.* Sufficit *Omnia* subintelligi, neque exprimitur in græco.

XX. 28. *Redemptionem.* Intellige per Metonymiam pretium redemptionis, seu *Lytrum*, ut est in græco; unde non inconcinnè Biblia Sixti V. præponunt *In.*

XXI. 37. *Verebuntur.* In græco non additur *Fortè*, sed hoc est Lucæ XX. 13.

XXIII. 23. *Hypocritæ* ὑποκριταὶ sine aspiratione, non *Hypochritæ.*

v. 25. *Quia mundatis.* ὅτι non *Qui*, sed *Quia* significat.

XXIV. 12. *Et quoniam abundavit iniquitas.* Alii in Futuro *Abundabit*, quibus favet, quòd conjuncta verba in omnibus textibus sint futuri temporis, tamen in græco est: *Et propter multiplicatam esse iniquitatem.*

v. 42. Quod ante hunc versum habet Editio Sixti V. *Duo in lecto* &c. non videtur esse hujus Evangelistæ. Vide libro 2. fol. 267.

XXV. 27. *Et veniens ego.* Sic græca, & pleraque latina.

v. 31. *Angeli cum eo.* In græco non additur Pronomen *Ejus.*

XXVI. 11. *Non semper habetis.* E-

tiam in græco est Præsens ἔχετε.

XXVII. 35. *Ut impleretur* &c. Vide de his dicta libro 2. fol. 268.

ỷ. 43. *Liberet nunc, si vult eum.* Syra, & græca addunt alterum *Eum* post *Nunc.* Vide libro 2. fol 269. Quòd in Editione Vaticana 1592. ponatur interpunctio ante *Eum*, in Indice pro Bibliis istis notatur corrigendum.

ỷ. 57. *Arimathæa* Ἀριμαθαίας.

XXVIII. 3. *Vestimentum ejus.* Etiam in græco est singulare *Indumentum.*

ỷ. 7. *Ecce præcedit*, seu Præit προάγει.

MARCUS.

CAp. I. 6. *Pilis cameli.* Sic etiam gr.

ỷ. 7. *Venit.* Græcum ἔρχεται est quidem temporis præsentis, sed sæpè connotat quandam futuritionem instantem.

ỷ. 10. *Spiritum tanquam.* Græca non interponunt *Sanctum.*

ỷ. 24. *Venisti perdere nos.* Monet Brugensis: *Non est addendum*: Ante tempus, *quod Quidam hîc adscripserunt ex Matth. VIII.* 29. Græca autem & Syra non habent, prout nec pleraque latina.

Ibidem. *Scio qui sis.* Ita gr.

ỷ. 40. *Dixit ei.* Multa latina cum Sixto V. *Dicit ei.* Græca: *Dicens ei.*

II. 1. *Post dies.* In græco non additur *Octo.*

v. 12. *Abiit.* Non malè Editio Sixti V. addit *Inde*, hoc enim involvitur in græco ἐξῆλθεν *Egressus est.*

v. 15. *Qui & sequebantur.* Sixti V. *Qui sequebantur.* Græca: *Et sequebantur.*

v. 23. *Et discipuli.* Istud *Et* est in plerisque latinis, & in omnibus græcis, interim non incongruè omittitur in Editione Sixti V.

v. 24. *Quid faciunt?* Pauci tum latini, tum græci addunt cum Sixto V. *Discipuli tui.*

v. 26. *Nisi Sacerdotibus.* Marcus subintellexit, non tamen interposuit *Solis*, nec opus erat interponere, cum satìs includatur in exceptiva *Nisi*, quæ in græco non reperitur, sed tantùm in paucis latinis.

III. 9. *Ut navicula sibi deserviret.* Sic etiam est in græco.

IV. 8. & 20. *Unum triginta* &c. Etiam in græco est numerus cardinalis. Vide dicta libro 2. fol. 270.

v. 22. *Sed ut* &c. Sic etiam græca; quædam tamen manuscripta Latina, & Syrus textus habent: *Quod non* &c.

v. 29. *Cùm produxerit fructus.* Ante *Fructus* præstaret addere *Se*, non tamen *Ex se*, ùt vide libro 2. fol. 270.

v. 32. *Cùm seminatum fuerit.* Ad hæc Brugensis: Malè legitur in quibusdam libris *Natum*, pro *Seminatum*, quod est Satum, nec minùs malè additur: *In arborem*, quod ex Matthæo, aut potiùs Luca huc esse transcriptum, indubium est. Ita ille. In græco est constanter *Seminatum*, nec additur: *In arborem.*

V. 8. *Ab homine.* Subintelligitur quidem *Isto*, vel *Hoc*, sed nec in græco, nec in plerisque latinis exprimitur.

v. 10. *Deprecabatur.* Etiam in græco est singulare, quod refertur ad *Spiritum immundum*, de quo v. 8. Qui legunt

gunt *Deprecabantur*, id referunt ad *Dæmones*, nec malè, cùm etiam in græco illud *Ne se* sit plurale μὴ ἀυτοὺς.

v. 11. *Pascens.* Nec in græcis, nec in latinis plerisque additur: *In agris*, sed quædam græca habent: *In monte*.

v. 13. *Concessit eis.* Ita benè cum Sixto V. modernæ Editiones legunt. Vide libro 2. fol. 270.

v. 21. *Transcendisset.* Sic gr.

v. 23. *Manum.* Ita in singulari Syrus, sed non addit *Tuam*, prout nec græcus textus, qui tamen habet in plurali *Manus*.

v. 35. *Veniunt ab Archisynagogo.* Ita esse legendum probavi lib. 2. fol. 270. Habeturque in græco *Ab*, non *Ad*, neque additur *Nuncii*: lectio tamen Sixti V. *Veniunt nuncii ad Archisynagogum*, & verum sensum continet, & est multorum codicum antiquorum.

v. 43. *Dixit dari illi.* Ita gr.

VI. 13. *Sanabant.* Vide fol. 271.

v. 17. *In carcere.* Gr. *In custodia.*

v. 26. *Contristatus est rex, propter jusjurandum.* Interpunctio, quæ fuerat omissa post vocem *Rex* in Bibliis Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. in posterioribus Editionibus est suppleta, seu transposita, quod faciendum monet Index correctorius pro Vaticanis 1592. Etiam antiqui Vulgatæ libri, signanter Lovaniensium, absolvunt sensum post vocem *Rex*.

Eod. v. 26. *Et propter.* Sic gr.

v. 27. *Sed misso spiculatore.* Ita quædam græca, sed plura *Et* cum Sixto V.

v. 48. *Et circa quartam.* Istud *Et* pauci græci, & latini omittunt, sed multò plures addunt.

VII. 4. *Et à foro.* Subauditur *Venientes*, seu *Cùm venerint*, ùt quædam græca supplent. Porrò rectiùs legi cum Sixto V. *à foro*, quàm cum Clementinis *áforo*, dixi libro 2. fol. 271.

v. 8. *Traditionem.* Etiam græca habent singularem, & in illis ipsis Vulgatæ codicibus, qui hic habent *Traditiones*, est v. 5. & 9. *Traditionem*.

v. 9. *Irritum facitis.* Græcè *Abrogatis*.

v. 15. 18. 20. 23. *Communicare.* Ita habetur verbo tenus in græco, sed quoad sensum *Coïnquinare*, ùt verbum κοινῶσαι multoties est translatum in Vulgata, etiam in Editione Clem. VIII. v. g. hoc ipso Cap. V. 15. Item Matth. xv. 11. 18. 20. Unde optimè sensum exprimit Editio Sixti V. habens ubique *Coïnquinare*.

VIII. 1. *Cùm turba multa esset.* Ad supplementum sensûs additur in Bibliis Sixti V. & aliquibus aliis latinis *Cum Jesu*, quod non est in græcis.

v. 28. *Dicentes.* Nec græca, nec nisi pauca latina subdunt *Alii*.

v. 38. *Confusus... confundetur.* Sic esse scribendum dixi libro 2. fol. 272.

IX. 4. *Et Moysi unum.* Etiam græca præponunt *Et*.

v. 40. *Aqua.* Nec in græcis, nec in latinis sequitur *Frigidæ*, quod additur in Bibliis Sixti V. & paucis latinis, sed huc translatũ videtur ex Matth. X. 42.

X. 17. *In viam.* Sic græca, quæ non addunt *Dicens*.

v. 41. *Cœperunt indignari.* Ita gr.

XI. 6. *Dimiserunt eis.* Sive *Eis* legas sive *Eos* cum Sixto V. variis latinis, ac

græ-

græcis, utrumque debet ad discipulos referri.

v. 15. *Veniunt.* Quod Biblia Sixti V. addunt *Iterum*, est paucorum græcorum, ac latinorum.

ỷ. 31. *Dicet.* Nec græci codices, nec plerique latini addunt *Nobis*, omnes tamen subintelligunt.

XII. 25. *Sed sunt.* Sic græca, in quibus non additur *Dei*.

ỷ. 33. *Holocautomatibus.* Sic est in græco, sed idem planè significatur voce *Holocaustomatibus.*

XIV. 43. *Lignis.* Quod Biblia Sixti V. & alia quædam latina addunt *Missi*, hoc pleraque græca, & latina tantùm subintelligunt.

ỷ. 46. *In eum*, nempè *Jesum.* Ita quoque græca.

ỷ. 58. *Per triduum.* Hoc significat græcum διὰ τριῶν ἡμερῶν, id est Tempore trium dierum. Eadem tamen verba græca in omnibus Vulgatæ codicibus sunt translata Matth. XXVI. 61. *Post triduum.*

XV. 43. *Ab Arimathæa.* Ita gr.

v. 46. *Involvit sindone.* Ne græca quidem addunt *In*.

XVI. 7. *Præcedit.* Sic gr.

v. 9. *Surgens autem.* Non solùm quædam latina, cum Sixti V. sed etiam pleraque græca addunt *Jesus.*

v. 14. *Novissimè recumbentibus.* Græca nihil interponunt.

L U C A S.

CAp. I. 8. *Cùm sacerdotio fungeretur.* Græca non exprimunt *Zachariam*, sed habent: *In Sacerdotio fungendo ipsum.*

v. 13. *Et uxor tua.* Omnia græca addunt *Et*, prout & ỷ. 15. *Et vinum.*

II. 7. *Non erat eis locus.* Vide libro 2. fol. 272.

v. 15. *Quod Dominus ostendit nobis.* Vide iterum libro 2. fol. 272.

v. 33. *Et erat pater ejus, & mater.* Cum Bibliis Sixti V. Syra & Græca postponunt *Ejus*. Vide libro 2. fol. 272.

v. 37. *Vidua.* Etiam in græco tantùm subauditur *Erat.*

III. 9. *Arborum.* In græco est plurale, in Syro singulare.

v. 14. *Et contenti estote.* Ita gr.

v. 16. *Calceamentorum ejus.* Istud *Ejus* habent etiam græca per Pleonasmum, non inconcinnè tamen omittitur in Editione Sixti V.

v. 31. *Melea.* Ita Gr. & Syra.

IV. 7. *Si adoraveris.* Videtur huc ex Matthæo translatum à quibusdam tum latinis, tum græcis *Procidens*, quod tamen à pluribus græcis & latinis abest.

v. 34. *Scio te quis sis.* Et contextus, & græcum τίς exigunt *Quis*, vel *Qui*, si tamen sumatur pro *Quis.*

V. 8. *Exi à me, quia* &c. Idem verborum ordo est in græco.

v. 13. *Tetigit eum.* Græca non addunt *Jesus.*

v. 22. *Quid cogitatis.* Brugensis: *Quidam libri addunt* Mala *malè: nam Matthæi illud, non Lucæ est.* Interim & Ambrosius hìc in Luca legit *Malè*, & quædam græca idem habent.

VI. 11. *Quidnam facerent Jesu.* Ita etiam

etiam græca, non *De Jesu*.

v. 24. *Divitibus, quia*. Sic gr.

v. 26. *Vobis homines*. Notant Lovanienses ad marginem Bibliorum suorum Græca, Syra, atque aliquot manuscripta Latina omittere *Omnes*; sed in græcis aliquibus, & latinis plerisque additum reperi, prout addidit Sixtus V.

v. 29. *Maxillam*. In græco non additur *Unam*.

VII. 3. *Salvaret*. Sic græca.

v. 11. *Ibat*. v. 37. *Accubuisset*. Neutri additur in græco *Jesus*.

VIII. 14. *Qui ad tempus credunt*. Sic pariter græca, non *Quia*.

v. 23. *Complebantur*. Sic omnia græca, & pleraque Latina. Vide lib. 2. fol. 273.

v. 25. *Quia & ventis*. Etiam in græco mediat *Et*.

v. 27. *Et cum*. In græco non sequitur: *De navi*.

v. 46. *Nam ego novi*. Ante *Ego* non est in græco *Et*.

IX. 1. *Convocatis autem*. Nomen *Jesus* etiam græca omittunt.

v. 15. *Discumbere fecerunt*. Ita esse legendum dixi libro 2. fol. 273.

v. 49. *Nobiscum*. Sic græca.

v. 58. *Ubi caput reclinet*. Addunt *Suum* Ambrosius, Syrus, Editio Sixti V. & aliquot alii Vulgatæ libri; sed omittunt græca, & latina passim.

X. 21. *Exultavit Spiritu sancto*. Nec græca habent *In*.

v. 30. *Suscipiens*. Ita esse legendum ostendi libro 2. fol. 274.

XI. 2. *Adveniat regnum tuum*. An hîc addendum: *Fiat voluntas* &c. Vide libro 2. fol. 274.

v. 13. *Pater vester de cælo*. Ante *De cælo* non est in græco *Cælestis*.

v. 21. *Sunt ea*. In græcis non est *Omnia*.

v. 37. *Et*. Gr. *Autem*; omittitur verò *Jesus*.

v. 42. 43. 44. 52. *Quia*. Ita gr.

XII. 1. *Turbis circumstantibus*. Gr. *Adcongregatis*; cui quoad sensum æquè congruit *Concurrentibus*, quod habent Biblia Sixti V. & plures alii Vulgatæ codices.

v. 2. *Nihil autem*. Ita præcisè græca οὐδὲν δὲ. Miror Ariam Montanum in sua translatione interlineari græci textûs ponere: *Nihil enim*, ad marginem verò *Autem*, atque illud *Enim* cursivo charactere, quasi verò in græco haberetur *Enim*; cùm etiam in ipsius Bibliis sit constanter δὲ, quod nequaquam significat *Enim*, sed *Autem*, & ad summum aliquoties ab Homero pro ὅτι poëticè substituitur.

v. 47. *Non præparavit*. Græca non addunt *Se*. Vide libro 2. fol. 274.

v. 48. *Fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Ita esse interpungendum clarè patet ex græco. Vide libro 2. fol. 274.

XIII. 5. *Si pœnitentiam non egeritis*. In græco est: *Si non pœnitueritis*, eademque græca verba sunt in omnibus Vulgatæ codicibus translata v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis*; unde etiam hoc versu æquè verti potuit *Habueritis*, ùt habent Biblia Sixti V. & varia alia.

v. 30. *Qui erunt*. Ita græca.

XIV. 1. *Cùm intraret*. Videtur magis

gis accedere textui græco lectio Sixti V. *Cùm introïßet*, siquidem habet ἐν τῷ ἐλθεῖν ἀυτὸν *In venisse ipsum*, seu *Cùm venisset*.

v. 12. *Neque vicinos divites*. Nec græca addunt *Neque* ante *Divites*, nec addendum est, ùt dixi lib. 2. fol. 274.

v. 28. *Non priùs*. Græcè ὀυχὶ *Nonne*. Quod tamen Atticè etiam idem valet ac simplex *Non*. Deinde istud *Non* modernæ lectionis potest sumi interrogativè, ut valeat *Nonne*?

XV. 8. *Everrit domum*. Vide libro 2. fol. 275.

Donec inveniat. Etiam in græco tantùm subauditur *Eam*; sed exprimitur in Syro, & variis latinis, signanter Sixti V.

XVII. 7. *Pascentem*. Aliqui codices latini cum Sixto V. addunt *Boves*, alii *Oves*. In græco tantùm est ποιμαίνοντα *Pascentem*; sed verbum hoc græcum vix dicitur de pastore alio, quàm ovium; unde & ποίμνη *Grex ovium* est.

v. 20. *Venit*. Gr. ἔρχεται. Vide supra ad Marci I. 7.

XVIII. 10. *Ascenderunt*. Ita gr.

XIX. 8. *Dominum*. Sic gr. at Syrus *Jesum*.

v. 23. *Et quare*. Ita græca.

v. 30. *Quod contra est*. Hìc post *Contra* non addunt græca *Vos*, sed hoc est apud alios Evangelistas.

v. 37. *Discipulorum*. Ita gr. & syra.

XX. 9. *Homo*. Syra, & varia græca, ac manuscripta latina, cum Bibliis Sixti V. addunt *Quidam*.

v. 10. *In tempore*. Sic græca absque *Illo*, pro quo varia latina habent *Vindemia*.

v. 20. *Caperent*. Contextus non admittit singulare *Caperet*, quod omissâ litterâ *n* videtur merè inadvertenter impressum in Bibliis Sixti V. quandoquidem omnes alii textus, & codices habeant plurale.

v. 36. *Neque enim*. Ita gr. & syra. Multa tamen latina omittunt *Enim*.

XXI. 9. *Oportet primùm*. Græca hìc addunt *Enim*.

v. 17. *Omnibus*. In græco non sequitur *Hominibus*.

XXII. 31. *Ait autem Dominus: Simon, Simon*. Ita duplici Vocativo est etiam in græco.

v. 54. *Sequebatur*. Non sequitur in græco *Eum*.

XXIII. 5. *Commovet*. Etiam in græco est tempore præsenti.

v. 40. *Quòd in eadem*. Sic gr.

v. 51. *Arimathæa* Ἀριμαθαία.

XXIV. 49. *Mitto*. Cùm sit in græco per λ duplex ἀποστέλλω, constat ibidem esse Præsentis temporis: Syrus tamen habet Futurum *Mittam*.

JOANNES.

CAp. I. 29. *Peccatum*. Est etiam in græco singulare.

v. 42. *Jona*. Ita communiter græca, etsi quædam Ἰωάννου.

II. 12. *Post hoc*. Sic græca.

III. 33. *Qui accepit*. Græca quidem non interponunt *Autem*, sed Augustinus cum Bibliis Syris, Sixti V. multisque Latinis aliis.

IV. 4. *Per Samariam*. In græco non mediat *Mediam*.

℣. 6. *Hora erat quasi sexta*. Græca non addunt *Autem*.

v. 18. *Et nunc, quem habes*. Græca habent *Nunc*, non *Hunc*.

V. 11. *Grabatum tuum*. Sic gr.

℣. 24. *Transiit à morte*. Græca etiam habent Præteritum.

℣. 32. *Testimonium quod*. Syra, & quædam græca interponunt *Ejus*.

℣. 43. *Accipitis*. Ita & græca.

VI. 13. *Panibus ordeaceis*. Nec syra, nec græca addunt: *Et duobus piscibus*.

v. 23. *Gratias agente Domino*. Hunc sensum exigunt græca, & syra. Vide libro 2. fol. 278.

v. 33. *Panis enim Dei est*. Ita gr.

v. 35. *Non sitiet unquam*. Sic pleraque græca, aliqua habent simul utramque lectionem: *Unquam in æternum*.

v. 36. *Creditis*. Ita græca.

v. 64. *Non credentes*. Negationem esse addendam dixi libro 2. fol. 279.

v. 70. *Nos credidimus*. Sic gr.

v. 71. *Judam Simonis Iscariotem*. Sic græca.

VII. 2. *Scenopegia*. Sic græca.

v. 4. *Quid*. Ita latina communiùs. Idem porrò valet *Quidquam*, & utrumque dicitur græcè τὶ.

v. 8. *Ascendo*. Sic & græca.

v. 12. *Murmur multum*. Sic modò usitatiùs loquimur, sed apud probatos Auctores legitur *Murmur* masculini generis; unde istud Sixti V. *Murmur multus* habetur passim in antiquis Vulgatæ libris.

VIII. 9. *Audientes autem, unus*. Non videtur addendum *Hæc*, quo etiam græca carent.

v. 23. *Ego de supernis sum*. In græco est ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί. Hoc quoad sensum rectè sic vertes: *Ego sum ex illis, quæ sursum sunt*, id est *De supernis*. Existimo in Editione Sixti V. inadvertenter impressum esse *Superius* pro *Supernis*.

IX. 7. *Vade, lava*. Nec græca, nec pleraque latina interponunt *Et*.

X. 14. *Cognosco meas*. Ita communiter latina, neque græca interjiciunt *Oves*, sed subintelligunt.

XI. 1. *Sororis ejus*. Ita legi debere dixi libro 2. fol. 280.

v. 16. *Ut moriamur*. Sic græca.

v. 29. *Surgit*. In græco est Præsens, in syro Præteritum.

XII. 8. bis *Habetis*. Utroque loco est in græco Præsens.

v. 28. *De cælo*. Etiam græca omittunt *Dicens*.

v. 29. *Alii dicebant*. In græco non est *Autem*.

v. 34. *Quis est*. Non præponitur in græco *Et*.

v. 38. *Isaiæ Prophetæ*. Cur sit omissum in Bibliis Sixti V. *Prophetæ* nescio, cùm & in græco sit additum, & in aliis latinis.

XIII. 5. *Deinde mittit*. Gr. *Injicit*.

v. 10. *Sed est*. Sic græca.

v. 12. *Et accepit*. Eodem loco græci collocant copulam *Et*.

XIV. 6. *Et Veritas*. Istud *Et* etiam in græco habetur.

XV. 22. *Locutus fuissem*. Quòd Editio Sixti V. interponat *Non*, non variat sensum, ùt ex contextu patet; equidem negationem illam & græca non habent, & latina passim omittunt.

XVII. 5. *Esset.* In græco est: *Ante mundum ἔιναι esse.*

v. 12. *Custodivi.* Pronomen *Ego* non exprimitur in græco.

XVIII. 11. *Non bibam illum?* Sic græca; quamvis post S. Augustinum multa Biblia latina, signanter Sixti V. habeant: *Non vis ut bibam illum?*

℣. 35. *Pontifices.* In græco non additur *Tui.*

℣. 40. *Clamaverunt ergo.* Ita gr.

XIX. 38. *Ab Arimathæa.* Sic gr.

XX. 26. *Dixit.* Non sequitur in græco *Eis.*

℣. 27. *Dicit.* Sic etiam græca.

XXI. 1. *Discipulis.* Hanc vocem & syra, & græca addunt.

℣. 6. *Dicit eis.* Græcum ἔιπεν ἀυτοῖς significat *Dixit eis.*

℣. 13. *Dat eis.* Ita etiam græca.

℣. 16. *Dicit ei: Pasce.* Hoc loco non est in græco *Iterum.*

℣. 22. *Dicit ei.* λέγει Præsens est, non Præteritum.

ACTUS APOSTOLORUM.

CAp. II. 29. *Defunctus est, & sepultus.* In Editione Clem. VIII. magis concinnè omittitur, quod in Sixti V. & plerisque antiquis latinis post *Sepultus* additur *Est*, ita: *Defunctus est, & sepultus est.* Equidem utrumque importatur per græca.

℣. 33. *Hunc, quem.* Sic est in græco, sed in syro: *Hoc donum, quod.*

III. 11. *Cùm teneret.* Græca: *Tenente autem sanato claudo Petrum.* Hinc monet Lucas Brugensis: *Cave legas Videret, aut plurale* Tenerent, *pro singulari* Teneret.

℣. 18. *Deus autem quæ praenunciavit.* Sic est in græco, & ita legendum esse monet Index correctorius pro Bibliis Vaticanis 1592. Vide lib. 2. fol. 285.

IV. 2. *Annunciarent in Jesu.* Hanc lectionem præstare dixi lib. 2. fol. 285.

V. 3. *Petrus: Anania.* Subintelligitur quidem, sed non exprimitur in græco istud quorumdam latinorum codicum, signanter Sixti V. *Ad Ananiam*, pro quo tamen in syro, atque aliquibus græcis, & latinis est: *Ad eum.*

VII. 1. *Habent.* Græcum ἔχει est præsentis temporis, non imperfecti.

℣. 6. *Semen ejus.* Ita communiter græca, quædam tamen habent *Tuum.*

℣. 8. *Et Isaac Jacob, & Jacob.* Sic omnes textus, & codices, excepto Sixti V. in quem irrepsit mendosè *Et* inter *Isaac* & *Jacob.*

℣. 40. *Moyses enim hic.* In græco est pariter Nominativus.

℣. 43. *Trans Babylonem.* Sic græca, V. Beda, & Hieronymus in Amos.

℣. 48. *Sicut Propheta.* Ita græca.

℣. 55 *A dextris Dei.* Nec hîc, nec ℣. 56. additur in græco *Virtutis.*

VIII. 11. *Magiis suis.* Ita syra, & græca μαγείαις, quod etiam significat *Magicis artibus* (ùt habent quidam libri latini) sed non simpliciter *Magicis*; huic enim correspondet græcum μαγικοῖς.

IX. 20. *In synagogis.* Ita syra, & gr.

℣. 25. *Discipuli.* Non rectè addi *Ejus*, probavi libro 2. fol. 285.

℣. 34. *Sanat te.* Sic gr. & syra.

X. 4.

X. 4. *Quid est Domine?* Sic græca.

XI. 5. *Mentis.* In græco non additur *Mea.*

XII. 4. *Custodiendum.* Cùm sit in syro & græco: *Custodire illum*, patet æquè, si non magìs congruum esse, quod habent varii latini libri, signanter Sixti V. *Ad custodiendum*, sicuti etiam in nostra Editione similis Infinitivus græcus transfertur ℣. 13. *Ad audiendum.*

℣. 9. *Autem.* Sic græca.

℣. 13. *Ad audiendum.* Græcè: *Subauscultare.*

℣. 16. *Cùm autem aperuissent.* Non est dubium quin subintelligatur *Ostium*, sed non exprimitur in græco.

XIII. 6. *Usque Paphum.* Græcum ἄχρι & *Usque* significat, & *Usque ad.*

Bariesu. Sic est in græco, & libris correctis, inquit Lyranus: nec satìs fundatum est, quòd V. Beda contendit legendum *Barieu.*

℣. 22. *Filium Jesse.* Magìs exactum est, quod & Editio Sixti V. & Biblia Lovaniensium hìc habent nomen *Jessæ* per diphthongum; ita enim scribitur tum in græco Ἰεσσαί, tum in hebræo ישי *Ischaj.*

℣. 33. *Filiis nostris.* De hac lectione vide dicta libro 2. fol. 287.

℣. 43. *Colentium advenarum.* Syra, non græca interponunt *Deum.*

XIV. *Erant.* Latina, & græca passim omittunt illa, quæ hìc in quibusdam græcis, & latinis, signanter in Sixti V. sequuntur: *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem, & Barnabas morabantur Lystris.*

℣. 16. *Corda nostra.* Est hæc lectio communior; tamen varii libri græci & latini habent *Vestra*, vel *Eorum* ùt Sixti V.

℣. 24. *In Perge.* Ita græca, & syra; circumstantiæ quoque exigunt Ablativum.

XVI. 1. *Pervenit autem Derben.* Hoc magìs Latinum est; aliàs *In Derben*, quod habet Codex Sixti V. & plerique antiquiores Vulgatæ, magìs correspondet græco.

v. 12. *Conferentes.* Ita ex usu sæpiùs sumitur græcum διατρίβοντες, quamquam propriè significet *Commorantes*, *Versantes*, atque adeò *Consistentes*, ùt est in Editione Sixti V. & variis aliis latinis.

XVIII. 15. *De... nominibus, & lege vestra.* Sic habent græca, sed Lovanienses: *De... nominibus & legis vestræ.* Verùm si legatur in genitivo congruentiùs omittitur *Et*, prout fit in Codice Sixti V. *De... nominibus legis vestræ.*

v. 23. *Galaticam regionem.* Ita non solùm græca, sed etiam cetera latina; unde credo per inadvertentiam excidisse litteram *c* in Editione Sixti V.

XIX. 1. *Quosdam discipulos.* Sic gr.

v. 11. *Non quaslibet.* Gr. *Non vulgares*, sine addito *Modicas.*

v. 14. *Quidam.* Ita etiam græca in Nominativo plurali, nec addunt *Nomine.*

v. 19. *Combusserunt.* Non exprimitur in græco *Eos.*

XX. 4. *Sopater.* Sic communiter per tres syllabas scribitur in græco, in aliquibus tamen est Σωσίπατρος, quod est Sixti V. & variorum latinorum.

℣. 11. *Allocutus*. Debet legi ſine *Eſt*, cùm in græco non ſit Verbum, ſed Participium ὁμιλήσας.

℣. 15. *Aliâ*. Subintelligitur *Die*, ſed in græco non exprimitur.

XXI. 10. *Quidam*. In græco non additur *Vir*.

℣. 16. *Venerunt autem* &c. Sic græca paſſim, aliqua addunt: *Quidam*.

Ibid. *Mnaſonem*. Ita etiam hujus viri nomen ſcribitur in græco, & ſyro.

v. 37. *Qui dixit*. Ita græca ſine *Ei*.

XXII. 3. *Dicit*. Sic græca.

XXIII. 22. *Præcipiens ne*. Neque hoc, neque ℣. 26. *Scribens epiſtolam*, interponitur in græco *Ei*.

℣. 29. *Nihil verò dignum morte, aut vinculis habentem criminis*. Editio Sixti V. nihil in ſenſu diſcrepat, ſed parumper in verbis: *Nullum verò dignum morte, aut vinculis habentem crimen*. Græcum μηδὲν & *Nihil*, & *Nullum* ſignificat, de cetero eſt in græco *Crimen* accuſativo caſu, imò conſtructio græca exigit lectionem Sixti V. Μηδὲν δὲ ἄξιον θανάτου, ἢ δεσμῶν ἔγκλημα ἔχοντα. *Nullum verò dignum mortis, aut vinculorum crimen habentem*. Satìs enim patet, quòd ibi μηδὲν incongruè verteretur *Nihil*, quod habent Biblia Lovanienſium: *Nihil... crimen habentem*; hoc etenim inconcinnè dicitur. At noſtra moderna lectio: *Nihil... criminis habentem* etiam irreprehenſibilis eſt, & ſenſu cum Sixtina, & græca convenit.

XXIV. 4. *Audias nos*. Gr. *Audire te nos*, quod æquè benè verti poſſet: *Ut audias nos*, ſicut habet Codex Sixti V. & antiquiores latini paſſim.

℣. 18. *Tumultu*. Quæ hîc adduntur in Editione Sixti V. *Et apprehenderunt me* &c. abſunt & à græcis, & à pleriſque latinis.

℣. 25. *Accerſam*. ℣. 26. *Accerſens*. Dicitur utrumque *Accerſo* & *Accerſio*; unde etiam *Accerſam*, *Accerſiam*; *Accerſens*, *Accerſiens*.

XXV. 4. *Servari Paulum*. Græca non interponunt *Quidem*.

℣. 16. *Crimina*. Subintelligitur quidem: *Quæ ei objiciuntur*, ſed nec in græco exprimitur, nec in pleriſque latinis.

v. 24. *Videtis hunc*. In græco non additur *Hominem*.

XXVI. 17. *De populo, & gentibus*. Singulare *Populo* etiam habent græca. Imò ſyra: *De populo Judæorum*.

XXVII. 9. *Eo quòd & jejunium*. Græca interponunt *Et*.

v. 43. *Emittere ſe primos*. Non addunt græca *In mare*.

XXVIII. 7. *Benignè exhibuit*. In græco non eſt *Se*, ſed ibi habetur: *Amicè*, ſeu *Amanter hoſpitavit*, ſive *Hoſpitio recepit*.

AD ROMANOS.

CAp. I. 13. *Habeam & in vobis*. Syrus, & varia græca addunt *Et*; non pauca tamen omittunt.

II. 28. *In manifeſto*. Neque hîc, neque poſt *In carne* exprimitur in græco *Eſt*, neque v. 29. poſt *Abſcondito*.

III. 3. *Fidem Dei evacuabit*. Græcè *Inutilem reddet*.

v. 25. *Propitiationem*. Græcum ἱλαστήριον

ριον proprie significat *Propitiatorium*; nam *Propitiatio* dicitur ἱλασμός. Si tamen vocem illam græcam hîc sumas ut sit Accusativus Masculinus ab Adjectivo ἱλαστήριος, *Propitiatorius*, hoc est is qui propitium reddit, poterit verti *Propitiatorium*, atque hoc sensu *Propitiationem*, item *Propitiatorem*, ùt & multa latina habent cum Sixto V. atque etiam textus syrus.

IV. 2. *Ex operibus.* In græco non additur *Legis.*

v. 17. *Cui credidit.* Sic gr.

v. 18. *Semen tuum.* Nec græca, nec syra addunt: *Sicut stellæ cæli, & arena maris.*

v. 19. *Fide.* Græca, & pleraque latina omittunt *In.*

v. 21. *Promisit, potens.* Quod Editio Sixti V. interponit *Deus*, græca tantùm subintelligunt.

V. 2. *Per quem & habemus.* Etiam in græco est *Et.*

v. 8. *Quoniam cùm adhuc* &c. In græco est: *Quoniam adhuc peccatoribus existentibus nobis.* Vide infra hoc libro Cap. IV. sect. 3.

v. 20. *Superabundavit gratia.* Græca non interponunt *Et.*

VI. 3. *Ignoratis, quia.* Pauca græca & latina interjiciunt *Fratres.*

v. 8. *Christo.* In plerisque græcis est *Illo*, sed in omnibus vel habetur, vel intelligitur *Christus.*

v. 16. *Nescitis?* Gr. *Non scitis?*

VII. 4. *Fructificemus.* Ita græca.

v. 19. *Bonum, hoc facio* &c. His correspondet græcus textus.

VIII. 30. *Glorificavit.* Hoc verbotenùs significat ἐδόξασε, non *Magnificavit.*

IX. 1. *In Christo.* Pauca tantùm græca, & latina addunt *Jesu.*

v. 5. *Et ex quibus.* In græco pariter *Et* præponitur.

v. 22. *Apta.* Κατηρτισμένα magìs *Adaptata* significat, quàm *Apta.*

v. 24. *Vocavit nos non solùm.* Istud *Non* exigit tum textus græcus, tum contextus Vulgatæ. Puto illud per inadvertentiam esse omissum in Editione Sixti V.

X. 21. *Contradicentem.* Nec in græco, nec in plerisque latinis additur *Mihi.*

XI. 9. *In laqueum.* Non quidem in græco, sed in syro, & variis latinis præponitur: *Coram ipsis.*

v. 36. *In sæcula.* Omittunt græca, & pleraque latina *Sæculorum.*

XII. 10. *Charitate.* Sic græca, nempè *Fraterna-charitate*, seu *Amore in sese mutuo propensi.*

v. 15. *Gaudere* &c. Ita & græca. Vide libro 2. fol. 293.

v. 19. *Mihi vindicta, ego retribuam.* Hoc correspondet græco, in quo omittitur *Et*, estque *Vindicta* in Nominativo.

XIII. 2. *Quæ autem sunt* &c. Lectioni modernæ suffragantur græca, & syra. Vide libro 2. fol. 293.

XV. 21. *Audierunt.* In græco non additur *De eo.*

v. 22. *Et prohibitus sum usque adhuc.* Hæc in plerisque græcis desiderantur.

v. 30. *Adjuvetis me.* In græco non mediat *Et.*

XVI. 5. *Primitivus Asiæ.* Non interponunt Græca *Ecclesiæ.*

In

In Christo. Græci codices non addunt *Jesu.*

℣. 6. *Laboravit in vobis.* Ita textus syriacus; græcus in quibusdam habet *Vobis*, in quibusdam *Nobis.*

℣. 7. *Juniam.* Sic gr. & syra.

℣. 23. *Arcarius.* Græcè *œconomus*, *Procurator*; unde hîc *Arcarius* dicitur ab *Arca*, nec scribendum est *Archarius.*

AD CORINTHIOS I.

CAp. I. 10. *Sententia.* Sic pleraque latina, ac græca, Græcique Commentatores, & Syrus textus. Vide libro 2. fol. 293.

℣. 14. *Gratias ago Deo.* Syra addunt *Meo*, non græca.

℣. 16. *Ceterùm nescio, si quem alium baptizaverim.* Sic est præcisè in græco, non *Ceterorum*, non *Autem*, non *Vestrûm.*

II. 9. *Ascendit.* Ita græca.

℣. 14. *Examinatur.* Gr. ἀνακρίνεται, quod in omnibus latinis transfertur ℣. 15. *Judicatur*, propriè verò significat *Dijudicatur*, nempè homo ille animalis. Potest etiam transferri *Dijudicantur*, sive *Examinantur*; At tunc referendum est ad præcedentia, scilicet ad *ea, quæ sunt spiritus Dei*, ad quæ dijudicanda incapax est animalis homo. Ita varii explicant, & legendum autumant, ac legunt Biblia Sixti V. & plura alia.

℣. 15. *Judicatur.* In græco non additur: *Sicut scriptum est.*.

℣. 16. *Qui instruat eum.* Sic gr.

V. 5. *Hujusmodi.* In græco non additur *Hominem.*

℣. 11. *Nominatur.* Græca non addunt *Inter vos.*

VI. 11. *Et hæc quidam fuistis.* Sic syra, & græca. Vide libro 2. fol. 293.

℣. 18. *Omne peccatum.* Non græca, sed syra, & varia latina addunt *Enim.*

VII. 7. *Volo enim.* Ita passim græca, sed & aliqua δὲ *Autem.*

v. 24. *Unusquisque.* Non sequitur in græco *Ergo.* Ibid. *In quo vocatus est fratres.* Etiam syra, & græca habent *Fratres.*

℣. 26. *Existimo ergo.* Sic est in græco, non *Enim*, vel *Autem*, ùt aliqui.

VIII. 6. *Nobis tamen unus Deus.* Græca non interponunt *Est*, quod tamen addi volunt Indices Romani.

℣. 10. *In Idolio.* Hoc est Templo Idolorum. Hanc lectionem circumstantiæ textûs exigunt, & reliqua omnia Vulgatæ exemplaria, itemque græcum εἰδωλείῳ. Quapropter non dubito, quin littera *i* exciderit de codice Sixti V. *In Idolo.*

℣. 11. *Scientia.* Γνώσει est *Scientia*, non *Conscientia.*

X. 17. *Unus panis.* In græco non sequitur *Et.*

De uno pane. Non nisi paucissima græca subdunt: *Et de uno calice.*

℣. 27. *Infidelium.* Non invenitur in græco textu: *Ad cœnam.*

XI. 10. *Potestatem.* Sic est in græco, intelligitur tamen *Velamen.* Vide dicta fol. 294. Nota etiam non esse in græco *Et* ante *Propter Angelos.*

XIV. 2. *Spiritu autem loquitur mysteria.* Ita pariter græca.

v. 16. *Qui supplet locum.* Gr. *Supplens locum.*

v. 21.

v. 21. *In lege.* Sine *Enim* eſt in pleriſque latinis, & in omnibus græcis.

v. 23. *Quòd inſanitis.* Sic gr.

v. 25. *Occulta cordis ejus.* Deeſt *Enim* & in latinis fermè omnibus, & in cunctis græcis; hæc tamen pleraque præponunt: *Et ſic*, id eſt: Hoc modo, & medio *occulta cordis ejus manifeſta fiunt.*

v. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt.* Ita etiam in plurali græca, ſed ſyra in ſingulari.

v. 40. *Fiant.* Non addunt græca *In vobis.*

XV. 14. *Inanis eſt ergo.* Gr. ἄρα *Ergo*, *Utique.*

v. 26. *Noviſſima* &c. Græca: *Ultimus inimicus abolebitur mors.*

v. 27. *Cùm autem dicat.* Non additur in græco *Hac.*

v. 31. *Per veſtram gloriam.* Vide libro 2. fol. 294.

XVI. 12. *Non fuit voluntas.* Videtur ſubaudiri *Ejus*, quod addunt pleraque latina cum Sixto V. ſed in græco omittitur.

v. 19. *Salutant vos Eccleſiæ.* Syra addunt *Omnes*, non græca.

AD CORINTHIOS II.

CAp. I. 6. *Tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute.* Ita græca, & latina paſſim.

Et ſalute; quæ operatur. Hîc etiam græca addunt: *Et ſalute*, quod tamen conformiter ad ſyra, omittunt Biblia Sixti V. & varia alia latina.

v. 11. *Ut ex multorum perſonis.* Ita legendum eſſe docui libro 2. fol. 295.

v. 18. *Eſt, & Non.* Hoc verſu nec in græco, nec in pleriſque latinis additur: *Sed Eſt in illo fuit*: Iſtud tamen pertinet ad finem v. 19.

v. 19. *Non fuit Eſt.* Neque hîc interponunt græca *In illo.*

II. 5. *Contriſtavit.* Græca non addunt *Me.*

IV. 9. *Non derelinquimur.* Non reperitur in græco illud, quod Biblia Sixti V. & quædam alia latina ſubjungunt: *Humiliamur, ſed non confundimur.*

VI. 16. *Qui autem conſenſus?* Sumitur hîc *Qui* pro *Quis*, prout non malè habet Editio Sixti V. quæ in hoc exactiùs correſpondet græco τίς;

VII. 4. *In omni tribulatione noſtra.* Ita græca.

VIII. 18. *Fratrem, cujus.* Latini & Græci paſſim, non tamen omnes, omittunt *Noſtrum.*

v. 20. *A nobis.* Iſtud Sixti V. *In Domini gloria*, nec in græcis eſt, nec in pleriſque latinis.

v. 23. *In vos adjutor.* Accuſativus *Vos* eſt magis conformis græco εἰς ὑμᾶς.

Gloria Chriſti. Sic eſt in græco.

IX. 3. *Miſi autem.* Sic græca.

XI. 23. *Miniſtri Chriſti ſunt.* Græca hîc non addunt: *Et ego.*

XII. 2. *Sive in corpore, neſcio.* Etiam hoc loco eſt in græco: *Non novi.*

v. 11. *Nihil enim minùs fui.* In græco eſt *Nihil enim* ὑςέρησα *Inferior*, aut *Poſterior fui*, ab ὑςερέω *Sum inferior*, ſive *Poſterior.*

XIII. 2. *Ut præſens.* In græco non additur *Vobis*, ſed τὸ δεύτερον. *Secundò.*

℣. 4. *Vivemus cum eo.* Futurum est in græco, in syro Præteritum *Viximus.*

AD GALATAS.

CAp. I. 3. *Deo Patre.* Non additur in græco *Nostro.*

II. 5. *Subjectione.* Vide lib. 2. f. 296.

III. 1. *Christus præscriptus est.* Ita legendum esse, ex græco, syro, arabico docui libro 2. fol. 296.

℣. 12. *Qui fecerit ea.* Additur in variis græcis, sicut in Sixti V. *Homo.*

℣. 19. *Propter transgressiones.* Græcè: *Transgressionum causâ.* Syrus tamen habet singulare sicut Sixt. V.

IV. 6. *Estis filii.* Pauca tantùm græca addunt *Dei.*

℣. 11. *Timeo vos.* Sic gr.

℣. 30. *Non enim heres.* Ita gr.

V. 7. *Non obedire.* Superfluit, deestque in græco: *Nemini consenseritis*; lectum tamen fuisse temporibus Hieronymi, constat ex ipso, & Pelagio.

℣. 16. *Dico autem.* Græca non addunt: *In Christo.*

AD EPHESIOS.

CAp. I. 15. *In Domino Jesu.* Sic est in græco, at in syro: *In Domino nostro Jesu Christo.*

II. 1. *Et vos.* Non sequitur in græco *Convivificavit.*

℣. 11. *Vos gentes.* In græcis omnibus, & latinis plerisque tantùm subintelligitur *Eratis.*

Qui dicimini. Græcè οἱ λεγόμενοι, quod non exactè vertitur *Dicti*, aut *Nuncupati*, quia est Participium valens tum Præsens, tum Imperfectum, unde non malè Biblia Sixti V. & varia latina alia: *Qui dicebamini.*

℣. 12. *Quia eratis.* Sic græca.

℣. 22. *In spiritu.* In græco non additur *Sancto.*

III. 16. *Virtute corroborari.* Ita gr.

In interiorem hominem. Accusativus magìs congruit græco εἰς &c.

IV. 22. *Deponere vos.* Infinitivus etiam est in græco, legiturque ab Hieronymo; regitur autem ab eo, quod præcessit: *Edocti estis.* Aliàs non turbat sensum, sed juvat istud Sixti V. & variorum latinorum: *Deponite vos.*

℣. 30. *In diem redemptionis.* Ita & græca. Vide libro 2. fol. 297.

V. 26. *Mundans lavacro.* Græca non interponunt *Eam.*

℣. 27. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.* Hæc lectio est communior, planior, & conformior græco textui, quàm illa Sixti V. *In gloriosam.* Vide dicta libro 2. fol. 297.

VI. 15. *In præparatione.* Præstat Ablativus, nam in græco est ἐν, quod significat quietem *in* loco, non εἰς, quod magìs propriè motum *ad* locum importat.

v. 20. *Catena.* In gr. non additur *Ista.*

v. 23. *A Deo Patre.* Græca non addunt *Nostro.*

AD PHILIPPENSES.

CAp. I. 9. *In scientia.* Non interponitur in græco *Omni.*

v. 14. *Et plures.* Ita gr.

Con-

Confidentes vinculis meis. In græco non mediat *In.*

III. 4. *Quamquam ego habeam confidentiam & in carne.* Eadem est in græco constructio.

v. 21. *Operationem.* In græcis non additur: *Virtutis suæ.*

AD COLOSSENSES.

CAp. I. 12. *Deo Patri.* Multi græci & latini codices habent cum Sixto V. *Deo, & Patri.* Vide lib. 2. f. 298.

v. 14. *Redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Hîc omnes textus variant. Vide dicta lib. 2. fol. 298.

v. 22. *Exhibere vos sanctos.* Gr. *Sistere vos sanctos.* Sensum optimè exprimunt Biblia Sixti V. *Ut exhiberet vos sanctos.*

v. 25. *In vos.* Sic & græca.

II. 7. *Confirmati fide.* Biblia Sixti V. *Confirmati in fide*, quomodò præcisè græca. Videtur hic alius sensus, nempè quòd in ipsa fide sint confirmati, nec à fide Christiana excidant. Lectio moderna ingerit sensum hunc: quòd per ipsam fidem sint in bono confirmati.

III. 4. *Cùm Christus.* Pauca tantùm græca & latina addunt *Autem*, sed multa latina *Enim.*

v. 10. *Agnitionem.* In græco non additur *Dei.*

v. 11. *Ubi non est gentilis.* Non nisi in paucis græcis hîc præcedit *Masculus & femina.*

v. 16. *Psalmis.* Græca non præponunt *In.*

v. 17. *Omnia in nomine Domini Jesu Christi.* Græca tantùm subintelligunt *Facite*, quod cum syris quædam latina exprimunt. Etiam in græcis passim omittitur *Christi*, & *Nostri.*

IV. 9. *Omnia, quæ* &c. In græco præponitur *Qui.*

v. 16. *Et eam... vos legatis.* Alii cum Sixto V. legunt eodem sensu: *Et ea, quæ Laodicensium est vobis legatur.* Sed prior lectio magìs correspondet constructioni textûs græci.

v. 18. *Gratia vobiscum.* Non mediat in græco: *Domini nostri Jesu Christi.*

AD THESSALONICENSES I.

CAp. I. 1. *In Deo Patre.* Græca non addunt *Nostro.*

II. 1. *Ante passi.* Non sequitur in græco *Multa.*

IV. 15. *In adventum Domini.* Accusativus magìs convenit & circumstantiis, & græco textui.

V. 3. *In utero habenti.* Ita gr.

v. 13. *Pacem habete.* Græca non præponunt *Et.*

v. 23. *Servetur.* Sic græca.

AD THESSALONICENSES II.

CAp. I. 11. *Bonitatis.* Nec græca, nec pleraque latina addunt *Suæ.*

v. 12. *Et Domini Jesu Christi.* In græco non interponitur *Nostri*; Imò hoc esse delendum monet Index correctorius pro Bibliis anni 1592.

III. 4. *De vobis.* Non sequitur in græco *Fratres.*

Quæ præcipimus. Græcum ἃ significat

cat *Quæ*, non *Quæcumque*, etsi hoc importetur per sensum.

℣. 16. *Dominus.* Sic etiam græca.

AD TIMOTHEUM I.

CAp. I. 9. *Sciens hoc.* Sic gr.

℣. 12. *Christo Jesu.* Græca passim omittunt *In*.

℣. 17. *Immortali, invisibili.* Nihil in græco mediat.

II. 2. *In sublimitate sunt.* Gr. *In sublimitate existentium.*

℣. 6. *Testimonium temporibus suis.* In græco non præcedit *Cujus*, nec sequitur passim: *Confirmatum est.*

III. 2. *Oportet ergo.* Sic gr.

℣. 14. *Hæc tibi scribo.* Non addunt græca: *Fili Timothee.*

IV. 3. *Nubere, abstinere.* Copula non mediat in græco.

V. 15. *Retro Satanam.* Græcum ὀπίσω & *Post*, & *Retro* significat; unde alterum sufficit, nec debet dici: *Retro post.*

℣. 28. *Quosdam autem & subsequuntur.* Eodem modo est in græco.

VI. 8. *His contenti simus.* In Bibliis Sixti V. & Clem. VIII. 1593. rectiùs legi *Simus*, quàm in aliis passim *Sumus*, ex græco textu, & latino contextu probavi libro 2. fol. 299.

AD TIMOTHEUM II.

CAp. I. 2. *Misericordia, pax à Deo Patre.* Ante vocem *Pax* & græca omnia, & latina pleraque omittunt *Et*, quod tamen addit textus syrus; sed nec hic, nec græcus post *Patre* subdit *Nostro.*

℣. 3. *Deo.* Nec syra, nec græca passim addunt *Meo*, sed syra post *Progenitoribus* habent *Meis*, quod tamen non est in græcis.

℣. 15. *Scis hoc.* Non additur in græco *Enim.*

Phigellus. Ita etiam scribitur in græco φύγελλος, nisi quod ibi non sit *i* sed *y*. Aliqui scribunt per unum *l* *Phigelus*, qualiter est in Bibliis Lovaniensium, & Vaticanis 1592. Sed ab hoc diversus fuit ille *Philetus*, de quo hâc Epistolâ Cap. II. 17.

℣. 18. *A Domino.* Sic græca passim, pauca tamen habent *Deo.*

II. 5. *Non coronatur.* Ita græca.

℣. 14. *Domino.* Græca consentiunt.

℣. 19. *Qui nominat.* Gr. *Nominans.*

IV. 11. *In ministerium*, seu *Ad ministerium*, gr. εἰς διακονίαν.

AD TITUM.

CAp. I. 8. *Benignum, sobrium.* Posset hîc interponi *Prudentem*, nam σώφρονα etiam *Prudentem* significat. Vide dicta lib. 2. ad I. Timot. III. 2. f. 299.

℣. 12. *Ventres pigri.* Sic Biblia Clementis VIII. 1593. 1598. Sic est in græco γαστέρες ἀργαί. Sic legere suadet contextus, sic Vulgatæ libri passim omnes novi & antiqui. Sic denique est apud Epimenidem Gentilem Poëtam, ex quo sententiam hanc desumpsit Apostolus.

Quamvis autem congruum sensum etiam habeat istud Sixti V. 1590. & Clem. VIII. 1592. *Ventris pigri*, omninò tamen existimo, in utraque illa Editione per inadvertentiam impressam fuisse litteram *i* pro *e*, nempè *Ventris*, pro *Ventres*.

AD

AD PHILEMONEM.

VErsu 2. *Appia*. Videtur scribendum per duplex *p*; imò in græco est Απφία *Apphia*; sed ùt notat Calepinus, Latini sæpè in nominibus græcum φ efferunt per *p*.

ỳ. 20. *Ita frater*. gr. ναὶ ἀδελφὲ. Puto per incuriam Typographi in Editionem Sixti V. irrepsisse *Facies*, pro *Frater*, quod omnes codices, & textus habent. *In Domino*. Sic pleraque græca, quædam tamen habent sicut Biblia Sixti V. *In Christo*, quomodò etiam syra.

AD HEBRÆOS.

CAp. I. 14. *Hereditatem capient*. Græcè *Futuros hereditare*.

II. 10. *Per passionem consummare*. In græco est etiam activum τελειῶσαι *Consummare*; sed ibi est plurale διὰ παθημάτων *Per passiones*.

III. 2. *Qui fecit illum*. gr. *Facienti illum*.

ỳ. 11. *Sicut juravi*. Ita nunc græca ὡς *Sicut*, fortè tamen antiquitus fuit ibi οἷς *Quibus*, ita enim cum Sixto V. legunt omnia passim Biblia antiqua latina.

ỳ. 19. *Introire*. Græca hîc non addunt: *In requiem ipsius*.

IV. 3. *Sicut juravi*. Vide dicta III. 11.

ỳ. 14. *Teneamus confessionem*. Non interponunt græca: *Spei nostræ*.

ỳ. 16. *Gratiæ*. Syrus, non græcus addit *Ejus*.

V. 11. *Ininterpretabilis*. Sic etiam græca, & syra. Vide dicta lib. 2. f. 301.

VI. 10. *Non enim injustus Deus*. In græco tantùm subauditur *Est*.

VII. 23. *Sacerdotes*. Græca non addunt: *Secundùm legem*.

v. 25. *Accedentes* &c. De hujus loci genuinâ lectione disputavi lib. 2. f. 301.

IX. 7. *Offert*. Sic græca, sed Beda: *Offerret*.

v. 10. *Et variis*. Gr. sine *In*.

v. 28. *Expectantibus*. Subintelligitur: *Omnibus*, sed nec in græco exprimitur.

X. 6. 8. *Holocautomata*. Ita penè ubique in græco scribitur; quamvis idem planè significet, quod hîc, & alibi passim habetur in Editione Sixti V. *Holocaustomata*.

v. 16. *Dando*. gr. *Dans*. syr. *Dabo*.

v. 30. *Mihi vindicta*. Sic gr. & syr.

v. 37. *Modicum aliquantulum*. Græca passim μικρὸν, ὅσον ὅσον. *Parùm*, sive *Modicum quantum quantum*, seu *quantulumcumque*. Aliqua tamen omittunt secundum ὅσον.

XI. 11. *In conceptionem*. Hoc est: *Ad concipiendum*; etenim in græco est εἰς, quod magìs propriè vertitur latinè per Accusativum, quàm per Ablativum.

v. 17. *Qui susceperat*. Non debet scribi: *In quo*, nam in græco est: *Ille promissiones suscipiens*.

v. 34. *Effugerunt*. Ita græca.

XII. 18. *Accensibilem*. gr. *Accensum*.

XIII. 2. *Latuerunt*. Sic esse legendum, ostendi libro 2. fol. 303.

JACOBI.

CAp. I. 25. *In legem perfectam libertatis*. Sic syra, & græca. Vide lib. 2. fol. 304.

 II. 13.

II. 13. *Non fecit.* Gr. *μὴ ποιήσαντι. Non facienti*, sed involvit Præteritum, q. d. *Ei, qui non fecerit.*

III. 4. *Ecce & naves.* Ita & græca, in quibus post *Circumferuntur*, nec est *Autem*, nec *Enim.*

℣. 9. *Ad similitudinem Dei.* Græca non habent: *Ad imaginem, & similitudinem Dei.*

℣. 17. *Non judicans, sine simulatione.* Sic esse legendum probavi lib. 2. f. 304.

IV. 1. *Nonne hinc?* In græco etiam est *Hinc.*

℣. 11. *Alterutrum fratres.* Græca non addunt *Mei.*

℣. 12. *Unus est.* Non sequitur in græco *Enim.*

℣. 14. *Quid erit in crastino.* In græco est *τὸ τῆς αὔριον*, quod presse vertas: *Id quod est crastinæ*, supple *Diei.*

V. 6. *Addixistis.* Sic est in græco. Nota quæ dixi libro 2. fol. 304.

℣. 8. *Appropinquavit.* Ita græca.

℣. 13. *Tristatur aliquis vestrum? Oret. Æquo animo est? Psallat.* Ita esse legendum, & interpungendum, probavi libro 2. fol. 304.

I. PETRI.

CAp. I. 9. *Animarum.* Omittitur in græco *Vestrarum.*

℣. 13. *Perfectè.* Sic græca.

℣. 15. *Et ipsi in.* Græcus textus non præponit *Ut.*

℣. 25. *In vos.* Græca *εἰς In*, seu *Ad vos.*

II. 2. *Rationabile, sine dolo lac.* Ita etiam V. Beda, & syra. Græca: *Illud rationabile, expers fraudis*, seu *Non-dolosum lac.* Non est ergo legendum: *Rationabiles.*

℣. 5. *Domus spiritualis.* In nominativo singulari etiam græca, & syra.

℣. 6. *Angularem, electum.* Græca non interponunt *Probatum.*

℣. 20. *Gloria.* gr. *κλέος Laus, Gloria*, nempè gloriandi materia.

III. 3. *Vestimentorum.* Disjunctiva particula nulla adjungitur in græco.

℣. 8. *In fine.* Ita gr. Vide lib. 2. f. 305.

℣. 15. *Quæ in vobis est spe.* In græco non additur *Fide &.*

℣. 16. *Detrahunt vobis.* Hoc magìs latinum est, quàm *De vobis.* In græco est καταλαλοῦσιν ὑμῶν *Male-loquuntur de vobis*, aut etiam *Obloquuntur vobis.*

℣. 17. *Melius est enim benefacientes.* Post *Enim* non sequitur in græco *Ut.*

℣. 18. *Mortificatus... Vivificatus.* Ita græca, & syra. Vide dicta lib. 2. f. 305.

IV. 3. *Potationibus.* Non additur in græco *Ebrietatibus*; sed hæc videtur esse alia translatio ejusdem vocis *πότοις.*

v. 18. *Et si justus vix.* Sic græca, non addito *Quidem.*

V. 13. *Coëlecta.* Hoc significat græcum Συνεκλεκτὴ, non *Collecta.*

PETRI II.

CAp. I. 15. *Ut horum memoriam.* In græco non est *Omnium.*

v. 16. *Doctas fabulas.* Hoc est industriè confictas. Vide libro 2. fol. 306.

II. 13. *Coïnquinationes.* Ita etiam græca Nominativo plurali.

v. 16. *Hominis voce loquens.* V. Beda, Biblia Regia, & Sixti V. ac græca: *In hominis voce loquens.*

III. 13. *Secundùm promissa.* Sic græca.

I. JOAN-

I. JOANNIS.

CAp. II. 4. *Nosse eum.* Græcè αὐτὸν *Eum*, non Θεὸν *Deum*.

v. 24. *Si in vobis.* In græco non præponitur *Quia*.

v. 27. *Vos unctionem.* Sic græca.

IV. 13. *De spiritu suo dedit.* Græca non addunt *Sancto*.

V. 12. Biblia Sixti V. post *Filium*, bis addunt *Dei*. Biblia Lovaniensium tantùm addunt ultimo loco, Græca pauca priori; posteriori verò passim.

v. 14. *Ad eum.* Ita græca.

JOANNIS II. ET III.

IN Epistola II. non præmittuntur in græco versui 12. hæc, quæ habent Biblia Sixti V. *Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini.*

Epist. III. v. 14. *Saluta.* Græca non exprimunt *Tu*.

JUDÆ.

VErsu 11. *Væ illis quia.* Sic græca.

v. 16. *Superba.* Ita græca, non *Superbiam*.

v. 18. *In novissimo tempore.* In græco pariter est singulare, nisi quòd in quibusdam codicibus legatur: *In novissimo temporum.*

APOCALYPSIS.

CAp. II. 1. *Angelo Ephesi.* Nec græca, nec pleraque latina præmittunt *Et*.

v. 4. *Habeo adversum te.* Nec Primasius legit, nec in græco sequitur hoc loco *Pauca*.

v. 5. *Venio tibi.* Græca subdunt ταχὺ *Cito*; & ἔρχομαι *Venio* involvit aliquid de Futuro. Vide dicta lib. 2. fol. 312.

v. 12. *Romphaeam utraque parte acutam.* Græcè: *Gladium illum* δίστομον *duplicis-oris* (hoc est *Duplicis aciei*) *illum acutum.*

IV. 1. *Fieri.* Non additur in græco *Citò*.

v. 2. *Et statim.* Sic græca.

v. 8. *Alas senas: & in circuitu.* Istud *Et* non mediat in græco, nec in plerisque latinis antiquis, prout nec in Bibliis Sixti V.

VI. 6. *Denario.* Neutro loco additur in græco *Uno*.

VIII. 5. *Thuribulum.* Hîc non addunt græca *Aureum*, sed ex ℣. 3. tam in græco, quàm latino constat *Aureum* fuisse.

X. 4. *Ego scripturus eram.* Græcè ἔμελλον γράφειν. *Futurus eram scribere*; ubi non exprimitur *Et*, imò nequidem *Ego*, quod tamen propter Emphasim Interpres expressit.

XI. 4. *Stantes.* Sixti V. *Stantia*, quod est conformiùs græco, & refertur ad *Olivas*, & *Candelabra*, de quibus præcessit. Vide dicta libro 2. fol. 313.

v. 17. *Deus omnipotens.* Græca non interponunt *Noster*.

v. 19. *Voces, & terræ motus.* Addunt græca Καὶ βρονταὶ *Et tonitrua*; imò aliqua omittunt σεισμὸς *Concussio*, seu *Terræ motus*.

XIV. 16. *Et demessa est terra.* Ità præcisè græca.

XV. 3. *Via tua, Rex.* In græco non additur *Domine*.

XVI. 2. *Primus.* Subintelligitur in græco, sed non exprimitur *Angelus.*

Adoraverunt imaginem ejus. In græco non mediat: *Bestiam, &c.*

℣. 7. *Audivi alterum ab altari.* Etiam in græco est *Ab altari.*

℣. 13. *De ore Pseudoprophetæ.* Quod Primasius, & aliqui Vulgatæ libri, cum Bibliis Sixti V. addunt *Exire*, subintelligitur quidem, sed non exprimitur in græco, & plerisque antiquis latinis.

℣. 16. *Armagedon.* Quædam græca habent per unum *d*, quædam per duplex *Armageddon.*

XVII. 4. *Inaurata auro.* Ex textu fit evidens mero typographico mendo haberi in Romanis 1593. 1598. 1624. *Inaurato.* Vide dicta libro 2. fol. 314.

℣. 14. *Vocati, electi.* Græca cum plerisque antiquis latinis, & Bibliis Sixti V. interjiciunt *Et.*

XVIII. 6. *Quo miscuit.* Non nisi pauca græca addunt *Vobis.*

℣. 12. *Cinnamomum.* Latinè passim scribitur per geminum *n*, sed per unicum in græco textu, prout & in Editione Vaticana anni 1592. In variis, non omnibus Bibliis Hentenii, & Lovaniensium scribitur mendosè *Cynamomum.* In græcis aliquibus etiam additur *Amomum*, prout in Bibliis Sixti V.

XIX. 1. *Salus.* Ita græca.

℣. 9. *Dixit mihi: Hæc verba.* Est in græco, sicut in Sixti V. præsenti λέγει *Dicit*, quomodò etiam est in Plantinianis, aliisque passim.

℣. 13. *Vocatur.* Sic & græca.

XXI. 23. *Illuminavit.* Ita græca.

XXII. 1. *Aquæ vitæ.* Eodem modo græca.

CAPUT TERTIUM.

Quædam alia concernentia Editionem Sixti V.

ARTICULUS PRIMUS.

Index locorum, in quibus textui originalis linguæ magìs verbaliter concordat Editio Sixti V. quàm Editiones Clementis VIII. sicut ex Reflexionibus Capitis præcedentis colligi potest.

GEnes. Cap. VIII. 9. IX. 22. X. 7. 13. 16. XVI. 1. XVII. 25. XXII. 5. XXX. 25. XXXV. 8. XLI. 50. XLIII. 17. XLIV. 17. XLVIII. 3.

Exod. II. 14. 22. III. 20. IV. 14. V. 14. VII. 9. IX. 27. XII. 42. XXV. 38. XXVIII. 14.

Levitic. II. 15. IV. 2. VI. 9. XV. 31. XXVI. 45.

Numer. VII. 2. XII. 4. XV. 36. XVII. 3. XVIII. 28. 29. XXII. 4. 8.

Deuteron. XVIII. 10. XXVI. 11.

Josuë VI. 4 VII 5 XI. 22. XVI. 2. XVII. 12. XIX. 15.

Judi-

Judicum VII. 23. XVII. 1. XVIII. 31. XXXII. 18. XXXVII. 23. XLVII. 17.
II. Regum XI. 27.
III. Regum VIII. 23.
I. Paralipomenon VII. 15.
I. Esdræ II. 2. VIII. 3.
II. Esdræ III. 19. VII. 39. XI. 17.
Job XXIII. 7.
Psalmi XXV. XXXIII. LVI. LVII. LVIII. in Titulis. CI. 25. CXVIII. 48. CXLII. in Titulo. CXLIII. 9.
Proverb. XIV. 5. 9. XVIII. 24. XXI. 22. XXIV. 27. XXVII. 26. XXX. 31
Cantic. II. 13.
Sapient. XI. 5.
Ecclesiastic. I. 36. XVII. 30. XXV. 23. XXXI. 13. 32. XLV. 12. XLVII. 15. L. 26.
Isaiæ XXIX. 6. LII. 5.
Jerem. XXVII. 16. XXXII. 12. LII. 29.
Baruch IV. 6.
Ezechiël. III. 22. IV. 17. XIV. 22. XXXII. 18. XXXVII. 23. XLVII. 17.
Daniël II. 23.
Oseë VII. 1.
Joël I. 15.
I. Machab. V. 30. XIII. 15. XV. 23. 39.
II. Machab. IV. 21.
Matthæus II. 13. VII. 29. X. 4.
Marcus I. 40. II. 12. V. 13. VII. 4. XI. 6.
Lucæ II. 33. XIV. 28. XX. 9. XXI. 9.
Joannis XXI. 6.
Act. Apost. II. 29. XII. 4. XIII. 22. XVI. 1. XXIII. 29.
Ad Romanos VI. 8. IX. 22.
II. Corinth. VI. 16.
Ad Galatas III. 12.
Ad Colossenses I. 12. II. 7.
I. Timoth. VI. 8.
II. Petri II. 16.
I. Joannis V. 12.
Apocalypsis II. 5. IV. 8. XI. 4. 19. XVII. 4. 14. XIX. 9.

ARTICULUS 2.

Differentia quoad Titulos librorum Sacrorum inter Editiones Sixti V. & Clementis VIII.

CLEMENT. VIII.	SIXT. V.
Liber Genesis Hebraïcè Beresith.	Liber Genesis.
Liber Exodus hebraïcè Veelle Semoth	Liber Exodi.
Liber Levitici hebraïcè Vaicra.	Liber Levitici.
Liber Numeri hebraïcè Vajedabber.	Liber Numeri.
Liber Deuteronomii hebraïcè Elle haddebarim.	Liber Deuteronomii.
Liber Josuë hebraïcè Jehosua.	Liber Josuë.
Liber Judicum hebraïcè Sophetim.	Liber Judicum.
Liber primus Samuëlis, quem nos primum Regum dicimus.	Liber primus Regum.

Clement. VIII.	Sixt. V.
Liber ſecundus Samuëlis, quem nos ſecundum Regum dicimus.	Liber ſecundus Regum.
Liber Regum tertius ſecundùm Hebræos Primus Melachim.	Liber tertius Regum.
Liber Regum quartus ſecundùm Hebræos Melachim ſecundus.	Liber quartus Regum.
Liber primus Paralipomenon hebraïcè Dibre hajamim.	Liber primus Paralipomenon.
Liber ſecundus Paralipomenon hebraïcè Dibre hajamim.	Liber ſecundus Paralipomenon.
Liber Nehemiæ, qui & Eſdræ ſecundus dicitur.	Liber ſecundus Eſdræ.
Liber Proverbiorum, quem Hebræi Miſle appellant.	Liber Proverbiorum.
Eccleſiaſtes, qui ab Hebræis Coheleth appellatur.	Eccleſiaſtes.
Canticum canticorum Salomonis, quod hebraïcè dicitur: Sir haſirim.	Cantica canticorum.
Prophetia Iſaïæ.	Liber Iſaïæ Prophetæ.
Prophetia Jeremiæ.	Liber Jeremiæ Prophetæ.
Threni, id eſt Lamentationes Jeremiæ Prophetæ.	Threni Jeremiæ Prophetæ.
Prophetia Baruch.	Liber Baruch Prophetæ.
Prophetia Ezechiëlis.	Liber Ezechiëlis Prophetæ.
Et ita reſpectivè de omnibus ſequentibus Prophetis.	
Epiſtola Catholica B. Jacobi Apoſtoli.	Epiſtola Canonica B. Jacobi Apoſtoli.
Epiſtola Beati Petri Apoſtoli prima.	Epiſtola Canonica Beati Petri Apoſtoli prima.
Epiſtola Beati Petri Apoſtoli ſecunda.	Epiſtola Canonica Beati Petri Apoſtoli ſecunda.
Epiſtola B. Joannis Apoſtoli prima.	Epiſtola Canonica B. Joannis Apoſtoli prima.
Epiſtola Beati Joannis Apoſtoli ſecunda.	Epiſtola Canonica Beati Joannis Apoſtoli ſecunda.
Epiſtola Beati Joannis Apoſtoli tertia.	Epiſtola Canonica Beati Joannis Apoſtoli tertia.
Epiſtola Catholica B. Judæ Apoſtoli.	Epiſtola Canonica B. Judæ Apoſtoli.
Apocalypſis B. Joannis Apoſtoli.	Liber Apocalypſis Beati Joannis Apoſtoli.

Titulos illorum librorum prætermisi, qui planè iidem erant in utraque Editione, v.g. *Liber primus Esdræ.* Et ita de aliis.

In Editione Sixti V. primò fuit impressus Titulus *Canticum Canticorum*; sed chartâ per pultem appositâ litteris impressis, mutatum est in plurali: *Cantica Canticorum.* Hoc factum videtur propterea, quòd usu communiori vocetur hic liber: *Cantica*, & dicamus in officio Ecclesiastico: *De Canticis Canticorum.* Aliàs in hebræo est singulare שִׁיר הַשִּׁירִים *Sir has-sirim. Canticum canticorum*, hoc est *Excellentissimum Canticum.*

ARTICULUS 3.

In Codice Vaticano Sixti V. sunt quædam post impressionem correcta, litteris impressis chartulâ per pultem superpositâ verbo priùs impresso, sunt autem loca sequentia. Porrò correctio facta est præcisè quoad illa, quæ hic cursivo charactere sunt impressa.

GENESIS XLI. 20. consumptis *prioribus.*
NUMERORUM XXVI. 24. familia *Jasubitarum.*
IV. REGUM VI. 17. *In circuitu* Elisei.
JUDITH I. 2. *In altitudinem* cubitorum.
JOB XVIII. 11. *Involvent pedes ejus.*
PSALM. XXXVIII. 3. Silui à *bonis.*
PSALM. CXLVIII. 6. Statuit *ea.*
PROVERB. XXX. 32. *Est*, qui stultus.
CANTIC. II. 8. Iste *venit* saliens.
IV. 1. Sicut *greges* caprarum.
℣. 2. Sicut *greges* tonsarum.
VII. 1. Quid *videbis* in.
VIII. 5. Ascendet *de deserto.*
SAPIENT. VIII. 12. *Sermocinante* me plura.
℣. 17. quoni*am immortalitas* est.
ECCLI. V. 17. *denotatio* pessima.
XVIII. 33. in *sacculo.*
XXV. 4. *senem* fatuum.
ISAÏÆ XIV. 16. *inclinentur*, teque prospic*iant.*
LII. 5. *nunc quid* mihi est hîc?
BARUCH IV. 20. *Exui me* stola pacis.
EZECH. XXI. 11. & iste *limatus* est.
XXVI. 14. dabo te in *limpidissimam.*
DANIEL. III. 3. *Tyranni*, & Optimates.
MICHÆ. IV. 4. subtus *vitem* suam.
I. MACHAB. V. 42. Neminem *hominum* relinquatis.
MARC. X. 1. Et *inde* exurgens.
APOCAL. III. 14. Laodiciæ Ecclesiæ *scribe.*

ARTICULUS 4.

In Bibliis Sixti V. 1590. *deprehendi quædam manifesta menda typographica hujus singularis præli; sunt autem sequentia.*

GENESIS XIV. 15. Pecrussitque *pro* Percussitque. *Vide supra fol.* 386.
XVII. 22. Ad Abraham *pro* Ab Abraham. *Vide fol.* 386.

XVIII. 28. Delebis quia *pro* Delebis propter. 386
XXIV. 41. Non dederit *pro* Non dederint 387
XXIX. 24. Lian, *pro* Liam. *Posset quidem græcâ terminatione & hic dici* Lian, *& Num. VIII. 2.* Borean; *sed his locis non ita scribitur in aliis Vulgatæ libris.* 388
Exod. XXXI 11. aromathum *pro* aromatum.
Levit. XX. 9. *Omissa sunt illa:* Patri matrique maledixit 394
Numer. VIII. 2. Borean *pro* Boream
XIII. 27. Aaaron *pro* Aaron
XXX. 11. *Sunt hoc versu multa omissa.*
Deuter. XXVIII. costodias *pro* custodias.
XXXII. 49. Transitum *pro* Transituum. 399
Judic. XIII. 5. *Omissum:* Concipies, & 402
XVII. 1. *Hæc omissa:* Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei 403
I. Reg. IX. 7. sitarchiis *pro* sitarciis 168
II. Reg. XX. 26. Jatrites *pro* Jaïrites 406
III. Reg. XII. 10. *Est omissum:* Sic loquêris ad eos 407
IV. Reg. VI. 29. dixitque *pro* dixique 409
XIV. 23. Joïas *pro* Joas 409
XXIII. 23. Natamelech *pro* Natanmelech 409
XXV. 23. Metophathites *pro* Netophatites 410
II. Paral. XXVIII. 10. & & Jerusalem
II. Esdr. II. 6. constituit *pro* constitui 413
Job XV. 34. & & ignis
XXIX. 14. diedemate *pro* diademate
Psalm. XXXIX. 11. melericordiam *pro* misericordiam
Psalm. LXIV. 11. inebrians *pro* inebria 419
Proverb. XXV. 24. *Hîc omissa sunt ista:* Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi. 423
Eccle. II. 17. vite *pro* vitæ 424
Isaïæ XXXIV. 11. Ibix *pro* Ibis 431
XL. 12. liberavit *pro* libravit 237
Ezech. III. 20. euis *pro* ejus
XXIV. 21. filii vestri, filiæ *pro* filii vestri, & filiæ 436
Osee XIII 9. tu *pro* tua
Zachar. III. 9. celabo *pro* cælabo
I. Mach. X. 21. *II.* Machab. I. 9. 18.
Joan. VII. 2. Scenophegiæ *pro* Scenopegiæ. *Ex græco* Σκηνοπηγία *patet derivari à* σκηνὴ *Tabernaculum, &* πηγνύω *Figo,* q. d. *Tabernaculorum fixio; non verò à* φάγω, *sive* φηγω. *Manduco, quasi Scenophegia diceretur, quòd istis diebus in Tabernaculis manducarent.*
Matth. XXIII. 23. Hypochritæ *pro* Hypocritæ
Luc. XX. 20. caperet *pro* caperent
Joan. VIII. 9. superius *pro* supernis.
Act. VII. 8. & Isaac & Jacob *pro* & Isaac Jacob
Roman. IX. 24. nos solùm *pro* nos non solùm 455
I. Corinth. VIII. 10. Idolo *pro* Idolio
Tit. II. 2. pudidici *pro* pudici.
Philem. 20. facies *pro* frater
I. Petri III. 18. pro pro injustis.

AR-

ARTICULUS 5.

Reliqua notatu digna circa Editionem Sixti V.

IN Bibliis Vulgatæ à Sixto V. editis anno 1590. nullæ habentur Notæ marginales, seu Concordantiæ, per quas in Bibliis modernis indicatur liber, caput, & versus quibus eadem, quæ in isto loco sunt, etiam in aliis libris sacris habentur.

Nulla quoque sunt in istis Bibliis Sixtinis argumenta librorum desumpta ex S. Hieronymo, aut aliis.

Deest etiam in illis Oratio Manassis, item liber tertius, & quartus Esdræ. Hæc autem tria addita sunt ad calcem, hoc est post finem librorum sacrorum in Editione Vaticana Vulgatæ facta jussu Clementis VIII. anno 1592.

In hac tamen Editione Clementina etiam desunt argumenta librorum desumpta ex S. Hieronymo; quæ tamen iterum sunt resumpta in Editione Vaticana sequentis anni, nempè 1593. in qua illa sunt collocata in principio ante librum Genesis.

In eadem Editione anni 1593. additæ sunt concordantiæ marginales, item ad finem librorum Sacrorum, & post librum quartum Esdræ explicationes Nominum Hebræorum, & Græcorum, item Index rerum, sicuti illa modò passim imprimuntur; sed non argumenta singulorum Capitum, quæ nunc ordinariè adjunguntur in Bibliis noviter impressis ante initium uniuscujusque capitis.

In Editione Sixti V. 1590. non sunt etiam ad marginem textûs sacri appositæ litteræ Alphabeticæ marginales, quibus capita singula in majores sectiones dividuntur; quæ litteræ reperiuntur in aliis Bibliis impressis tam antiquis, quàm recentioribus. In editione tamen illa Sixti V. ad marginem textûs sacri adnotantur versus; sed planè alio numero, quàm in Editionibus Clementis VIII. Porrò numerus versuum, qui est in Bibliis Clementinis, idem servatur in Bibliis Plantinianis, & aliis recentioribus.

Multò autem plures versus sunt, seu minutiores sectiones in Bibliis Clementis VIII. hoc est in nostra Vulgata moderna, quàm in illis Sixtinis anni 1590. In hac siquidem non dividuntur singula capita in tam multos versus, v. g. Caput septimum libri Numerorum in Editione Sixti V. tantùm dividitur in versus 20. quod tamen in Editione Clementis VIII. habet versus 89.

Porrò Editio Clementina servat præterpropter distinctionem numerumque versuum, juxta divisionem olim factam à Rabbinis, seu Doctoribus Judæis dictis *Massorethis*.

CAPUT QUARTUM.

De differentia, quæ est inter Biblia Vulgatæ edita typis Vaticanis per Clementem VIII. anno 1592. & anno 1593.

SECTIO PRIMA.

PRÆMONITIO.

ABſolutis illis, quæ mihi videbantur dicenda, & pro bono publico proponenda circa Editionem Sixti V. factam anno 1590. reſtant varia tractanda, quæ concernunt tum Editiones Vaticanas factas juſſu Clementis VIII. tum Plantinianas, quas potiùs, quàm Vaticanas ſecuti ſunt omnes Typographi, qui nunc per centum annos ubique locorum Biblia Vulgata Latina typis mandarunt.

Cùm enim rariſſima ſint Exemplaria Romana; at Plantiniana quaquaverſum diſperſa, & pluſquam vigeſies impreſſa, idque accuratiſſimè, atque exactiſſimè, quantùm attinet errores typographicos ſingulis typis irrepentes. Cùmque Plantiniana putata ſint cum Vaticanis ad amuſſim convenire; illis pro exemplaribus præli ſui potiùs quàm Vaticanis uſi ſunt Typographi.

Interim tamen (prout collationibus accuratis per meipſum inſtitutis deprehendi) nec Vaticana Clementis VIII. inter ſe, nec Plantiniana cum Vaticanis exactè in omnibus conveniunt, quod in ſequentibus demonſtrabo.

Hanc equidem differentiam nemo hactenùs, quantùm ſcio, Theologorum, aut Criticorum obſervavit, ſed econtrariò exiſtimarunt omnes, & tanquam indubitatum ſuppoſuerunt inter illa Biblia eſſe omnimodam exactiſſimamque concordiam.

Priùs igitur exhibebo ſchematicè differentiam inter primam & ſecundam Editionem Vulgatæ factam typis Vaticanis ſub Clemente VIII. Primam nempè anno 1592. ſecundam verò anno 1593. Ita nimirum proponendo, ſicut in iiſdem Bibliis eſt impreſſum, quamvis pleræque differentiæ ortæ ſint ex errore typographorum, quæ omnia enucleatè tractabo, poſt exhibitum ſchema.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

Loca in quibus Differunt Biblia Vaticana Clementis VIII. 1592. & Clementis VIII. 1593.

GENESIS.

6	Hoſtium	XIX.	Oſtium
64	conſpectu	XXIV.	conſpecto

LEVITICUS.

4	convicta delicti, ſ reddet omnia.	VI.	convicta delicti, reddet ſ omnia.
27	omnis	XVIII.	omnes
19	teſta	XIX.	texta

NUMERI.

31	arreptas	XI.	arreptans

JOSUË.

29	Præcepitque, &	VIII.	Præcepitque Joſuë, &
41	Goſen	X.	Gozen
9	combuſſit	XI.	combuſſit igni
7	filiis Iſraël	XII.	filii Iſraël
18	Jaſſa	XIII.	Laſſa

JUDICUM.

22	& dixit ei	IV.	dixit ei

I. REGUM.

VI. 21. VII. 1. 2.	Caria Thiarim	VI. & VII.	Cariathiarim
3	& duæ	XXVII.	& David, & duæ

II. REGUM.

20	Viri ejus	III.	Viris ejus
29	nec deficiet		nec deficiat
22	in Iſraël, & ludam	VI.	in Iſraël, & Judam
28	Amnon vino, &	XIII.	Amnon, &
22	filii Sarviæ	XIX.	filiæ Sarviæ
25	Elica de Arori	XXIII.	Elica de Harodi

III. REGUM.

11	Nepha Dor	IV.	Nephath Dor
31	in ingreſſu	VI.	ingreſſu
23	qui ambulant	VIII.	qui ambulabant
13	Hæccine	IX.	Hæcine

IV. RE-

	Clement. VIII. 1592.		Clement. VIII. 1593.
	IV. REGUM.		
21	hoſtium	IV.	oſtium
19	fecerat Joakin	XXIV.	fecerat Joakim
	I. PARALIPOMENON.		
5. & 6.	Caria Thiarim	XIII.	Cariathiarim
	II. PARALIPOM.		
12	coram altare uno	XXXII.	coram altari uno
	I. ESDRÆ.		
15	ſextus Darii Regis	VI.	ſextus regni Darii Regis
	JUDITH.		
20	Jebuzæum	V.	Jebuſæum
1	hoſtia	XIII.	oſtia
23	ſubſtulerat	XVI.	ſuſtulerat
	JOB.		
28	Deum altiſſimum?	XXXI.	Deum altiſſimum.
	PSALMI.		
in Titulo	Allophili	LV.	Allophyli
46	in teſtimoniis	CXVIII.	de teſtimoniis
1	Domine non eſt exaltatum	CXXX	Domine non exaltatum.
	ECCLESIASTES.		
18	Dixi in corde meo de	III.	Dixi in corde
	ECCLESIASTICUS.		
41	fluvii Dioryx	XXIV.	fluvii dioryx
17	ipſe ſperavi	XXXIII.	ipſe ſpe ſperavi
10	quæruntur filii	XLI.	queruntur filii
	ISAIAS.		
7	ſermone mendacii	XXXII.	ſermone mendaci
20	filii ſterilitatis	XLIX.	filiis ſterilitatis
5	retrorsùm non abii	L.	retrorsùm non abiit
20	per centum annorum	LXV.	puer centum annorum
	JEREMIAS.		
31	inter morientis	IV.	intermorientis
3	Amon	XXV.	Ammon
13	venturus eſſet	XLVI.	venturus eſt
24	in manu populi		in manus populi
26	in manu quærentium		in manus quærentium
	in manu Nabuchodonoſor		in manus Nabuchodonoſor
42	immiſericordes	L.	miſericordes

BA-

	CLEMENT. VIII. 1592.		CLEMENT. VIII. 1593.

BARUCH.

28	præcepiſti ei	II.	præcepiſti eis
22	terra Chanaam	III.	terra Chanaan

EZECHIEL.

18	accingent	VII.	accinget
28	evagina te... lima te	XXI.	evaginate... limate
19	Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid iſta ſignificant, quæ tu facis? Et dixi ad eos	XXIV.	Et dixit ad eos
1	ſex cubitos latitudinis inde	XLI.	ſex cubitos inde
1	per viam ducentem	XLII.	per viam educentem

DANIEL.

26	in pomaria	XIII.	in pomario

NAHUM.

17	Sol ortus eſt earum, & avolaverunt, & non eſt cognitus locus ubi fuerint.	III.	Sol ortus eſt, & avolaverunt, & non eſt cognitus locus earum ubi fuerint.

I. MACHABÆORUM.

80	jecerunt jacula	X.	ejecerunt jacula
52	qui cum ipſo fuerant	XII.	qui cum ipſo erant

II. MACHABÆORUM.

9	datis ei	VIII.	datis eis

MATTHÆUS.

28	cùm veniſſet	VIII.	cùm veniſſent
4	Simon Cananæus	X.	Simon Chananæus
1	aſſumit	XVII.	aſſumpſit
53	legiones Angelorum?	XXVI.	legiones Angelorum.
43	ſi vult, eum	XXVII.	ſi vult eum.

MARCUS.

11	Et quicumque	VI.	Quicumque
26	contriſtatus eſt Rex propter jusjurandum: &		contriſtatus eſt Rex: propter jusjurandum &
15	introiens	VII.	& introiens
30	invenit		& invenit
42	abſcinde	IX.	abſcide

LUCAS.

34	qui ſis	IV.	quis ſis
23	dixit	X.	dicit

	Clement. VIII. 1592.		Clement. VIII. 1593.
48	fecit digna, plagis vapulabit	XII.	fecit digna plagis, vapulabit
		JOANNES.	
36	dicit: Ecce Agnus	I.	dixit: Ecce Agnus
13	qui sanus	V.	quis sanus
54	Si ergo glorifico	VIII.	Si ego glorifico
		ACTUS APOSTOLORUM.	
18	qui prænunciavit	III.	quæ prænunciavit
2	in Jesum	IV.	in Jesu
6	virum magnum	XIII.	virum magum
20	fornicatione	XV.	fornicationis
15	Sylam	XVII.	Silam
21	ad Cæsaream	XXV.	ad Cæsarem
		AD ROMANOS.	
8	secundùm tempus Christus	V.	secundùm tempus. Christus
		I. CORINTH.	
13	Deus autem & hunc	VI.	Deus autem hunc
		AD EPHESIOS.	
21	Virtutem, & Dominationem	I.	Virtutem, Dominationem
9	partes terræ.	IV.	partes terræ?
27	in gloriosam Ecclesiam	V.	gloriosam Ecclesiam
		II. THESSALON.	
12	nomen Domini Jesu & Domini nostri Jesu	I.	nomen Domini nostri Jesu & Domini Jesu
		I. TIMOTH.	
8	his contenti sumus	VI.	his contenti simus
		II. TIMOTH.	
15	Phigelus	I.	Phigellus
		AD TITUM.	
12	ventris pigri	I.	ventres pigri
2	Apiæ	**PHILEM.**	Appiæ
13	despumantes	**JUDÆ.**	dispumantes
		APOCALYPSIS.	
4	tertius Angelus effugit	XVI.	tertius Angelus effudit
4	inaurata	XVII.	inaurato
12	Cinamomum	XVIII.	Cinnamomum.

Sunt præterea quædam aliæ differentiæ inter utramque hanc Editionem; sed quæ consistunt in minusculis, atque evidenter patentibus typi nævis horum, aut istorum Codicum, quas equidem differentias inferiùs referemus inter

inter menda harum Editionum. Prius inquiramus utra ex lectionibus differentibus hic allegatis retinenda sit.

SECTIO TERTIA.

Observationes ad loca differentia in Bibliis Clementis VIII. annorum 1592. & 1593.

SIcut in fine Sectionis praecedentis notavi, multae differentiae lectionum inter haec, & ista Biblia, hoc est primae, & secundae Editionis Vaticanae Clementis VIII. consistunt in mero errore, seu naevo typographico; siquidem in utroque praelo non satis accuratè attenderunt illi, qui typis praeerant; ac propterea in Bibliis Vaticanis impressis anno 1598. appositus est duplex Index, sive Catalogus. Horum unus allegat loca corrigenda in Bibliis anni 1592. Alter exhibet corrigenda in Codicibus anni 1593.

Indices istos producam post has observationes. De illis autem praemonendus erat Lector, quia Indices illos saepiùs hic citare oportebit. Allegabo autem in citatione, Scripturae loca juxta lectionem illam, quae mihi apparet melior, sive illa sit in Codice anni 1592. sive in exemplaribus anni 1593.

GENESIS.

Cap. XIX. 6. *Occludens ostium.* Minùs Latinè dicitur *Hostium*; unde omnes penè libri Vulgatae habent *Ostium*, atque ita legendum, seu corrigendum esse in Bibliis Vaticanis anni 1592. monet Index correctorius pro Bibliis istis.

Cap. XXIV. 64. *Rebecca quoque conspecto Isaac.* Ita omnia Vulgatae Exemplaria, exceptis Vaticanis anni 1592. in quibus mero typi naevo habetur *conspectu*, quod corrigitur per Indicem.

LEVITICUS.

Cap. VI. 4. *Convicta delicti, 5 reddet omnia.* Distinctio versuum in Bibliis Vulgatae arbitraria est, neque per Ecclesiam, aut Pontificem aliquem constituta, sed per nescio quos privatos ad meram commoditatem usurpari coepta circa annum 1540. Ordinariè quidem versus finiri notantur completo sensu, saepiùs tamen novus incipit in media sententia, prout hîc fit in Bibliis anni 1593. in illis siquidem versûs quinti principium notatur post verbum *Reddet*; ita: *Convicta delicti, reddet 5 omnia.* Hoc sequuntur Biblia posteriora, signanter Plantiniana.

Fatendum tamen est, versûs quinti exordium magis congruè collocari ante *reddet*, sicuti fit in Bibliis anni 1592. qualiter etiam collocaverunt Lovanienses in suis Bibliis.

Cap. XVIII. 27. *Omnes enim execrationes istas.* Ita esse legendum & contextus clamat, & monet Index pro Bibliis 1592. in quibus errore typographi-

co habetur *Omnis*.

Cap. XIX. 19. *Veste, quæ ex duobus texta est*. A *Texo*, non dicitur Latinè *Testa*, sed *Texta*, ùt corrigendum esse in Bibliis 1592. Index monet.

NUMERI.

Cap. XI. 31. *Ventus... arreptas trans mare coturnices, detulit*. Participio activo *Arreptans* habent Biblia 1593. ac recentiora passim; at Vaticana 1592. Participio passivo *arreptas*, quod etiam est in variis recentioribus, & in Bibliis Sixti V. 1590. ac in antiquioribus passim; imò in Vaticanis 1598. iteratò est impressum *arreptas*, quasi Editio anni 1593. esset corrigenda. In hebræo, & græco est: *Ventus arripuit*. Huic quoad Præteritum tempus magìs accedit *Arreptas*, sed quoad Activum, meliùs quadrat *Arreptans*. Vide supra hoc libro fol. 395.

JOSUË.

Cap. VIII. 29. *Præcepitque Josuë, &c*. Addendum esse *Josuë* monet Index pro Bibliis 1592. adduntque textus hebræus græcusque, & alij Codices Latini. In Vaticanis 1592. inadvertenter omissum hoc nomen, equidem subintelligitur.

Cap. X. 41. *Omnem terram Gosen*. Cùm sit in hebræo גשן in græco Γεσὲμ, in quibus vocibus nulla est littera z, patet non per z, sed per s scribi debere, quod monet Index pro Bibliis 1593. & alter pro Bibliis 1598. in quibus etiam irrepserat *Gozen*. Vide supra fol. 400.

Cap. XI. 9. *Combussit igni*. Sola Biblia 1592. omittunt *igni*, quod in aliis textibus, & latinis libris additum, etiam in Vaticanis 1592. addendum notat Index correctorius.

Cap. XII. 7. *Quos percussit Josue, & filii Israël*. Ex contextu, & omnibus aliis latinis codicibus, textibusque hebræo, & græco patet, esse merum præli mendum, quo pro *filii* irrepsit *filiis* in Editionem Vaticanam 1592. Istud proinde corrigendum monet Index pro Bibliis istis.

Cap. XIII. 18. *Et Jassa, & Cedimoth*. Hebræo יהצה est magìs conforme *Jassa*, quàm *Lassa*, quod inadvertenter impressum fuit in Editione Vaticana 1593. sed in illis ipsis Codicibus ad calcem notatur esse corrigendum, prout & in Indice Correctorio, de quo supra, habentque *Jassa* omnes alii Vulgatæ libri.

JUDICUM.

Cap. IV. 22. *Egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei*. Ipse contextus clamat copulam *Et* hìc incongruè præponi verbo *Dixit* in Vaticanis 1590. & 1592. Imò Index Romanus pro Bibliis 1592. monet istud *Et* esse delendum. Vide dicta fol. 402.

I. REGUM.

Cap. VI. 21. & VII. 1. 2. *Cariathiarim*. Miror compositores Indicis correctorii non animadvertisse notabile mendum, quo in Bibliis Vaticanis anni 1592. impressum est quinque diversis locis, nempè 1. Reg. VI. 21. VII. 1. 2.

&

& I. Paral. XIII. 5. 6. *Caria Thiarim*, cùm reliqua omnia Biblia habeant *Cariathiarim* unâ voce compositâ, ex his duabus *Cariath-Jarim*; imò etiam ipsa Biblia anni 1592. habent *Cariathiarim* omnibus aliis locis, in quibus ejusdem civitatis nomen occurrit, scilicet Jos. IX. 17. XV. 9. 60. XVIII. 14. 15. Judic. XVIII. 12. bis. *I.* Paral. *II.* 50. 52. 53. *II.* Paral. *I.* 4. *I.* Esdr. *II.* 25. *II.* Esdr. VII. 29. Jerem. XXVI. 20.

Porrò ista lectio *Caria Thiarim* est omninò mendosa, atque ridicula; procedit enim eodem modo, acsi pro Latina voce composita *Respublica*, scriberetur *Re Spublica*, aut pro græca *Protocanonicus*, sic: *Prot Ocanonicus*.

Siquidem in voce compositâ *Cariathiarim* duæ istæ litteræ *th* nullatenùs pertinent ad vocem *Iärim*, quæ est secunda ex duabus combinatis, sed sunt ultimæ litteræ prioris vocis *Cariath*; nam ùt Interpres Vulgatæ benè exposuit Jos. XV. 9. *Cariathiarim*, *id est Urbs silvarum*. Est enim hebraïcè קרית *Kariath*. *Urbs*, at יערים *Iärim Silva*. Unde debet scribi vel conjunctim *Cariathiarim*, vel separatim *Cariath iärim*, nullatenùs verò *Caria Thiarim*, quod ita scriptum nihil hebraïcè significat.

Cap. XXVII. 3. *Vir & domus ejus, & David, & duæ uxores ejus.* Ita textus hebræus, & græcus, omnesque latini codices; unde supplendum: *Et David*, quod inadvertenter fuit omissum in Vaticanis anni 1592. Tantùm enim habent: *Vir, & domus ejus, & duæ uxores ejus.*

II. REGUM.

Cap. III. 20. *Fecit David Abner, & viris ejus, qui venerant cum eo convivium.* Meritò notat Index correctorius pro Bibliis Vaticanis 1592. legendum esse *Viris*, non *Viri*, prout mendosè fuit impressum in illis, & in Bibliis Sixti V. 1590. Vide dicta lib. 2. fol. 172.

℣. 29. *Nec deficiat de domo Joab* &c. Ita habent libri Vulgatæ omnes novi, & antiqui, signanter Lovaniensium, nempè Imperativo, seu Optativo: *Nec deficiat*, non Futuro: *Nec deficiet*, quod est in Bibliis Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1592. In his equidem legendum esse: *Nec deficiat*, monet Index correctorius pro istis Bibliis.

Nec istud sine ratione monet; siquidem etiam Biblia Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1592. habent illo eodem versu paulò superiùs in Optativo: *Veniat super caput Joab* sanguis ab ipso effusus, similiter græca Καταντησάτωσαν: *Obveniant*, *Deveniant*, seu *Descendant*.

Deinde quamvis in hebræo istud *Veniat*, seu *Veniant* sanguines, sit in forma temporis Futuri יחלו *Jachulu*, prout etiam illud: *Nec deficiat* ואל־יכרת *Veal jiccareth*; tamen Hebræi utuntur passim Futuro pro Imperativo, seu Optativo: Imò hebraïca lingua non habet propriam formam tertiæ personæ Imperativi modi, aut (si velis ullam habere) illa apud Hebræos est eadem cum forma Futuri temporis.

Hîc autem illud *Jiccareth* Optantis esse, non prophetantis, seu prædicentis, patet ex eo, quòd isti verbo non præponatur לא *Lo. Non*, quæ hebraïca dictio est particula merè negantis, sed præfigitur ei alia, scilicet אל *Al*, quæ est prohibentis, idemque valet, quod latinum *Ne*, adeòque ואל־יכרת *Veal jiccareth* significat ad litteram: *Et ne deficiat*; nullatenùs verò: *Et non deficiet*. Hinc pariter LXX. verterunt in Optativo: Καὶ μὴ ἐκλείποι. *Et ne deficiat*.

Cap. XIII. 28. *Cùm temulentus fuerit Amnon vino, &c.* Hebræus textus habet expresſè ביין *Bajain. In vino*, prout & LXX. ἐν τῷ οἴνῳ. Typographico proinde mendo deputandum est istud *Vino* omitti in Vaticanis anni 1593. in quibus addendum esse monet Index correctorius pro istis Bibliis.

Cap. XIX. 22. *Quid mihi & vobis filii Sarviæ*? Ita omnes aliarum linguarum textus, signanter hebræus, & græcus, ac latini codices universi, præter Vaticanos 1593. in quibus est *Filiæ Sarviæ*. Certumque est *Joab & Abisai*, quibus loquitur David, non *Filias* fuisse, sed *Filios Sarviæ*, quomodò in illis ipsis Bibliis vocantur *II*. Reg. *II*. 18. *I*. Paral. *II*. 16. &c.

Miror quòd hunc crassissimum errorem typographicum non animadverterint illi, qui composuerunt Indicem correctorium pro Bibliis anni 1593. neque etiam Lucas Brugensis.

Cap. XXIII. 25. *Elica de Harodi*. Unde irrepserit in Vaticana anni 1592. *Arori* pro *Harodi*, nescio; hoc scio rectè monere Indicem legendum esse *Harodi*; ita enim habent omnes alii Vulgatæ libri, ita etiam est in hebræo אליקא החרדי *Elika ha-Haro-di. Elica Harodites.*

III. REGUM.

Cap. IV. 11. *Cujus omnis Nephath Dor.* Omissæ sunt inadvertenter duæ ultimæ litteræ vocis *Nephath* in Editione Vaticana 1592. *Nepha*. Illas restituendas justè monet Index; siquidem in hebræo est expresſe נפת דאר *Nephath Dor*, hoc est *Clima*, seu *Regio Dor*.

Cap. VI. 31. *In ingressu oraculi fecit ostiola*. Deest quidem tam in hebræo, quàm græco Præpositio *In*; sed textus hebræus habet את פתח *Eth petach*, quod verti potest *Ingressum*, vel etiam in Dativo *Ingressui*, prout habent LXX. τῷ θυρώματι. *Ingressui*, sive *Ostio oraculi fecit fores*. Eapropter constans, & genuina Vulgatæ lectio est. *In ingressu*; istud autem *In* per inadvertentiam omissum in Romanis anni 1593. Index correctorius notat addendum.

Cap. VIII. 23. *Qui ambulant*. Præsens tempus hîc omninò præterendum videtur imperfecto *Ambulabant*, quod probavi libro 2. fol. 177.

Cap. X. 13. *Hacine sunt civitates*? Clarè patet esse Nominativum pluralem feminini generis, atque adeò legendum *Hacine*, quomodò omnes aliæ editiones & veteres, & novæ, exceptâ Vaticana 1592. in quam irrepsit *Haccine*, sed corrigendum monet Index pro istis Bibliis.

IV. REGUM.

Cap. IV. 21. *Clausit ostium.* Ita legendum notat Index pro Bibliis 1592. in quibus est *Hostium.* Vide dicta f. 475.

Cap. XXIV. 19. *Joakim.* Sic esse scribendum hoc nomen ostendi supra fol. 410. Idem monet Index correctorius pro Vaticanis 1592.

I. PARALIPOMENON.

Cap. XIII. 5. 6. *Cariathiarim.* Nullatenùs posse scribi *Caria Thiarim*, demonstratum est fol. 476.

II. PARALIPOMENON.

Cap. XXXII. 12. *Coram altari uno.* Ita scribendum monet Index correctorius pro Bibliis anni 1592. atque ita scribitur passim in aliis Editionibus, habetque constans usus modernus; aliàs satis latinè dicitur, & apud priscos auctores reperitur in Ablativo etiam *Rete. Mare, Altare*, quod hîc est in Clementinis 1592. & Sixtinis 1590.

I. ESDRÆ.

Cap. VI. 15. *Sextus regni Darii regis.* Addendum *Regni* docet Index pro Bibliis 1592. additurque in hebræo, & græco. Vide dicta fol. 192.

JUDITH.

Cap. V. 20. *Jebusæum.* Per *s*, non per *z* *Jebuzæum* scribendum esse hoc nomen, rectè monet Index pro Bibliis 1592. Etenim constanter & in omnibus latinis scribitur per *s*, & in græcis Ιεβυσαῖον, & in Hebræis יְבוּסִי. *Jebusi*

Cap. XIII. 1. *Conclusit Vagao ostia.* Vide dicta fol. 475. ad Gen XIX. 6.

Cap. XVI. 23. *Quod ipsa sustulerat.* Ita legendum monet Index pro Bibliis 1592. in quibus solis est *subsbulerat*, quod non benè dicitur.

JOB.

Cap. XXXI. 28. *Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Rectè notat Index correctorius auferendum esse signum interrogationis, quod post hæc verba positum est in Bibliis Vaticanis anni 1592. Nam omnes alii Vulgatæ codices isto carent. Meritò quidem, Pronomen enim *Quæ* hîc non sumi interrogatoriè, q. d. *Quænam est* &c. evidenter patet ex hebræo גַּם הוּא עָוֹן. *Gam hu avon. Etenim hoc scelus est* &c.

PSALMI.

Psalm. LV. in Titulo. *Quando tenuerunt eum Allophyli*, putà *Philisthæi*, ùt hîc est in hebræo; eos autem LXX. sæpissimè vocant *Allophylos* ἀλλοφύλους, hoc est *Alienigenas.* In Bibliis Romanis 1592. litterulâ mutatâ, est mendosè *Allophili.* Porrò græca vox ἀλλόφιλοι multùm differt significatione à priori, idem enim est ac si dicas: *Alium*, aut *Alios amantes*, vel: *Ab aliis amati.*

Psalm. CXVIII. 46. *Loquebar in testimoniis tuis.* Ita esse legendum probavi libro 2. fol. 214.

Psalm. CXXX. 1. *Domine non est exaltatum.* Omnes Vulgatæ libri expri-

primunt verbum *Eſt*, præter Biblia anni 1593. In his equidem reponendum eſſe, monet Index correctorius, quamvis in hebræo ex more linguæ iſtius tantùm ſubaudiatur.

ECCLESIASTES.

Cap. III. 18. *Dixi in corde meo de filiis hominum.* Sic etiam alii Vulgatæ libri. In hebræo quoque, & græco exprimitur: *Dixi in corde meo* &c. Hinc iſtud *meo* ſupplendum eſſe in Vaticanis 1593. monet Index, in quo nihil notatur circa omiſſam in iiſdem Bibliis Præpoſitionem *de*; habent enim Biblia iſta: *Dixi in corde filiis hominum.* Hoc *de* omiſſum eſſe, apparenter non reflexerunt illi, qui compoſuerunt Indicem, certò tamen etiam hoc ſupplendum eſt; habetur enim in hebræo, & græco, atque in omnibus aliis latinis.

ECCLESIASTICUS.

Cap. XXIV. 41. *Ego quaſi fluvii dioryx.* Ita per minuſculam litteram initialem ſcribendum eſt *dioryx*, non per majuſculam *Dioryx*, prout habetur in Bibliis anni 1592. & in variis poſterioribus, quia non eſt nomen proprium, ſed appellativum. Vide dicta fol. 231.

Cap. XXXIII. 17. *Ipſe ſperavi.* Non eſſe interponendam vocem *Spe*, monet tum Index pro Bibliis 1593. tum alter pro Bibliis 1598. in utriſque enim inadvertenter eſt impreſſum: *Ipſe ſpe ſperavi.*

Cap. XLI. 10. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.* In Bibliis Romanis 1592. inadvertenter eſt impreſſum *Quæruntur* cum diphthongo, pro *Queruntur* ſine diphthongo, ùt rectiùs habent reliqui omnes Vulgatæ libri; nam tum adjunctâ hæc verba: *Quoniam propter illum ſunt in opprobrio*, ſatìs indicant hîc de *querelis* agi, non de *inquiſitione*; tum etiam clarè textus græcus, in quo eſt Πατρὶ ἀσεβεῖ μέμψεται τέκνα. *Patrem impium incuſabunt filii.* Nam μέμψεται derivatur à μέμφομαι. *Conqueror*, *Querulor*, *Expoſtulo*, *Incuſo*, *Vitupero.*

ISAÏAS.

Cap. XXXII. 7. *Ad perdendos mites in ſermone mendacii.* Non *Mendaci*, ſed *Mendacii* magnâ concordiâ habent omnia antiqua Biblia Vulgatæ tam manuſcripta, quàm impreſſa. Item Biblia cuncta Hentenii, & Lovanienſium: Varia quoque recentiora, ùt Plantiniana 1619. 1628. 1629. 1645. Colonienſia 1630. 1639. 1647. 1679. 1682. Denique ipſa Vaticana tum Sixti V. 1590. tum prima Clement. VIII. nempè anni 1592. Sic etiam legit Hieronymus tam in textu, quàm in Commentariis, atque ita expreſsè habetur in hebræo באמרי שקר *Beimre ſcheker. In ſermonibus mendacii.*

Quapropter exiſtimo per inadvertentiam eſſe omiſſam litterulam, ſeu ultimum *i* in Editione Vaticana 1593. quæ habet: *In ſermone mendaci*, indeque iſtam lectionem fluxiſſe in Vaticanam 1598. & Romanam 1624. Item in pleraſque Plantinianas, prout & in alias paſſim Editiones factas poſt annum 1600. Equidem ſenſus idem eſt. LXX. verterunt: *In verbis injuſtis.*

Cap.

Cap. XLIX. 20. *Adhuc dicent in auribus tuis filii ſterilitatis tuæ.* Omninò legendum eſſe *Filii*, non *Filiis*, clarè probavi libro 2. fol. 238. Porrò miror poſteriores Editiones pleraſque hoc mendum eſſe ſecutas; habent enim *Filiis*.

Cap. L. 5. *Retrorſum non abii.* Etiam libro 2. fol. 239. oſtendi mendoſum eſſe, quod eſt in ſolis Vaticanis 1593. *Abiit.* In Vaticanis anni 1598. reſtitutum eſt *Abii*, quomodò etiam eſt in omnibus recentioribus Editionibus.

Cap. LXV. 20. *Puer centum annorum morietur.* Ita omnes textus, & libri Vulgatæ univerſi. Quòd per inadvertentiam in Bibliis anni 1592. pro *Puer* ſit impreſſum *Per*, corrigit Index pro Bibliis iſtis.

JEREMIAS.

Cap. IV. 31. *Vox filiæ Sion intermorientis expandentiſque manus ſuas.* Debet legi conjunctim, ſeu unâ voce *Intermorientis*, qualiter unicâ voce eſt in hebræo, chaldæo, ſyro, arabico, græco, atque in omnibus latinis impreſſis poſt Vaticana 1592. in quibus eſt *Inter morientis.* Eſt etiam unâ voce in variis antiquioribus; Biblia tamen Lovanienſium, & multa alia habent minùs rectè: *Inter morientes expandenteſque manus ſuas.* Vide dicta fol. 241.

Cap. XXV. 3. *Joſiæ filii Amon regis Juda.* Iſtius regis nomen ſcribitur per ſimplex *m* ubique in latinis libris; imò etiam in ipſo Vaticano 1593. aliis Scripturæ locis, prout & in hebræo אמון & græco Ἀμώς, atque Ἀμών. Eſt igitur mero typographico mendo deputandum, quod hoc unico loco ſit impreſſum per *m* geminatum *Ammon* in Bibliis Vaticanis 1593. item in Romanis 1598. 1624. atque in variis Plantinianis hoc mendum ſequentibus.

Cap. XLVI. 13. *Quòd venturus eſſet Nabuchodonoſor.* Antiquiores & recentiores paſſim legunt *Eſſet*, cum Lovanienſibus, & Sixt. V. 1590. ac Clement. VIII. 1592. Imò uterque Index nempè pro Vaticanis 1593. & 1598. monet legendum *Eſſet*, cùm in utraque illa Editione ſit *Eſt*, eodem planè ſenſu. In græco habetur infinitivus junctus articulo genitivo τοῦ ἐλθεῖν *Ad venire*, ſeu *Ad veniendum*, ſicut etiam eſt in hebræo לבוא *Labo.*

℣. 24. *In manu populi* ℣. 26. *In manu quærentium animam eorum, & in manu Nabuchodonoſor.* Ita in ablativo caſu habent Biblia Sixti V. 1590. & Clementis VIII. 1592. atque ita legendum eſſe in Vaticanis 1593. notat Index pro iſtis Bibliis, in quibus impreſſum eſt tertiò *In manus*, quomodò etiamnum habent poſteriores Editiones, nempè Plantinianæ, aliæque; in Lovanienſium verò, ſeu Hentenii habetur: *In manum.*

In Vulgata aliis Scripturæ locis nunc dicitur Accuſativo caſu *in manus*, vel *in manum*, nunc Ablativo *in manibus*, aut *in manu.* Vide ſignanter Jerem. XXII. 25. & XXXIV. 21. In hebræo propriè eſt *in manu* ביד *Bijad*, idque in omnibus his ſententiis; unde cùm in Bibliis Vaticanis 1592. in tribus primis ſit *in manu*, miror in quarto ſolo

esse *in manus*. *Et in manus servorum ejus.* Prout etiam miror, quòd cùm in Bibliis anni 1593. sit in omnibus his quatuor locis *in manus*, tantùm tribus prioribus moneat Index legendum esse *in manu*; nisi forsitan in isto Indice sit inadvertenter omissus notari quartus locus, quod ego puto.

Cap. L. 42. *Crudeles sunt, & immisericordes.* Ex ipso contextu satìs patet, esse merum typi mendum in paucis Vulgatæ libris, signanter in Vaticanis 1593. *Crudeles sunt, & misericordes.* Sed monet Index correctorius pro istis Bibliis, esse legendum *Immisericordes.* Miror Lucam Brugensem hoc mendum non animadvertisse; animadverterunt equidem posteriores typographi, cùm omnes posuerint: *Immisericordes*, conformiter hebræo textui ולא ירחמו *Velo jerachemu.* *Et non miserebuntur.*

B A R U C H.

Cap. II. 28. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die, quâ præcepisti ei scribere legem.* Ita Biblia Sixti V. 1590. Clement. VIII. 1592. omnesque alii Vulgatæ codices novi & veteres, exceptis Romanis 1593. 1598. 1624. in quibus per inadvertentiam Typographorum est impressum *Eis* pro *Ei*, contra exigentiam contextûs, contra fidem omnium aliorum librorum, contra textum græcum αὐτῷ *Ei.*

Cap. III. 22. *Non est audita in terra Chanaan.* Est merum mendum, quòd habeant Codices 1592. *Chanaam*, contra reliquos omnes libros, textumque græcum.

E Z E C H I Ë L.

Cap. VII. 18. *Accingent se ciliciis:* Ita legendum esse & circumstantiæ clamant, & omnium linguarum textus habent, & est in cunctis Vulgatæ codicibus, exceptis Vaticanis anni 1593. In his equidem pro *Accinget* esse legendum *Accingent*, notat Index correctorius pro istis Bibliis.

Cap. XXI. 28. *Mucro, mucro evaginate ad occidendum, limate ut interficias.* Libro 2. fol. 248. demonstravi ita conjunctim esse legendum cum Vaticanis 1593. 1598. non verò separatim *Evagina te... limate*, quod habent veteres, & novi libri omnes cum Vaticanis 1590. 1592. & Romanis 1624.

Cap. XXIV. 19. *Et dixit ad me populus: Quare* &c. Ita textus hebræus, græcus, aliique universi, omnes etiam Codices Latini; at in Editione Clement. VIII. 1593. omissa sunt sequentia: *ad me populus: Quare non indicas nobis quid ista significent, quæ tu facis? Et dixi.* Notat autem Index correctorius istorum Bibliorum, illa est supplenda.

Omissionis occasio fuit, quòd incipiat ℣. 19. per illa: *Et dixit ad me*, iterumque statim post incipiat ℣. 20. *Et dixi ad eos.* Itaque Typothetæ oculi à prioribus verbis ad posteriora deflexi sunt, & sic per inadvertentiam prætermissa media verba in ista editione anni 1593.

Accessit & alia defectûs hujus occasio, nempè quòd in Editione ista finiatur pagina cum illis verbis ℣. 19. *Et*

Et dixit ad, ſequens autem pagina, hoc eſt verſa incipiat ita: *ad eos* &c. pro eo quod deberet eſſe *ad me* &c.

Cap. XLI. 1. *Sex cubitos latitudinis inde.* Supra fol. 437. docui iſtud *Latitudinis* ad textum pertinere, quod equidem manifeſtè ſubintelligitur in Vaticanis 1593. & Plantinianis omnibus.

Cap. XLII. 1. *Eduxit me per viam ducentem ad Aquilonem.* Ita omnes Vulgatæ libri, etiam Vaticani 1590. 1592. 1598. In hebræo, & græco eſt: *Per viam aquilonis.* Dicitur equidem congruentiùs *Ducentem*, quàm *Educentem*, quod reperio in ſolis Vaticanis 1593. notaturque corrigendum in Indice pro iſtis Bibliis.

D A N I E L.

Cap. XIII. 26. *In pomario.* Sic habent omnes aliæ Editiones, nec puto latinè dici feminino genere *Pomaria*, quod eſt in ſola Editione Vaticana 1592. Imò neutro genere habetur in hac ipſa Editione eodem capite omnibus aliis locis, quibus iſtius fit mentio, nempè ℣. 7. 15. 17. 18. 20. 25. 36. 38.

N A H U M.

Cap. III. 17. In Editione Vaticana 1592. eſt hoc verſu inadvertenter tranſpoſita vox *Earum*, quam ſuo loco reponendam monet Index correctorius horum Bibliorum, legendumque: *Sol ortus eſt, & avolaverunt, & non eſt cognitus locus earum ubi fuerint.* Sic reliqui omnes Vulgatæ codices, ſic græci, ſic hebræi.

I. MACHABÆORUM.

Cap. X. 80. *Et jecerunt jacula.* Ita omnes Vulgatæ codices novi, & antiqui, ſoli Vaticani 1593. & Lugdunenſes 1680. habent: *Et ejecerunt*, quod quidem minùs congruè dicitur in latino, ac corrigendum notat Index pro Bibliis 1593. eſt tamen hîc in græco: *Et evibrarunt.*

Cap. XII. 52. *Qui cum ipſo fuerant.* Magìs congruè legi *Fuerant*, quàm *Erant*, collige ex dictis ſupra fol. 442.

II. MACHABÆORUM.

Cap. VIII. 9. *Miſit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei* &c. Debet legi cum Vaticanis 1592. *Ei*, non *Eis*, quod eſt in Clementinis 1593. & 1598. Hoc enim monent Indices correctorii pro binis his Bibliis, exigunt etiam circumſtantiæ textûs, & ſubauditur in græco, quamvis ibi Pronomen non exprimatur, quod tamen numero ſingulari *Ei* exprimunt, omnes alii libri Vulgatæ.

M A T T H Æ U S.

Cap. VIII. 28. *Cùm veniſſet trans fretum.* Debet in ſingulari legi *Veniſſet*, non plurali *Veniſſent*, qualiter habent Vaticana 1593. Iſtud probavi lib. 2. fol. 265.

Cap. X. 4. *Simon Cananæus.* Sic omninò eſſe ſcribendum, non *Chananæus*, demonſtratum eſt libro 2. fol. 266.

Cap. XVII. 1. *Et poſt dies ſex aſſumit.* Sic legendum oſtendi ſupra fol. 445.

Cap. XXVI. 53. *Plusquam duodecim legiones Angelorum?* Signum interrogationis, quod hoc loco habent ceteri Vulgatæ libri, & contextus exigit, atque inadvertenter est omissum in Vaticanis 1593. Index correctorius monet esse reponendum.

Cap. XXVII. 43. *Liberet nunc, si vult eum.* Vide dicta libro 2. fol. 269.

MARCUS.

Cap. VI. 11. *Et quicumque.* Tam græci codices, quàm Vulgatæ omnes habent hîc præpositam copulam *Et* καὶ, exceptis Vaticanis anni 1593. in quibus equidem *Et* istud omissum errore typographico, supplendum esse monet Index correctorius pro Bibliis istis.

℣. 26. *Contristatus est rex : propter jusjurandum* &c. Ita rectiùs interpungunt omnes penè Vulgatæ libri. Vide supra fol. 447.

Cap. VII. 15. *Introiens in eum.* Item ℣. 30. *Invenit.* Utrobique sine *Et* præposito legit textus græcus, & latini libri omnes, exceptis Vaticanis 1593. in quibus utrumque *Et* delendum esse notat Index correctorius.

Cap. IX. 42. Hîc Vulgatæ codices indifferenter legunt, aliqui *Abscide* à *Cædo*, & *Abs*; alii *Abscinde*, à *Scindo*, & *Ab.* Utrumque idem significat, & æquè latinum est.

LUCAS.

Cap. IV. 34. *Scio te quis sis sanctus Dei.* Multi veteres Vulgatæ libri, prout & Editio Sixti V. 1590. ac Clem. VIII. 1592. *Qui sis.* At sequentes: *Quis sis.* Utrumque contextui congruit, & significatur per græcum τίς.

Cap. X. 23. *Conversus ad discipulos suos dixit.* In præterito habent Vulgatæ libri omnes, quos vidi, conformiter græco, in quo est εἶπε *dixit*, non λέγει *dicit*, quod credo per incuriam impressum esse in Bibliis 1593. & inde in Vaticanis anni 1598.

Cap. XII. 48. *Et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ita interpungendum esse, ex græco textu demonstravi libro 2. fol. 274.

JOANNES.

Cap. I. 36. *Dicit: Ecce Agnus Dei.* Sic in præsenti tempore Lovanienses, nullosque notant libros manuscriptos aliter legentes. Sic etiam Biblia Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1592. & posteriora passim, conformiter ad textum græcum, in quo est λέγει *Dicit.* Quod legitur in Bibliis 1593. *Dixit*, Index correctorius monet in *Dicit* esse mutandum; quapropter Biblia Plantiniana anni 1664. non debuerant hoc mendum sequi.

Cap. V. 13. *Is autem qui sanus fuerat effectus.* Meritò notat Index correctorius in Vaticanis 1593. pro *Quis*, quod irrepserat, esse legendum *Qui*; hoc enim contextus exigit, & habent reliqui codices Vulgatæ; græci verò: *At sanatus.*

Cap. VIII. 54. *Si ego glorifico meipsum.* Omnes Vulgatæ libri habent *Ego*, qualiter hîc esse legendum, non *Ergo*, quod est in solis Vaticanis 1593. monet

net Index pro istis Bibliis; in græcis quoque est constanter ἐγὼ *Ego*, non οὖν *Ergo*.

ACTUS APOSTOLORUM.

Cap. III. 18. *Deus autem, quæ prænunciavit.* Index correctorius Bibliorum 1592. notat esse legendum *Quæ*, non *Qui*, ùt est in illa Editione, ac in Sixti V. 1590. & variis antiquis. Est etiam in græco ἃ *Quæ*, non ὃς *Qui*.

Cap. IV. 2. *Quod annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis.* Cur Ablativus casus præferatur Accusativo *In Jesum*, vide dictum libro 2. fol. 285.

Cap. XIII. 6. *Invenerunt quemdam virum magum Pseudoprophetam.* Pro *Magum* magno mendo irrepsit *Magnum* in Biblia Vaticana 1592. & 1598. Hoc meritò Index uterque pro his Bibliis corrigendum monet; omnes enim alii Vulgatæ libri legunt *Magum*, qualem fuisse asseritur quoque ỷ. 8. quo loco omnes Vulgatæ codices, etiam 1592. & 1598. habent *Elymas magus*; neque solùm hoc versu 8. sed pariter ỷ. 6. est in græco μάγον *Magum*, non μέγαν *Magnum*.

Cap. XV. 20. *Ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Hæc est communis lectio codicum latinorum tam Vaticanorum 1590. 1592. 1598. quàm Plantinianorum, aliorumque. Græcus textus potest verti & in Ablativo, & in Genitivo, habet enim: Ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος.

Cùm ibidem ἀπὸ *Ab* regat Genitivum, potest afficere illud πορνείας *Fornicationis.* Si ita sumatur, est transferendum in Ablativo: *Ut abstineant à.. fornicatione.* Potest etiam illud Genitivum græcum πορνείας regi à voce ἀλισγημάτων *Contaminationum*; tunc autem deberet transferri in Genitivo: *Ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicationis,* & ita habet Editio Clement. VIII. 1593. sed Index correctorius monet legendum: *Fornicatione.*

Cap. XVII. 15. *Silam.* Sic debet scribi per simplex *i*, scribiturque & in græco Σίλας, & in omnibus latinis, etiam in Bibliis anni 1592. aliis Scripturæ locis, quibus istud nomen habetur, excepto hoc ỷ. 15. in quo mendosè impressum est *Sylam.*

Cap. XXV. 21. *Donec mittam eum ad Cæsarem.* Patens est typi mendum, quo in Vaticanis 1592. *Cæsaream* est impressum pro *Cæsarem*, ùt habent omnes alii libri latini, & græci πρὸς Καίσαρα, non Καισάρειαν. Neque *ad Cæsaream* mittendus erat Paulus, qui tunc *in Cæsarea* erat, ùt patet ex ỷ. 13. sed *ad Cæsarem*, ad quem appellaverat ỷ. 11. & 12.

AD ROMANOS.

Cap. V. 8. *Quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Quædam Exemplaria, ùt Francofurtensia anni 1615. Lugdunensia in 4. anni 1680. Parisina 1691. Vaticana 1593. post: *Secundùm tempus*, interpunctione absolvunt sen-

ſum, atque adeò hæc jungunt præcedentibus, q. d. Apoſtolus: Cùm adhuc pro tempore peccatis eſſemus obnoxii, quomodò eadem verba Chryſoſtomus intellexit ℣. 6.

Sed multò aptiùs Biblia Sixti V. Clement. VIII. 1592. ac recentiora paſſim omnia, cùm nullam habeant interpunctionem inter voces *Tempus* & *Chriſtum*, intelligunt q. d. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt ſecundùm tempus*, hoc eſt opportuno tempore, *Cùm* ſcilicet (ùt ſcribit Hieronymus ad Algaſiam Epiſt. 151. q. 2. & 7.) *omnia plena eſſent infidelitate, & peccato, & maxime egerent redemptione & medico.* Vel ùt Theophylactus & Theodoretus: Cùm tempus à Patre præſcriptum eſſet impletum.

Si enim hoc ℣. 8. cum Vulgata moderna addas iſta: *Secundùm tempus*, quæ videntur repetita ex ℣. 6. ubi etiam ſunt in græco κατὰ καιρὸν. Si, inquam, hæc addas, magìs ſignificabitur opportunitas, quàm mora. Nam ſi ita loqueretur Apoſtolus, q. d. *Ad breve tempus Chriſtus mortuus eſt*, utpote tertiâ die reſurgens, quo ſenſu intelligunt Anſelmus, & quidam alii, non ſcriberet Paulus κατὰ καιρὸν, ſed κατὰ χρόνον.

Aliàs in rigore loquendo iſta: *Secundùm tempus* non videntur hoc verſu 8. eſſe de textu, neque ſunt in græcis ullis, prout nec in antiquis latinis, exceptis paucis minoris æſtimationis; unde iſta duo verba hìc omittunt Lovanienſes Theologi in ſuis Bibliis.

I. AD CORINTHIOS.

Cap. VI. 13. *Deus autem & hunc, & has deſtruet.* Iſtud *Et* ante *Hunc* & in græco eſt, & in omnibus latinis, atque inadvertenter omiſſum in Vaticanis 1593. reſtituendum notat Index correctorius pro iſtis Bibliis.

AD EPHESIOS.

Cap. I. 21. *Virtutem, & dominationem.* Medium iſtud *Et*, omiſſum in Bibliis 1593. docemur reſtituere per Indicem correctorium, exprimuntque illud græci codices omnes, cunctique latini.

Cap. IV. 9. *Quòd autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Contextus indicat eſſe interrogationem; ideòque monet Index pro Bibliis 1592. eſſe ſupplendum ſignum interrogationis in illis omiſſum.

Cap. V. 27. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam.* Hæc lectio valdè congrua eſt, & per Indicem reſtituenda notatur in Bibliis Vaticanis 1592. in quibus, ac Sixti V. 1590. habetur: *Ut exhiberet ipſe ſibi in glorioſam Eccleſiam.* Vide dicta libro 2. fol. 297.

AD THESSALONICENSES II.

Cap. I. 12. *Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti... & Domini Jeſu Chriſti.* Sic græca, & latina penè omnia. Pauciſſima iſtud *Noſtri* è primo membro evulſum transferunt ad ſecundum cum Bibliis 1592. In his equidem primo reſtituendum eſſe monet Index correctorius iſtorum Bibliorum.

AD

AD TIMOTHEUM I. & II.

I. Timoth. VI. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Habent quidem omnia penè moderna Vulgatæ exemplaria *Sumus*; puto tamen genuinam lectionem esse *Simus*, sicut est in Vaticanis 1590. & 1593. atque in plurimis antiquis tam impressis, quàm manuscriptis. Vide dicta libro 2. fol. 299.

II. Timoth. I. 15. *Phigellus.* Ita passim scribitur in latinis. Vide supra fol. 460.

AD TITUM & PHILEMONEM.

Ad Tit. I. 12. *Ventres pigri.* Ita esse legendum, non *Ventris* probavi f. 460.

Ad Philem. ℣. 2. *Appia.* Congruentiùs ita scribi, quàm *Apia*, collige ex dictis fol. 461.

JUDÆ.

Vers. 13. *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Sic omnes codices antiqui, & novi, exceptis Vaticanis 1593. in quibus tamen corrigendum monet Index istud *Dispumantes*, quod equidem satìs benè dici posset.

APOCALYPSIS.

Cap. XVI. 4. *Et tertius Angelus effudit Phialam suam.* In solis Vaticanis 1592. impressum est *Effugit*, pro *Effudit*, idque merâ Typographi inadvertentiâ, quod patet tum ex toto textu, tum ex aliis Angelis phialas suas similiter *effundentibus*, tum quòd hîc, prout & ℣. 2. ac 3. sit in græco ἐξέχεε *Effudit*.

Cap. XVII. 4. *Inaurata auro.* Ex textu fit evidens, sic esse legendum, quamvis nullus Index moneat corrigendum istud *Inaurato*, quod irrepsit in Romana 1593. 1598. 1624. Vide libro 2. fol. 314.

Cap. XVIII. 12. *Cinnamomum.* Ita nunc frequentiùs scribitur, etiamsi tam in græco, quàm latino scribatur utroque modò, nempè & per duplex *n Cinnamomum*, & per simplex *Cinamomum*.

CAPUT QUINTUM.

De Mendis Typographicis, quæ sunt in Bibliis Vaticanis anni 1592.

§. I.

PRÆFATIO.

In qua agitur de Indicibus Correctoriis Romanis pro Bibliis Vaticanis Clementis VIII.

Ex observationibus capite præcedenti factis, manifestè constat, plerasque differentias, quæ sunt inter Biblia Vaticana anni 1592. & 1593. ortas esse ex mendis typographicis hujus, aut istius Editionis.

Ea siquidem est humani ingenii imbecillitas, ut moraliter loquendo sit impossibile tam exactè in prælo cujusvis libri attendere, quin hinc inde aliquot nævi, hoc est errores, seu menda in typo committantur, ita ut sit commune Typographorum Adagium, patibulo, seu suspendio mulctandum fore Typographum illum, qui primus absque ullo præli vitio, opus suum absolverit.

Accuratissimum esse optavit quidem Clemens VIII. prælum Bibliorum, curâ suâ, & operâ correctorum, atque edendorum; sed sortem eandem cum reliquis Editionibus obtinuit, imò, nescio quâ inadvertentiâ, hæc Biblia usque tertiò (nempè annis 1592. 1593. 1598.) ita sunt impressa prælis Vaticanis, ut multi irrepserint, etiam palpabiles nævi typographici.

Ideò in Codicibus Vulgatæ editis in Typographia Vaticana anno 1598. ad calcem sunt appositi tres Indices, seu Catalogi, in quibus notantur loca corrigenda, quæ mendosè sunt impressa tum in illis ipsis codicibus anni 1598. tum in binis præcedentibus.

Porrò Biblia Vaticana anni 1598. vix in aliis regionibus inveniuntur, tum propter expensas in transvectione faciendas, tum quia Biblia annorum 1592. & 1593. aliqualiter per orbem Catholicum erant divulgata, tum quia Editiones Plantinianæ erant exactissimæ, atque incredibili diligentiâ elaboratæ, adeò ut paucissimi nævi typographici in illis inveniantur. Tum denique quia Plantiniana Biblia putabantur in omnibus locis accuratissimè cum Vaticanis convenire.

Hinc factum est, quòd Indices illi correctorii manserint prorsùs incogniti; neque ullum hactenus Auctorem legi, qui horum vel à longè meminerit: latuerunt etiam Lucam Brugensem, quod patet tum ex ejus alto de his silentio (vide infra cap. VII. punct. 4. ad III. Reg. XXI. I.) tum quòd eos non sequatur, signanter ad Ezech. XXI. 28. prout nec illos sequuntur Biblia Plantiniana (vide signanter §. 3. ad III. Reg. XXI. I. Eccli. VIII. 19. Ezech. XXI. 28.) nisi quod in paucis locis cum istis conveniant merè fortuitò, non propter Indices ipsos, sed propter Lucam Brugensem, aut quia evidens erat præli mendum in Vaticanis, quod idcircò absque ulla difficultate animadverterunt, & sine ullo scrupulo correxerunt illi, qui prælis Plantinianis intendebant.

Propterea Indices illos nempè primum, & secundum, hoc & sequenti capite exhibere volui, præsertim ut exscripti possint apponi in exemplaribus Bibliorum 1592. & 1593. Addam etiam ad utrumque breves notas.

Indices autem illos binos adferre, necessarium existimavi, ne legentes Romanas Editiones, in quibus illi Indices non habentur, putarent genuinam esse lectionem istam, quam ibi inveniunt, ignorantes illam, quæ per Indices substituenda monetur. Maximè autem ut sint norma pro Typographis, qui aliàs imprimerent, sicut in textu

textu non correcto legunt, nescientes esse corrigendum.

Omittam tertium, qui est pro Bibliis Vaticanis anni 1598. quia, ùt dixi, Biblia illa vix reperiuntur. Ego inquisitione diligenti factâ, non potui obtinere notitiam ullius codicis in Belgio existentis, nec ullum illorum Exemplar scio extare nisi Romæ in Bibliotheca Conventûs Patrum Dominicanorum dicti *super Minervam*. Omittam etiam propterea, quòd si quis habuerit hæc Biblia anni 1598. in iisdem etiam habebit illum ipsum Indicem appositum.

Cujus autem præcisè authoritatis sint hi Indices, ignoro, quia, ùt mihi inquirenti rescriptum est Româ: *Illis correctionibus nulla præfigitur Præfatio, sive particularis Bulla.* Vide infra initio §. 3.

Hâc informatione ego non contentus, quia non sufficienter instructus, iteratis vicibus scripsi Romam postulans, ùt saltem indicaretur mihi, quid illis Catalogis, seu Indicibus esset præfixum, & quinam essent istorum Indicum Tituli, tandemque mihi responsum est, illis solùm hæc sequentia præmitti.

Irrepserunt negligentiâ Operariorum in Codices Bibliorum Vulgatæ editionis typis Vaticanis excusos, errata nonnulla, jam antea primæ & secundæ impressioni affixa; quæ in hac tertia editione repetere, & copiosiùs annotare libuit, ne Lectoris pii animus distraheretur, si in aliquod fortè earum exemplar incideret, cui vel nullus, vel diminutus errorum corrigendorum Index esset adjectus. (Qualia ferè omnia exemplaria sunt, imò omnia, quæ ego vidi) *Numerorum verò, qui mox infra sequuntur, pro editionis cujusque ratione, is erit ordo, ut primus paginam, secundus columnam, tertius lineam indicet.*

Tituli verò singulorum sunt:

In Bibliis in folio majori anno 1592. *impressis hæc corrige.*

In Bibliis in quarto anno 1593. *impressis hæc corrige.*

In Bibliis in quarto minori anno 1598. *impressis hæc corrige.*

Mutare debui formam istorum Indicum, nam in Indicibus illis non allegatur mala lectio, seu mendum impressum, neque citatur liber, caput, aut versus, in quibus correctio est adhibenda; sed tantummodò ipsa correctio facienda, seu ipsa genuina lectio allegatis folio, columnâ, lineâ. Exempli gratiâ. Index pro Bibliis anni 1592. incipit hoc modo: *Pag.* 14. *col.* 2. *lineâ* 33. *ostium.* His indicatur Gen. XIX. ỷ. 6. quo loco impressum est in editione Vaticana 1592. *hostium*, legendum esse *ostium.*

Ego igitur pro commoditate legentium indicabo librum, caput, versum, & in uno latere allegabo locum sicut mendosè est impressus, in altero ponam correctionem indicatam.

§. II.

Catalogus locorum corrigendorum in Bibliis Vaticanis anni 1592. juxta Indicem Romanum.

IN BIBLIIS ILLIS EST

	Impressum	*Corrigendum*
Genesis XIX. 6.	hostium	ostium
XXIV. 64.	conspectu	conspecto
Exod. VIII. 26.	Deo nostro?	Deo nostro.
XII. 42.	observabilis Domino	observabilis Domini
Levit. XVIII. 27.	Omnis	Omnes
XIX. 9.	Cùmque	Cùm
℣. 19.	testa	texta
Numer. II. 9.	enumerati	annumerati
Deut. XXXII. 6.	& & insipiens	& insipiens
Josuë VIII. 29.	Præcepitque, &	Præcepitque Josuë, &
XI. 9.	combussit	combussit igni
XII. 7.	filiis Israël	filii Israël
Judic. IV. 22.	& dixit ei	dixit ei
IX. 55.	cum erant	cum eo erant
Ruth III. 7.	discooperto pallio, à pedibus ejus se projecit.	discooperto pallio à pedibus ejus, se projecit.
I. Reg. III. 12.	super donum ejus	super domum ejus
X. 23.	& rursum	& sursum
XXVII. 3.	domus ejus, & duæ uxores	domus ejus, & David, & duæ uxores
II. Reg. III. 20.	& viri ejus	& viris ejus
℣. 29.	nec deficiet	nec deficiat
XXIII. 25.	Elica de Arori	Elica de Harodi
III. Reg. IV. 11.	Nepha Dor	Nephath Dor
IX. 13.	Hæccine	Hæcine
XXI. 1.	qui erat in Jezrahel	quæ erat in Jezrahel
XXII. 15.	tradet eum Dominus	tradet eam Dominus
IV. Reg. IV. 21.	clausit hostium	clausit ostium
XXIV. 19.	Joakin	Joakim
II. Paral. XXXI. 10.	Azaria	Azarias
XXXII. 12.	altare	altari
XXXIV. 22.	secunda	Secunda *per majusculam*

I. Esdr.

	Impressum	*Corrigendum*
I. Esdr. III. 2.	Jesuë	Josuë
VI. 15.	sextus Darii regis	sextus regni Darii regis
Judith V. 20.	Jebuzæum	Jebusæum
XIII. 1.	hostia	ostia
XV. 9.	Joachim	Joacim
XVI. 23.	substulerat	sustulerat
Job XXI. 9.	secutæ sunt	securæ sunt
XXXI. 28.	Deum altissimum?	Deum altissimum.
Psal. LXXXVIII. 8.	in cuircuitu	in circuitu
Sap. XVII. 12.	in scientiam	inscientiam
Eccli. VIII. 19.	non facies	non facias
Isa. LXV. 20.	per centum annorum	puer centum annorum
Jerem. XLVIII. 18.	ascendet ad te, dissipabit	ascendit ad te, dissipavit
Ezech. XXI. 20.	Ammon & &	Ammon &
℣. 28.	evagina te... lima te	evaginate... limate
Nahum III. 17.	Sol ortus est earum, & avolaverunt, & non est cognitus locus ubi fuerint.	Sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum ubi fuerint
I. Machab. XIII. 15.	quod habebat	quod debebat
II. Machab. XI. 18.	concessi	concessit
Matth. XXVII. 43.	si vult, eum	si vult eum *omisso commate*
Marc. VI. 26.	Et contristatus est rex propter jusjurandum:	Et contristatus est rex: propter jusjurandum
Joan. VIII. 54.	Si ergo glorifico	Si ego glorifico
Act. III. 18.	qui prænunciavit	quæ prænunciavit
XIII. 6.	virum magnum	virum magum
Roman. XIV. 7.	moritut	moritur
Ephes. IV. 9.	partes terræ.	partes terræ?
V. 27.	in gloriosam	gloriosam
II. Thessal. I. 12.	Nomen Domini Jesu & Domini nostri Jesu	Nomen Domini nostri Jesu & Domini Jesu
Apoc. II. 24.	quia Thyatiræ estis	qui Thyatiræ estis

§. III.

Notationes in supra adductam Correctionem.

CUjus præcisè authoritatis sit Index jam allegatus, & alter sequenti capite allegandus, me nescire dixi §. 1. Interim non esse contemnendæ, probat, quòd uterque sit Romæ impressus, & in ipsis Bibliis Vati-

Vaticanis appositus.

Deinde judiciosè ambos esse factos ipsa rei veritas convincit, colligiturque satìs apertè ex dictis capite præcedenti Sect. 3. & de aliquibus locis ulterius ex dicendis patebit. Itaque prætermissis illis locis, de quibus evidenter constat esse meros præli nævos, alia breviter attingamus.

Genesis XIX. 6. *Ostium.* Ita congruentiùs legi dixi fol. 475.

XXIV. 64. *Conspecto.* Vide dicta fol. 475.

Exod. VIII. 26. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Sine interrogatione legendum notant Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. Vide dicta libro 2. fol. 141.

XII. 42. *Observabilis Domini.* Observa quæ dixi fol. 391.

Levit. XVIII. 27. *Omnes.* Vide fol. 475.

XIX. 9. *Cùmque messueris.* Enclyticam *que* delendam esse monent Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. Præponitur nihilominùs copula in hebræo, & græco. Vide lib. 2. fol. 149.

ỳ. 19. *Texta.* Sic dicitur à *Texo*, non *Testa.* Vide fol. 476.

Numer. II. 3. *Annumerati.* Videtur ita transtulisse Hieronymus, aliàs æquè tum originali textui, tum circumstantiis loci congruit istud *Enumerati.*

Pro Josuë VIII. 29. XI. 9. XII. 7. Judic. IV. 22. Vide fol. 476.

Ruth III. 7. *Discooperto pallio à pedibus ejus, se projecit.* Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. ordinant ut ponatur interpunctio post *Ejus*, non ante *A pedibus*; idque meritò, nam aliàs dici deberet: *Ad pedes ejus se projecit.*

I. Reg. III. 12. *Super domum ejus.* Sic hebræi, græci, omnesque latini libri, & patens præli mendum est *donum*, prout & istud:

Cap. X. 23. ubi impressum *rursum* pro *sursum.*

Pro sequentibus vide dicta Cap. præc. Sect. 3. fol. 477. & 478.

III. Reg. XXI. 1. *Quæ erat in Jezrahel.* Index pro Bibliis 1592. & alter pro Bibliis 1598. rectè monent corrigendum *Qui* in *Quæ.* Rationes dedi libro 2. fol. 180. Mansit nihilominùs hactenus in omnibus passim Bibliis: *Qui erat* &c.

XXII. 15. *Tradet eam Dominus.* Congruentiùs legi *Eam*, quàm *Eum* docui libro 2. fol. 181.

IV. Reg. IV. 21. *Clausit ostium.* Pro his & sequentibus vide Cap. præced. Sect. 3. fol. 479.

II. Paral. XXXIV. 22. *Quæ habitabat in Jerusalem in Secunda.* Benè monet Index primam litteram vocis *Secunda* esse debere majusculam, quia est nomen proprium certæ partis civitatis Jerusalem; constabat enim Jerusalem quasi ex quatuor urbibus, conjunctis quidem, sed quæ singulæ suis erant muris cinctæ, & ita ab aliis distinctæ: nam præter arcem Sion, seu civitatem David, erat arci David contigua, & ab ea per voraginem Mello separata illa una pars, quæ speciali nomine dicebatur *Filia Sion*, item *Civitas inferior*, in qua erat Templum à

Salo-

Salomone ædificatum; item temporibus Christi Arx Antonia dicta, Prætorium Pilati &c.

Erat hæc per murum divisa à Jerosolymæ parte altera magis Boreali, quæ vocabatur *Secunda*, nempè civitas, seu *Media*, in qua fuit Palatium Herodis &c. fuitque etiam illa per murum separata, à quarta totius Jerosolymæ parte omnium maximè septentrionali, quæ vocata fuit *Bezetha*, item *Civitas nova*, eo quòd illud urbis augmentum esset omnium novissimum.

Pro illis quæ sequuntur in Indice, vide iterum Cap. præc. fol. 479.

Sap. XVII. 12. *Inscientiam.* Ita unâ voce legendum optimè notant Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. in quæ irrepserat divisim *In scientiam.* Vide dicta lib. 2. fol. 226.

Eccli. VIII. 19. *Non facias.* Sic legendum juxta Indices pro Vaticanis 1592. 1593. 1598. Interim in omnibus hactenùs editis Bibliis recentioribus impressum est: *Non facies.* Hoc contigit ex eo, quòd Typographi de his Indicibus nihil sciverint. Conjunctivum equidem congruentiùs poni, quàm Futurum, patet ex eo, quòd omnia antecedentia, & sequentia in textu, etiam in Conjunctivo ponantur tam in latino, quàm græco, in quo hoc loco est μὴ ποιήσῃς μάχην. *Ne feceris rixam.*

Isai. LXV. 20. *Puer centum annorum morietur.* Evidenti mendo impressum est in Bibliis 1592. *Per* loco *Puer*, ut habent omnes alii textus & codices.

Jerem. XLVIII. 18. *Ascendit ad te, dissipavit.* Habetur quidem in Vaticanis 1590. 1592. 1593. 1598. in Futuro *Ascendet, dissipabit*, sed Indices pro Bibliis 1592. & 1598. monent substituenda esse Præterita, prout substituta sunt in Romanis 1624. Vide dicta lib. 2. fol. 244.

Ezech. XXI. 28. *Mucro, mucro evaginate... limate.* Sic esse legendum, non *Evagina te... lima te*, demonstravi libro 2. fol. 248.

Nahum III. 17. *Sol ortus est, & avolaverunt* &c. Vide cap. præc. fol. 483.

I. Machab. XIII. 15. *Pro argento, quod debebat.* Ita est in Vaticanis Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1598. atque in Recentioribus omnibus, prout & in antiquis passim. Quod Vaticana 1592. & 1593. habent *Habebat*, Indices correctorii in illis Bibliis mutandum monent in *Debebat.* Vide dicta libro 2. fol. 261.

II. Machab. XI. 18. *Quæ res permittebat, concessit.* Probavi lib. 2. fol. 263. Sic esse legendum, non *Concessi*, ùt est impressum in Vaticanis 1590. 1592. 1593.

Matth. XXVII. 43. *Si vult eum.* De hoc loco disserui lib. 2. fol. 269.

Marc. VI. 26. *Contristatus est rex* &c. Vide de hoc versu dicta fol. 447.

Joann. VIII. 54. *Si ego glorifico.* Vide Cap. præc. fol. 484.

Act. III. 18. *Quæ prænunciavit.* De isto *Quæ* egi fol. 285.

XIII. 6. *Virum magum.* Ita esse legendum ostendi fol. 485.

Ephes. IV. 9. *In inferiores partes terræ?*

ra? Signum interrogationis apponendum esse dixi fol. 486.

V. 27. *Gloriosam.* Incongruè præponi *In* notavi libro 2. fol. 297. 486.

II. Thessal. I. 12. *Nomen Domini nostri Jesu* &c. Vide fol. 459. & 486.

Apocal. II. 24. *Qui Thyatiræ estis.* Meritò notat Index sic esse legendum. Rationes allegavi lib. 2. fol. 312.

§. IV.

Catalogus aliorum locorum, quæ videntur esse mendosa in Editione Vaticana 1592.

PRæter allegatos §. 2. Typographicos errores, quos Index correctorius notat subesse in Bibliis anni 1592. ego insuper aliquot deprehendi, quos subjicio.

	Impressum	*Corrigendum*
Numer. VI. 21.	cuui	cum
Josuë XIII. 16.	planiciem	planitiem
I. Reg. VI. 21. VII. 1. 2.	Caria Thiarim	Cariathiarim
XIII. 5.	curuum	curruum
IV. Reg. IX. 11.	dixeruut	dixerunt
I. Paral. XIII. 5. 6.	Caria Thiarim	Cariathiarim
Psalm. LV. *in Tit.*	Allophili	Allophyli
Eccli. XVI. 9.	Loth	Lot
XXIV. 41.	fluvii Dioryx	fluvii dioryx
XLI. 10.	quæruntur filii	queruntur filii
Jerem. IV. 31.	inter morientis	intermorientis
XLVIII. 1.	fonfusa est civitas	confusa est civitas
Baruch II. 28.	præcepisti eis	præcepisti ei
III. 22.	Chanaam	Chanaan
Ezech. XXVIII. 13.	Topatius	Topazius
Daniël. XIII. 26.	pomaria	pomario
Zachar. XII. 6.	faciem	facem
Matth. XV. 6.	irrritum	irritum
Marc. V. 13.	concessit ei	concessit eis
VII. 4.	áforo	à foro
Luc. VIII. 18.	quomodo audiatis?	quomodo audiatis.
XII. 48.	digna, plagis vapulabit	digna plagis, vapulabit
Joan. VI. 35.	Dixit autem ei Jesus	Dixit autem eis Jesus
Act. XIII. 46.	dixetunt	dixerunt
XVII. 15.	Sylam	Silam

Act.

	Impressum	Corrigendum
Act. XXV. 21.	ad Cæsaream	ad Cæsarem
Tit. I. 12.	Ventris pigri	ventres pigri
Apocal. III. 14.	Hæc dicit: Amen	Hæc dicit Amen
XVI. 4.	effugit	effudit

§. V.

Animadversiones in loca designata §. præcedenti.

IN variis locis præcedenti §. designatis evidens est mendulum Typographicum, & satis quoque manifesta, correctio facienda. Quoad alia, quæ non adeò sunt patentia, pleraque dicta sunt Cap. IV. Sect. 3. quæ ne Lectori sim tædiosus, non repetam, sed tantùm citabo, reliqua notabo.

Josuë XIII. 16. *Planitiem.* Ita scribere debemus per *t*, atque ita habent aliæ Editiones, nec puto latinè dici *Planiciem* per *c*.

I. Reg. VI. 21. VII. 1. 2. Item I. Paral. XIII. 5. 6. *Cariathiarim* esse scribendum, non *Caria Thiarim*, ostendi Cap. IV. Sect. 3. fol. 476. 477.

Psalm. LV. in Titulo *Allophyli*, non *Allophili.* Vide supra fol. 479.

Eccli. XVI. 9. *Lot.* Cùm scribatur hoc nomen in Hebræo לוט in græco Λὼτ, etiam latinè scribendum est *Lot*, non *Loth.*

. XXIV. 41. *Fluvii dioryx.* Quòd prima littera vocis *dioryx* debeat esse minuscula, probavi libro 2. fol. 231.

XLI. 10. *Queruntur filii*, hoc est *Querulantur.* Vide dicta fol. 480.

Jerem. IV. 31. *Intermorientis.* Sic esse scribendum dixi Cap. 4. Sect. 3. fol. 481. prout & fol. 482. quòd scribi debeat Baruch II. 28. *Præcepisti ei*, non *Eis*; & Baruch III. 22. *Chanaan*, non *Chanaam.*

Ezech. XXVIII. 13. *Topazius.* Per *z* exprimitur semper aliis Scripturæ locis, etiam in Bibliis anni 1592. nomen hujus gemmæ, prout & à profanis, ac sacris Scriptoribus Græcis, atque Latinis.

Dan. XIII. 26. *In pomario.* Vide Cap. IV. Sect. 3. fol. 483.

Zachar. XII. 6. *Sicut facem ignis.* Esse legendum *Facem*, non *Faciem*, quod passim habent etiamnum Biblia, probavi libro 2. fol. 259.

Marc. VI. 13. *Concessit eis.* Ita multò aptiùs legi, quàm *Concessit ei*, disserui libro 2. fol. 270.

VII. 4. *à foro.* Eodem libro 2. fol. 271. ostendi hanc lectionem præferendam ei, quæ habet *àforo* unâ voce.

Luc. VIII. 18. *Videte ergo quomodo audiatis.* Signum interrogationis hîc removendum est in Bibliis 1592. nulla enim est hoc loco interrogatio. Vide dicta libro 2. fol. 273.

XII. 48. *Et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ita esse interpungendum, ex græco demonstravi libro 2. fol. 274.

Joan.

Joann. VI. 35. *Dixit autem eis Jesus.* Contextus Scripturæ, & Originale græcum docent legendum *Eis*, non *Ei*; monent idipsum Indices correctorii pro Bibliis Vaticanis 1593. 1598. Vide dicta libro 2. fol. 278.

Act. XVII. 15. *Silam.* Vide dicta fol. 485.

XXV. 21. *Cæsarem.* Vide fol. 485.

Tit. I. 12. *Ventres pigri.* Fol. 487.

Apoc. III. 14. *Hæc dicit Amen.* f. 312

XVI. 4. *Effudit.* Vide fol. 487.

§. VI.

Catalogus locorum, quæ calamo, aut aliter in Bibliis anni 1592. Romæ fuerunt correcta.

IN Præfatione Libri II. num. 19. 20. 21. notavi, atque probavi, Romæ antequam divulgarentur Biblia Vaticana impressa anno 1592. aliquot in Codicibus illis loca fuisse correcta calamo, aut alio modo, sunt autem sequentia.

Genesis XIV. 10. est ita correctum *Remanserant.* Videtur priùs impressum fuisse *Remanserunt.*

Exod. IX. 24. *tantaque.* Fuit antea *tantaque.*

Levitic. IX. 3. *agnum.* Impressum fuerat *agnos.*

Numer. XXIII. 30. *Balaã.* Antea fuit *Balam*, vel *Balac.*

Deuter. XXXII. 39. *occidã.* Priùs fuit *occido.*

Josuë IV. 23. *Domino.* Irrepserat inadvertenter *Domini.*

II. Reg. III. 23. Fuerat impressum *nunciatumque*, deleta verò est Enclytica *que.*

III. Reg. II. 4. *suas*, fuerat *meas.*

XIII. 23. *Propheta.* Priùs erat *Propheta.*

Sapient. XI. 16. *quod quidam.* Videtur fuisse *quod quidem.*

Eccli. VII. 4. *à Domino.* Fuerat omissum istud *à.*

Isai. XLI. 27. *adsunt* correctum est ex *adsum.*

Jerem. XVII. 9. *omnium.* Impressum fuerat *hominis.*

XXII. 2. *contristare.* In prælum irrepserat *contristari.*

LII. 28. *viginti tres.* Priùs erat *triginta tres.*

Ezech. XLII. 8. Impressum fuit in fine lineæ *gazophy-* & initio sequentis lineæ *ciorum*, sed præpositum est *la*, quod fuerat omissum, ut sit *gazophylaciorum.*

Agg. I. 1. *Josedec.* Fuerat impressum *Josadec.*

Act. IX. 10. Initio lineæ est impressum *mine*, deinde præpositum *no*, atque ita correctum *nomine.*

Has correctiones meritò factas esse, non est dubium, & ex ipso contextu clarè patet circa Gen. XIV. 10. Exod. IX. 24. Numer. XXIII. 30. Deuter. XXXII. 39. Jos. IV. 23. II. Reg. III. 23. Eccli. VII. 4. Jerem. XXII. 2. Ezech. XLII. 8. Act. IX. 10. Hinc omnes aliæ Editiones, signanter posteriores sic le-

legunt, ſicuti in hac eſt correctum, prout etiam quoad alia loca, de quibus pauca ſuperaddam.

Quòd rectiùs legatur Levit. IX. 3. *Agnum*, quàm *Agnos*, patet ex contextu: *Vitulum atque agnum anniculos.* Si enim plures *agnos* offerendos Deus præſcriberet, non diceret indeterminatè *Agnos*, ſed numerum exprimeret, ùt alibi ſemper, ubi plures mandantur offerri. Deinde in hebræo eſt עגל וכבש בני שנה *Egel, vachebes beneſchana. Vitulum, atque agnum filios anni* unius.

III. Reg. II. 4. *Suas* præferendum eſſe voci *Meas*, patet ex hebræo דרכם *Darcam. Viam ſuam*, ſeu *ipſorum*, ùt eſt in græco ὁδὸν αὐτῶν.

XIII. 23. *Propheta.* Eſt etiam Dativo caſu in hebræo, chaldæo, græco.

Sap. XI. 16. *Quòd quidam errantes.* Sic reliqui Vulgatæ codices, non *Quidem*. In græco eſt ἐν οἷς πλανηθέντες. *In quibus errantes.*

Iſai. XLI. 27. *Adſunt.* Ita meritò correctum eſſe, quamvis varii antiqui libri habeant *Adſum*, probavi libro 2. fol. 238.

Jerem. XVII. 9. *Pravum eſt cor omnium.* Varii antiqui libri legunt *Hominis*; ſed communior veriorque lectio habet *Omnium*; ſiquidem in hebræo, chaldæo, græco eſt: *Præ omnibus.*

Jerem. LII. 28. *Viginti tres.* Sic etiam hebræus textus.

Agg. I. 1. *Joſedec.* Vide dicta f. 441.

CAPUT SEXTUM.

De Bibliis Vaticanis anni 1593.

NUMERUS PRIMUS.

Quædam ſunt aliter impreſſa in his Bibliis, quàm in illis anni 1592.

VIx Biblia prima correctionis factæ ſub Clemente VIII. fuerant impreſſa, utpote quæ lucem non viderunt niſi circa Decembrem anni 1592. quod conſtat ex Decreto Clementis VIII. illis Bibliis præfixo, ac dato IX. Novembris M. D. XCII.

Vix, inquam, lucem viderant, quin mox ſubſecuta ſit alia Editio Vaticana, formâ, quam vocamus *In quarto* (prior erat *in folio*) eaque, ùt ex frontiſpicio, & fine conſtat, abſoluta eſt anno poſt primam ſequenti, nempè 1593.

In illa omnes penè errores Typographici præcedentis Editionis ſunt ſublati, atque inter alia rectiſſimè impreſſum Ezech. XXI. 28. conjunctim: *Evaginate... limate*, prout & I. Timoth. VI. 8. *His contenti ſimus*, quæ optarem ita in omnibus Vulgatæ Bibliis imprimi.

Attamen etiam horum Bibliorum Typographis multipliciter ſubreptum

eſt,

eſt, adeò ut hæc Editio, quoad mera menda typographica, ſit admodùm imperfecta, & parùm accurata. Hinc ad calcem illorum Bibliorum additur parvus Index erratorum typi, nempè 16. loca; ſed mox compertum eſt, plures in illam Editionem nævos typographicos irrepſiſſe; quapropter editus eſt Romæ, & appoſitus ad finem Bibliorum Vaticanorum anni 1598. Index correctorius, ſeu Catalogus continens loca 79. in his Bibliis anni 1593. corrigenda. Eſt autem ſequens.

NUMERUS II.

Catalogus locorum corrigendorum in Bibliis Vaticanis anni 1593. juxta Indicem Romanum.

	Mendum	*Correctio*
Geneſis XXVI. 12.	In	in
XLII. 37.	reduceto	reduxero
Exod. V. 20.	occurerentque	occurreruntque
VIII. 26.	Deo noſtro?	Deo noſtro.
XII. 41.	obſervabilis Domino	obſervabilis Domini
XIII. 15.	jumentorurum	jumentorum
XV. 16.	im	in
XVI. 13.	Eactum	Factum
XXIX. 33.	ſancticentur	ſanctificentur
Levit. XIX. 9.	Cùmque	Cùm
XXVII. 26.	ſancticare	ſanctificare
Numer. I. 34.	pocedere	procedere
II. 9.	enumerati	annumerati
XIII. 30.	Amorræus	Amorrhæus
Deuter. XX. 1.	æquitatus	equitatus
XXVIII. 45.	apprehdenent	apprehendent
Joſuë III. 9.	vebum	verbum
X. 41.	Gozen	Goſen
XIII. 18.	Laſſa	Jaſſa
XV. 49.	Dann	Danna
Judic. V. 15.	Barathrum	barathrum *per minuſculam*
XX. 33.	virbem	urbem
Ruth III. 7.	diſcooperto pallio, à pedibus ejus ſe projecit	diſcooperto pallio à pedibus ejus, ſe projecit
I. Reg. II. 11.	Sacerdotes	Sacerdotis
XIV. 34.	& & arietem, occidite	& arietem, & occidite

	Mendum	*Correctio*
II. Reg. VI. 22.	& Judam, &	& ludam, &
XIII. 28.	Amnon, &	Amnon vino, &
XXIV. 22.	in viſum	in uſum
III. Reg. VI. 31.	Et ingreſſu	Et in ingreſſu
XXII. 15.	tradet eum	tradet eam
IV. Reg. I. 4.	nou deſcendes	non deſcendes
I. Paral. V. 16.	Mærari	Merari
XVII. 9.	habitabitabit	habitabit
Judith XIII. 28.	capu	caput
XV. 9.	Joachim	Joacim
Pſalm..XCIII. 3.	Dominus	Domine
CXVIII. 46.	de teſtimoniis	in teſtimoniis
CXXX. 1.	non exaltatum	non eſt exaltatum
Eccle. III. 18.	dixi in corde	dixi in corde meo de
Sapient. XIV. 8.	mledictum	maledictum
XVII. 12.	in ſcientiam	inſcientiam
Eccli. VIII. 19.	Non facies	Non facias
XXXIII. 17.	ipſe ſpe ſperavi	ipſe ſperavi
XXXIX. 16.	enarrrem	enarrem
XLIII. 17.	vounltate	voluntate
Jerem. XV. 5.	Jernſalem	Jeruſalem
XXVII. 21.	Dominu	Dominus
XLVI. 13.	venturus eſt	venturus eſſet
Ibid. ℣. 24.	in manus populi	in manu populi
Ibid. ℣. 26.	in manus quærentium	in manu quærentium
Eod. ℣.	in manus Nabochodonoſor	in manu Nabuchodonoſor
L. 42.	miſericordes	immiſericordes
Ezech. XXIV. 19.	Et dixit ad eos	Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid iſta ſignificent, quæ tu facis? Et dixi ad eos
XLII. 1.	educentem	ducentem
Oſeë II. 23.	abſque miſericordiâ	Abſque miſericordiâ
Mich. I. 6.	& & detraham	& detraham
I. Machab. X. 80.	ejecerunt	jecerunt
XII. 52.	cum ipſo erant	cum ipſo fuerant
XIII. 15.	quod habebat	quod debebat
XIV. 40.	ſuſuſceperunt	ſuſceperunt

	Mendum	*Correctio*
II. Machab. VIII. 9.	datis eis	datis ei
XI. 18.	concessi	concessit
Matth. VIII. 28.	venissent	venisset
XVII. 1.	assumpsit	assumit
XXVI. 53.	legiones Angelorum.	legiones Angelorum?
Marc. VI. 11.	quicumque	& quicumque
VII. 15.	& introiens	introiens
Ibid. ℣. 30.	& invenit	invenit
Joan. I. 36.	dixit	dicit
V. 13.	quis sanus	qui sanus
VI. 35.	Dixit autem ei Jesus	Dixit autem eis Jesus
Act. VII. 5.	hereditarem	hereditatem
XV. 20.	fornicationis	fornicatione
XVI. 35.	magistatus	magistratus
I. Corinth. VI. 13.	Deus autem hunc	Deus autem & hunc
VIII. 6.	unus Deus	unus est Deus
Ephes. I. 21.	dominationem	& dominationem
Judæ 13.	dispumantes	despumantes
Apoc. XI. 18.	adventi	advenit

NUMURUS III.

Observationes in præcedentem Catalogum.

PLerique nævi typographici nunc allegati, ipso intuitu patent, de aliis pauca dicam, & ne tædiosè eadem repetam, ad alibi dicta Lectorem remittam. Itaque

Exod. VIII. 26. *Deo nostro.* De hac lectione latiùs egi libro 2. fol. 141.

XII. 41. *Observabilis Domini.* Præstare Genitivum *Domini*, Dativo *Domino*, dixi superiùs fol. 391.

Numer. II. 9. *Annumerati.* De hoc egi fol. 492.

XIII. 30. *Amorrhæus.* Usus habet, ut in hac voce secundum *r* aspiretur; unde ita est impressum in omnibus aliis codicibus, & in his ipsis Bibliis, reliquis aliis locis, in quibus hoc nomen occurrit.

Jos. X. 41. *Gosen.* Vide dicta fol. 400.

XIII. 18. *Jaffa.* Sic esse scribendum probavi Cap. 4. Sect. 3. fol. 476.

Ruth III. 7. *Discooperto pallio à pedibus ejus, se projecit.* Si non ita interpungas, debebis legere *Ad pedes ejus.* Vide dicta fol. 492.

I. Reg. II. 11. *Sacerdotis.* Ita legendum esse, non *Sacerdotes*, contextus clamat.

II. Reg. VI. 22. *Et ludam.* Sic hebræa, græca, ceteraque latina.

XIII. 28.

XIII. 28. *Amnon vino &c.* Addendum esse *vino* dixi supra fol. 478.

III. Reg. VI. 31. *Et in ingressu.* Vide dicta fol. 478.

XXII. 15. *Tradet eam.* Hanc lectionem stabilivi lib. 2. fol. 181.

I. Paral. V. 16. *Merari.* Nusquam scribitur hoc nomen cum diphthongo *Marari.*

Judith XV. 9. *Joacim.* Ita per Indicem monemur legere, eo quòd in græco scribatur Ἰωακὲιμ, in hebræo יהויקים *Jojakim*, at κ & ק *k* nunquam aspirantur.

Psalm. CXVIII. 46. *In testimoniis.* Vide dicta libro 2. fol. 214.

CXXX. 1. *Non est exaltatum.* Vide Cap. 4. Sect. 3. fol. 479.

Eccle. III. 18. *Dixi in corde meo de.* Vide fol. 480.

Sap. XVII. 12. *Inscientiam.* Ita unâ voce legendum ostendi fol. 226.

Eccli. VIII. 19. *Non facias.* Vide supra fol. 493.

XXIII. 17. *Ipse speravi.* De hoc vide fol. 480.

Jerem. XLVI. 13. *Venturus esset.* Et hoc eodem loco tractatum est fol. 481.

Ibid. ℣. 24. & 26. Tertio: *In manu.* Hanc correctionem nec Biblia Plantiniana, nec alia recentiora sequuntur. Vide dicta Cap. 4. Sect. 3. fol. 481.

L. 42. *Immisericordes.* fol. 482.

Ezech. XXIV. 19. *Et dixit ad me populus* &c. Hæc esse supplenda dixi Cap. 4. Sect. 3. fol. 482.

XLII. 1. *Ducentem.* fol. 483.

I. Machab. X. 80. *Jecerunt.* fol. 483.

XII. 51. *Cùm ipso fuerant.* fol. 442.

XIII. 15. *Argento, quod debebat.* f. 261.

II. Machab. VIII. 9. *Datis ei.* fol. 483.

XI. 18. *Concessit.* Hanc esse veram lectionem probavi libro 2. fol. 263.

Matth. VIII. 28. *Venisset.* De hoc loco, & sequentibus. Vide Cap. 4. Sect. 3. fol. 483. & 484.

Joan. VI. 35. *Dixit autem eis Jesus.* Non *Ei* legendum esse, sed *Eis* ostendi libro 2. fol. 278.

Act. XV. 20. *Fornicatione.* Vide Cap. 4. Sect. 3. fol. 485.

I. Cor. VI. 13. *Deus autem & hunc.* Ibidem fol. 486.

VIII. 6. *Nobis tamen unus est Deus.* Ita interposito *Est* legendum monet tam Index correctorius pro Bibliis Vaticanis anni 1593. quàm alter pro Romanis 1598. Atque ita legunt Biblia Sixti V. 1590. item varia manuscripta, multa quoque antiqua impressa, ùt Nurimberg. 1522. Basil. 1514. Lugdun. 1515.

Non obstante tamen eâ correctione indicatâ, reliqui omnes Vulgatæ codices post annum 1600. impressi, habent constanter omisso *Est*, tantùmque subintellecto: *Nobis tamen unus Deus.* Sic etiam est in græco ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεός. *At nobis unus Deus.* Omisso *Est* etiam habetur in manuscriptis antiquioribus, & in plerisque veteribus impressis, ùt Venetis 1494. Lugdun. 1556. Paris. 1534. 1541. 1553. item in omnibus Hentenii, & Lovaniensium.

Ephes. I. 21. *Virtutem, & Dominationem.* Hîc *Et* congruè interponi, dixi Cap. 4. Sect. 3. fol. 486.

Judæ ℣. 13. *Despumantes.* fol. 487.

NUMERUS IV.

Catalogus aliorum locorum, quæ mendosa videntur in Editione Vaticana anni 1593.

PRæter illa 79. menda per Catalogum, seu Indicem correctorium Romæ impressum indicata, ego alios reperi 58. Typographicos nævos in dictis Bibliis Vaticanis anni 1593. Eorum Catalogum subjicio.

	Impressum	*Corrigendum*
Exodi XXVI. 12.	quæ paratur tecto	quæ parantur tecto
Levit. XXVI. 16.	cosumat	consumat
Numer. XXVI. 27.	quinqnaginta	quinquaginta
Deuter. XVIII. 6.	babitat	habitat
XXIV. 14.	tnas	tuas
Ruth IV. 3.	Elimelec	Elimelech
I. Reg. VII. 7.	Masphat	Masphath
XXIV. 13.	Dominns	Dominus
II. Reg. XIII. 14.	obpressit	oppressit
XIX. 22.	filiæ Sarviæ	filii Sarviæ
III. Reg. XI. 26.	Nabath	Nabat
℣. 33.	Moloc	Moloch
I. Paral. XVIII. 16.	Abimelec	Abimelech
II. Paral. XVII. 3.	Josaphath	Josaphat
Job XXI. 9.	secutæ	securæ
XXXIII. 19.	quoqne	quoque
Eccle. VIII. 11.	perpetrat	perpetrant
Sap. XIV. 8.	llud	illud
Eccli. IV. 21.	absconsa suo	absconsa sua
XVI. 9.	Loth	Lot
XLVIII. 20.	Senacherib	Sennacherib
Isa. XIX. 12.	tbi	tibi
XXXVIII. 21.	deficis	de ficis
XLIX. 20.	filiis sterilitatis	filii sterilitatis
L. 5.	abiit	abii
Jerem. XVII. 13.	recedentes à re	recedentes à te
XXV. 3.	Ammon	Amon
XXXIX. 5.	iu	in
Baruch II. 28.	præcepisti cis	præcepisti ei
Ezech. XXVIII. 13.	Topatius	Topazius

Zach.

	Impressum	*Corrigendum*
Zach. I. 13.	consolatotia	consolatoria
XII. 6.	faciem	facem
I. Machab. IV. 26.	quicumqne	quicumque
Math. I. 15.	genit Mathan	genuit Mathan
Ibid.	Mathan auten	Mathan autem
X. 4.	Chananæus	Cananæus
XV. 7.	Hypocrytæ	Hypocritæ
Marc. V. 13.	concessit ei	concessit eis
VI. 11.	hota præteriit	hora præteriit
VII. 4.	áforo	à foro
Luc. VIII. 18.	quomodò audiatis?	quomodò audiatis.
X. 23.	dicit	dixit
XVIII. 39.	misere mei	miserere mei
XXII. 34.	donet	donec
Act. XVII. 32.	dixeruut	dixerunt
XVIII. 25.	& & fervens	& fervens
I. Cor. XVI. 5.	Mecedoniam	Macedoniam
Galat. II. 8.	circumsionis	circumcisionis
II. Timoth. I. 10.	Salvaroris	Salvatoris
Tit. I. 7.	iracuudum	iracundum
℣. 8.	justuu	justum
II. 11.	gtatia	gratia
Hebr. IX 5.	fingula	singula
I. Joan. II. 21.	veritarem	veritatem
Apoc. II. 24.	quia Thyatiræ	qui Thyatiræ
III. 14.	Hæc dicit: Amen	Hæc dicit Amen
VII. 6.	Nephtali	Nephthali
XVII. 4.	inaurato	inaurata

N U M E R U S V.

Crisis præcedentis Catalogi.

HÆc quinquaginta & octo loca penè omnia in hoc solo sunt mendosa, quòd aliqua littera sit inadvertenter omissa, vel addita, aut una impressa pro alia, vel inversè collocata.

Equidem has minutias notare volui, & exhibere, exemplo eorum, qui Indices Romanos composuerunt, quia tertius Index, hoc est ille, qui est pro Bibliis Vaticanis anni 1598. fermè totus in talibus nævis indicandis consistit, & in bino priori similia quoque

que sunt indicata, v. g. in primo Gen. xix. 64. *conspectu* pro *confecto*. Levit. xix. 19. *testa* pro *texta*. I. Reg. x. 23. *rursum* pro *sursum*. II. Paral. xxxv. 22. *secunda* pro *Secunda*. Judith v. 20. *Jebuzaeum* pro *Jebusaeum*. Job xxi. 9. *secutae* pro *securae*. Psal. LXXXVIII. 8. *cuircuitu* pro *circuitu*. Rom. xiv. 7. *moritut* pro *moritur*.

In secundo Gen. xxvi. 12. *In* pro *in*. Exod. xv. 16. *im* pro *in*. Exod. xvi. 13. *Eactum* pro *Factum*. Num. I. 34. *pocedere* pro *procedere*. Judic. v. 15. *Baratbrum* pro *barathrum*. Eccli. xxxix. 16. *enarrrem* pro *enarrem*. Jerem. xv. 5. *Jernsalem* pro *Jerusalem*. Apoc. xi. 18. *adventi* pro *advenit*.

Nec utilitate caret talium locorum indicatio; nempè ut caveatur ne Typographi dum Biblia imprimunt, ac sæpè non multùm attendunt ad sensum, scrupulosèque in omnibus prototypum suum imitari volunt, ne, inquam, hos, licet patentes nævos in suam, quam faciunt transfundant Editionem.

Sic incautè factum est in Editione Vaticana anni 1593. in qua patenti mendo est impressum eodem modo, quo in præcedenti anni 1592. Job xxi. 9. *Domus eorum secuta sunt, & pacatæ*, pro *Securæ*. Similiter in Romana 1598. impressum est, sicut fuerat in Bibliis 1592. Act. xiii. 6. *Virum magnum* pro *Virum magum*. Item in Editionibus 1592. 1593. 1598. Gen. xxxv. 8. *Super* pro *Subter*.

Ita etiam mendum, quod irrepserat in Vaticanam 1593. Apoc. xvii. 4. *inaurato*, transfusum est in Romanas 1598. 1624. prout & Zach. xii. 6. *Facem* pro *Facem*. Item Plantinianas, omnesque fermè alias Editiones pervasit nævus, qui est in Vaticanis 1593. Isa. xlix. 20. *filiis* pro *filii*, & alter Matth. x. 4. *Chananaeus* pro *Cananaeus*.

Omissis porrò minutis illis nævis, ipso intuitu, seu lectione patentibus, observo in Bibliis Vaticanis anni 1593. iisque solis esse impressum II. Reg. xix. 22. *Filiæ Sarviæ* pro *Filii Sarviæ*, nempè Joab & Abisai fratres. Vide dicta Cap. 4. Sect. 3. fol. 478.

Isa. xxxviii. 21. *Jussit Isaias ut tollerent massam de ficis*. Non relictâ separatione inter *de*, & *ficis*, evidenti mendo est impressum *deficis*.

Isa. XLIX. 20. *Filii sterilitatis*. Ita esse legendum, non *Filiis*, quod ex mendoso prælo horum Bibliorum, habent pleraque Biblia moderna, ostendi libro 2. fol. 238.

Isa. L. 5. *Retrorsum non abii*. Ibid. fol. 239. demonstravi, quòd ita legi debeat in prima persona, non in tertia *abiit*.

Jerem. XXV. 3. *Josiæ filii Amon*. Vide dicta Cap. 4. Sect. 3. fol. 481.

Baruch II. 28. *Præcepisti ei*. Non *Eis*, sed *Ei* legendum noto fol. 482.

Ezech. xxviii. 13. *Topazius*, non *Topatius* scribitur hæc gemma græcè, & latinè.

Zach. xii. 6 *Sicut facem ignis*. Hanc lectionem stabilivi libro 2. fol. 259.

Matth. X. 4. *Cananaus*, non *Chananaus*. Vide libro 2. fol. 266.

XV. 7. *Hypocritæ* ὑποκριταί, non *Hypocrytæ*.

Marc.

Marc. V. 13. *Concessit eis.* Pro *Eis* conclusi libro 2. fol. 270.

VII. 4. *à foro.* Ibidem fol. 271. hanc lectionem prætuli isti: *áforo.*

Luc. VIII. 18. *Quomodò audiatis.* Nullum hîc signum interrogationis esse ponendum, dixi lib. 2. fol. 273.

X. 23. *Dixit.* Dixi hanc esse veram lectionem Cap. 4. Sect. 3. fol. 484.

Apoc. II. 24. *Qui Thyatiræ estis.* Sic benè impressum est in Bibliis Romanis 1598. 1624. Legendumque monet Index pro Vaticanis 1592. sed in Indice pro Bibliis 1593. omissum est notari mendum, quo etiam in istis positum est *quia* pro *qui.* Vide lib. 2. fol. 312.

III. 14. *Hæc dicit: Amen.* Interpunctionem esse tollendam, ostendi fol. 312.

VII. 6. *Nephthali.* Sic scribitur græcè, & hebraicè.

XVII. 4. *Inaurata.* Ita legendum dixi fol. 314.

CAPUT SEPTIMUM.

De Editionibus Recentioribus Vulgatæ Latinæ, præsertim Plantinianis.

PUNCTUM PRIMUM.

PROLOGUS.

Restat ultimum Caput hujus Libri III. ac totius operis, in quo agendum est de differentia, quæ reperitur inter Biblia Vulgata Latina jussu Clementis VIII. Romæ edita in Typographia Vaticana, & Biblia Vulgata Latina alibi locorum impressa, signanter typis Plantinianis, ab anno 1603. ac deinceps.

Inquirenda namque manet illarum Editionum, si quæ sit, differentia, causa, meritum. Et quidem omnes Theologi hactenùs putarunt, (quod & ego multis annis tanquam indubitatum habui) in nullo discrepare Biblia Vulgata Latina jussu Clementis VIII. correcta, Typisque Vaticanis edita, à Bibliis alibi locorum juxta exemplar istorum Vaticanorum impressis, præsertim à Plantinianis, quæ per Moretos ab anno 1603. ac deinceps multoties quàm accuratissimè, & incredibili curâ, atque diligentiâ sunt impressa, adeò ut in illis rari sint nævi typographici.

Hæc, dico, Biblia Plantiniana, hactenus indubitanter existimata sunt exactissimè cum Vaticanis convenire in omnibus, præsertim propter Decretum Clementis VIII. quod unum idemque est præfixum Bibliis Vaticanis annorum 1592. 1593. 1598. Istud Decretum meritò hîc Lectoribus exhibebo.

PUNCTUM SECUNDUM.

Decretum ac Breve Clementis VIII. circa Biblia suo jussu correcta, edita, & edenda.

CLemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Cùm Sacrorum Bibliorum Vulgatæ Editionis textus summis laboribus ac vigiliis in restitutus, & quàm accuratissimè mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra typographia Vaticana in lucem prodeat; Nos, ut in posterum idem textus incorruptus, ùt decet, conservetur, opportunè providere volentes, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium districtè inhibemus, ne intra decem annos à datâ præsentium numerandos, tam citra, quàm ultra montes alibi, quàm in nostra Vaticana typographia à quoquam imprimatur.

Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum Editionem typis mandare præsumat, nisi habito priùs exemplari in typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minimâ quidem particulâ de textu mutatâ, additâ, vel ab eo detractâ, nisi aliquod occurrat, quod typographicæ incuriæ manifestè adscribendum sit, inviolabiliter observetur.

Si quis verò Typographus in quibuscumque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ, & S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quàm non subjectis hanc eandem sacrarum Scripturarum Editionem intra decennium prædictum quoquomodò, elapso autem decennio, aliter quàm juxta hujusmodi exemplar, ùt præfertur, imprimere, vendere, venalem habere, aut aliàs edere, vel evulgare, aut si quis Bibliopola à se, vel aliis quibusvis, post datam præsentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos, à præfato restituto, & correcto textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quàm à typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit; ultra amissionem omnium librorum, & alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, à quâ, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit... Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Novembris M. D. XCII. Pontif. nostri anno I.

In hac Bulla notandum est sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ vetari, ne exemplar Romanum in aliquo deseratur, seu mutetur, nisi ubi patens est præli mendum.

Idem decrevit prædictus Clemens VIII. in Brevi ad Joannem Moretum dato die XI. Martii M. D. XCVII. Tibi soli (inquit in illo Pontifex) trans

trans Alpes, ut durante decennio proximo, Biblia Vulgatæ editionis hujuſmodi juxta exemplar in dicta typographia impreſſum, & tibi traditum, quàm emendatiſſimè tamen, & ſummâ cum Fide, nullâque factâ additione, aut imminutione imprimere valeas, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, & indulgemus.

Iiſdem verbis ſcripſit Paulus V. ad Joannem, & Balthaſarum Moretos in Brevi dato 1611. Item Urbanus VIII. in altero expedito 14. Auguſti 1641.

PUNCTUM TERTIUM.

Differunt in variis Biblia Vaticana, & Moderna alibi impreſſa.

QUis legens Decretum & Brevia Pontificia præcedenti puncto allegata, non exiſtimaret plenariam eſſe, atque exactiſſimam convenientiam inter Biblia Vaticana, ſeu Romæ edita, & Plantiniana, omniaque alia ad ipſorum exemplar excuſa?

Differunt nihilominùs Biblia iſta in variis ac notabilibus locis. Differentias conſpicere licet in ſequenti Schemate, in quo ex una parte exhibebo lectionem Editionis Vaticanæ Clement. VIII. prout vel impreſſa eſt, vel ſaltem per Indices corrigenda & imprimenda notatur, ex altero verò latere allegabo lectionem Editionis Plantinianæ anni 1618. quia illa eſt ordinaria in Plantinianis codicibus, & in omnibus penè conveniens cum aliis alibi terrarum factis editionibus.

	VATICANA	BIBLIA	PLANTINIANA
		GENESIS.	
8	ſuper	XXXV.	ſubter
		EXODI.	
26	Domino Deo noſtro?	VIII.	Domino Deo noſtro.
42	obſervabilis Domino	XII.	obſervabilis Domini
3	dimitteſque	XL.	demitteſque
		LEVITICUS.	
9	Cùmque meſſueris	XIX.	Cùm meſſueris
		NUMERI.	
9	enumerati	II.	annumerati
		JOSUE.	
15	Jerala	XIX.	Jedala
		JUDICUM.	
32	ſolito eos more cedere	XX.	ſolito eos more cædere

	Vaticana	Biblia	Plantiniana
		RUTH.	
7	diſcooperto pallio, à pedibus ejus ſe projecit.	III.	diſcooperto pallio à pedibus ejus, ſe projecit.
		II. REGUM.	
3	Abſalon	III.	Abſalom
29	nec deficiet		nec deficiat
		III. REGUM.	
23	qui ambulant	VIII.	qui ambulabant
18	& dedit illud in manus	XV.	dedit illud in manus
1	quæ erat in Jezrahel	XXI.	qui erat in Jezrahel
15	tradet eum Dominus	XXII.	tradet eam Dominus
		II. PARALIPOMENON.	
1	Joaden	XXV.	Joadan
		JUDITH.	
22	Abraam	VIII.	Abraham
9	Joachim	XV.	Joacim
		ESTHER.	
1	quin eſſet Mardochæus	XV.	quin Eſther Mardochæus
		JOB.	
22	etſi poſt modicum	XXXII.	& ſi poſt modicum
		PSALMI.	
46	loquebar de teſtimoniis	CXVIII.	loquebar in teſtimoniis
		ECCLESIASTES.	
18	Dixi in corde filiis	III.	Dixi in corde meo de filiis
		SAPIENTIÆ.	
14	ſupervacuitas enim hominum hæc advenit	XIV.	ſupervacuitas enim hominum advenit
12	in ſcientiam	XVII.	inſcientiam
		ECCLESIASTICUS.	
19	non facias	VIII.	non facies
20	quod tempus præteriet	XI.	quòd tempus præteriet
9	Loth	XVI.	Lot
		ISAIAS.	
3	& non magnificaſti	IX.	non magnificaſti
20	filii ſterilitatis	XLIX.	filiis ſterilitatis
5	afflues, mirabitur	LX.	afflues, & mirabitur
		JEREMIAS.	
6	A a a,	I.	A, a, a,

3 Am-

	Vaticana	Biblia	Plantiniana
3	Ammon	XXV.	Amon
13	venturus eſt	XLVI.	venturus eſſet
24. 26. *tertiò*	in manu		in manus
18	aſcendet ad te, diſſipabit	XLVIII.	aſcendit ad te, diſſipavit.
3	filiæ Rabbath	XLIX.	filii Rabbath

BARUCH.

28	præcepiſti eis	II.	præcepiſti ei

EZECHIEL.

28	Mucro, mucro evaginate ad occidendum, limate *&c.*	XXI.	Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te *&c.*
13	Topatius	XXVIII.	Topazius
1	ſex cubitos latitudinis inde	XLI.	ſex cubitos inde
1	per viam educentem	XLII.	per viam ducentem

ZACHARIAS.

6	ſicut faciem ignis	XII.	ſicut facem ignis

I. MACHABÆORUM.

80	& ejecerunt jacula	X.	& jecerunt jacula
1	elegit viros	XII.	& elegit viros
52	qui cum ipſo erant		qui cum ipſo fuerant
15	pro argento, quod habebat	XIII.	pro argento, quod debebat

II. MACHABÆORUM.

9	datis eis	VIII.	datis ei
18	quæ res permittebat, conceſſi.	XI.	quæ res permittebat, conceſſit.

MATTHÆUS.

28	Cùm veniſſent	VIII.	Cùm veniſſet
4	Simon Cananæus	X.	Simon Chananæus
1	aſſumpſit	XVII.	aſſumit
53	Angelorum.	XXVI.	Angelorum?

MARCUS.

13	conceſſit ei ſtatim	V.	conceſſit eis ſtatim
4	áforo	VII.	à foro

LUCAS.

18	quomodo audiatis?	VIII.	quomodo audiatis.
23	dicit	X.	dixit
48	& fecit digna, plagis vapulabit paucis	XII.	& fecit digna plagis, vapulabit paucis

JOANNES.

36	dixit: ecce Agnus Dei	I.	dicit: ecce Agnus Dei

	VATICANA	BIBLIA	PLANTINIANA
35	Dixit autem ei Jesus	VI.	Dixit autem eis Jesus

ACTUS APOSTOLORUM.

23	affligentes	II.	affigentes
20	fornicationis	XV.	fornicatione
30	misi ad te denuncians: & accusatoribus, ut dicant *&c.*	XXIII.	misi ad te, denuntians & accusatoribus, ut dicant *&c.*

AD ROMANOS.

8	secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est	V.	secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est:

I. AD CORINTHIOS.

6	unus est Deus	VIII.	unus Deus

II. AD CORINTHIOS.

1	mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritûs perficientes sanctificationem *&c.*	VII.	mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem *&c.*

I. AD TIMOTHEUM.

8	his contenti simus	VI.	his contenti sumus

II. AD TIMOTHEUM.

22	Fidem, Spem, Charitatem	II.	Fidem, Charitatem

APOCALYPSIS.

24	quia Thyatiræ estis	II.	qui Thyatiræ estis
4	inaurato	XVII.	inaurata
9	dixit mihi: hæc	XIX.	dicit mihi: hæc

In Bibliis Vaticanis constantissimè scribitur Verbum *Nuncio* cum omnibus ab eo derivatis per litteram *c*, at in Plantinianis ubique per *t Nuntius*, *Annuntiare*, *Pronuntio* &c. Utrumque est in usu.

PUNCTUM QUARTUM.

CAUSA EXHIBITARUM DIFFERENTIARUM.

Contra id, quod hactenus omnes indubitanter crediderunt & supposuerunt, evidenter ostenditur Franciscum Lucam Brugensem quoad multa loca, aliter allegasse verba Vulgatæ, quàm habeantur in Codicibus Vaticanis Clementis VIII.

QUòd Biblia Plantiniana, aliaque per Orbem Catholicum multipliciter edita, non conveniant in omnibus cum Bibliis Vaticanis Clementis VIII. sed in allegatis locis passim discordent, non est ortum ex Indicibus Cor-

Correctoriis Romæ editis anno 1598. pro Bibliis Vaticanis annorum 1592. 1593. 1598.

Patet hoc primò ex eo, quòd in multis locis ista differentia subsit, de quibus locis nihil notatur in Indicibus v.g. Gen. XXXV. 8. Vaticana 1592. 1593. 1598. *Super*, Plantiniana *Subter* Exod. XL. 3. Vaticana omnia: *Dimittesque*, Plantiniana: *Demittesque*. Esther XV. 1. Vaticana universa: *Quin esset Mardochæus*. Plantiniana: *Quin Esther Mardochæus*. Jerem. XLIX. 3. Vaticana omnia: *Filiæ Rabbath*. Plantiniana: *Filii Rabbath*. II. Timoth. II. 22. Vaticana universa: *Fidem, spem, charitatem*. Plantiniana: *Fidem charitatem*.

Secundò nunquam horum Indicum ullus, quantùm scio, meminit Theologus, aut Interpres Scripturæ, sed omnes hos altùm latuerunt Indices isti, præsertim Franciscum Lucam Brugensem, utpote qui nusquam illos citat, nusquam illorum vel per umbram mentionem facit, neque illos sequitur tum in allegandis Vulgatæ verbis, tum in Notis suis; sed econtrariò variis locis docet aliter esse legendum, quàm legendum Indices monent.

Denique nec hos Indices secuti sunt Typographi, ùt patet experientiâ, v.g. III. Reg. XXI. 1. Ezech. XXI. 28. Eccli. VIII. 19. Jerem. XLVI. 24. 26. I. Cor. VIII. 6. aliisque locis, ùt ex dicendis patebit.

In illis autem locis, in quibus lectio Plantiniana cum his Indicibus convenit, id accidisse reor non propter hos Indices, sed quia vel patens nævus typographicus erat in Bibliis Vaticanis, vel quia saltem talis judicabatur ab illis, qui prælo intendebant.

Veram ergo differentiæ causam maximè in duobus consistere existimo. Primò quòd Plantiniani Typographi (quos tanquam & per Vaticanos Codices plenè instructos, & exactissimos imitatores, atque Decretorum Papalium religiosos observatores, neglectis, aut non habitis Exemplaribus Romanis, alii Typographi omnes sunt accuratè insecuti) quòd, inquam, Plantiniani Typographi in quibusdam locis, in quibus à Vaticanis deflexerunt, putaverint vel in Vaticanis esse patens præli mendum:

Vel (quæ secunda est, & præcipua causa) quòd secuti sint Notas Francisci Lucæ Brugensis; ipse autem in famoso illo suo libro, à se vocato: *Romanæ correctionis... loca insigniora*, aliter afferat verba Scripturæ sacræ, quàm illa sunt impressa in Bibliis Vaticanis; afferat, inquam, illa, quasi in Vaticanis ita, sicut ipse affert, ista verba habeantur; atque ideò sic verba illa posita sunt in Editionibus Plantinianis, & aliis has imitantibus; cùm tamen aliter habeantur in Editionibus Romanis, signanter in Vaticana anni 1593. quam solam vidit, & quâ solâ usus est Lucas Brugensis, ùt statim ostendam, priùs exempla videamus.

Exodi VIII. 26. Vaticana: *Immolabimus Domino Deo nostro?* Franciscus Lucas: *Immolabimus Domino Deo nostro. Prudenter omissa est nota interrogationis*

(in

(in Bibliis Vaticanis Clem. VIII.) *quæ est in aliis libris.* Quis iſta Franciſci Lucæ verba legens, non exiſtimaret in Vaticanis Codicibus eſſe omiſſam interrogationis notam? Hæc tamen in illis omninò habetur. Eadem reflexio facienda eſt circa omnia loca ſequentia.

Levit. XIX. 19. Vaticana: *Cùmque meſſueris.* Franciſcus Lucas: *Cùm meſſueris. Interpres non addidit copulativam Cùmque.*

III. Reg. XV. 18. Vaticana: *Et dedit illud in manus.* Fr. Lucas: *Dedit illud in manus. Non eſt præponenda conjunctio* ET.

III. Reg. XXII. 15. Vaticana: *Tradet eum Dominus.* Brugenſis: *Tradet eam Dominus. Non eſt omittendum Pronomen* EAM.

I. Paral. XXI. 30. Vaticana: *Nimio enim fuerat in timore perterritus.* Brugenſis: *Nimio enim fuerat timore perterritus. Non præponas nomini* TIMORE, *Præpoſitionem* IN.

II. Paral. XXV. 1. Vaticana: *Joaden.* Brugenſis: *Joadan.*

Eſther XV. 1. Vaticana omnia: *Haud dubium quin eſſet Mardochæus*, nec ullus Index monet legendum *Eſther*; attamen Franciſcus Lucas (quaſi ita haberetur in Vaticanis) legit: *Haud dubium quin Eſther Mardochæus*, & addit: *Nomen proprium* ESTHER, *cave mutes in verbum ſubſtantivum* ESSET.

Pſalm. CXVIII. 46. Vaticana 1593. *Loquebar de teſtimoniis.* Brugenſis: *Loquebar in teſtimoniis. Non ſcribas* DE *loco* IN.

Sap. XIV. 14. Vaticana: *Supervacuitas enim hominum hæc advenit.* F. Lucas: *Supervacuitas enim hominum advenit. Quidam libri verbo* Advenit *præponunt Pronomen* Hæc.

Iſa. IX. 3. Vaticana: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam.* Brugenſis: *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam. Non interponas conjunctionem* ET.

Iſa. LX. 5. Vaticana: *Afflues, mirabitur, & dilatabitur.* Brugenſis: *Afflues, & mirabitur, & dilatabitur. Non eſt omittendum prius* ET.

Jerem. XLVIII. 18. Vaticana: *Vaſtator Moab aſcendet ad te, diſſipabit munitiones tuas.* Franc. Lucas: *Vaſtator Moab aſcendit ad te, diſſipavit munitiones tuas. Præterita non ſunt in Futura mutanda: Aſcendet, Diſſipabit.*

Ezech. XXI. 28. Vaticana: *Mucro evaginate ad occidendum, limate.* Brugenſis: *Mucro evagina te ad occidendum, lima te. Quædam manuſcripta ſic ſcribunt ut unica ſit dictio* EVAGINATE, *& altera una* LIMATE; *unde Epanorthotes: Duo, inquit, ſunt Participia paſſiva.* Quis obſecro iſta Franciſci Lucæ verba legens ſuſpicaretur Vaticanum Clementis VIII. aut ullum impreſſum Vulgatæ Codicem ſcribere unâ voce *Evaginate, Limate.* Adfert ipſe tanquam verba Exemplaris Vaticani *Evagina te, Lima te*, deinde ſubdit: *Quædam manuſcripta ſic ſcribunt ut unica ſit dictio Evaginate, altera Limate.* Imò verò mi Franciſce ſic non tantùm quædam manuſcripta ſcribunt, ſed ſcribit ipſe, quo uſus es, Codex Vaticanus Clementis VIII.

I. Ma-

I. Machab. XII. 1. Vaticana: *Elegit viros.* Brugensis: *Et elegit viros. Non est omittenda conjunctio.*

Ibid. ℣. 52. Vatic. *Qui cum ipso erant.* Brug. *Qui cum ipso fuerant. Retinendum est plusquam perfectum*, FUERANT, *non substituendum imperfectum* ERANT.

II. Machab. XI. 18. Vaticana: *Quæ res permittebat, concessi.* Brugens. *Quæ res permittebat, concessit. Prima persona* CONCESSI *nullo est modo admittenda.*

Math. VIII. 28. Vaticana: *Cùm venissent,* Brug. *Cùm venisset. Non est mutandum singulare* Venisset *cum plurali* Venissent.

Math. XVII. 1. Vaticana: *Post dies sex assumpsit.* Brug. *Post dies sex assumit. Non mutes præsens* Assumit *cum præterito* Assumpsit.

Marc. VII. 4. Vaticana: *Et áforo nisi* &c. Brug. *Et à foro nisi* &c.

Luc. VIII. 18. Vaticana: *Videte ergo quomodò audiatis?* Brugensis: *Videte ergo quomodò audiatis.* Absque interrogationis signo.

Act. XXIII. 30. Vaticana: *Misi ad te denuncians: & accusatoribus* &c. Brugensis: *Misi ad te, denuncians & accusatoribus. Ita interpungendum est, ut Participium* Denuncians *jungatur sequentibus, non præcedentibus.*

Ad Roman. V. 8. Vaticana: *Secundùm tempus, Christus pro nobis* &c. Lucas Brug. *Secundùm tempus Christus pro nobis*, sine interpunctione ante vocem *Christus.*

I. Timoth. VI. 8. Vaticana 1593. *His contenti simus.* Brugensis quasi ex illis Codicibus. *His contenti sumus. Præsens Indicativi* Sumus, *mutatur ab aliis in Præsens Imperativi* Simus.

II. Timoth. II. 22. Vaticana omnia: *Fidem, spem, charitatem.* Brugensis: *Fidem, charitatem. Non interponas* SPEM, *inter* FIDEM & CHARITATEM. Quis hæc iterum in Brugensi legens suspicaretur omnes omninò Vaticanas editiones interponere *Spem.* Eadem reflexio proportionatè facienda est ad singula loca, hîc adducta.

Apoc. II. 24. Vaticana: *Quia Thyatiræ estis.* Brug. *Qui Thyatiræ estis.*

Quòd verò Lucas Brugensis usus fuerit exemplari Vaticanæ Editionis anni 1593. & quidem eo solo, quòdque nullum alterius Editionis extare sciverit, vel inde constat, quòd hoc à Clemente VIII. Moreto missum fuerit (ùt docet ipse Clemens in suo Brevi supra puncto 2. fol. 507.) & per Moretum Brugensi, ùt ex Brugensis verbis initio folii 515. allegandis constat, quodque Brugensis nunquam alterius Editionis Vaticanæ meminerit, illam solam semper adducat, de ea loquatur tamquam de sola existente semper in singulari de *autographo Romano*, de *exemplari Romano*, ùt mox videbis: denique quòd in illa sola præcisè sint isti, ùt vocat Brugensis, errores typographici, quos allegat in utroque suo libello.

Exempli gratiâ. Adducens illa Isaïæ XLIX. 20. *Filii sterilitatis.* Brugensis subjungit: *Vix dubito quin sit hîc error typographicus in Editione Romana, quo Dativus* FILIIS *positus sit loco Nominativi* FILII. Ecce Brugensis in suo libro

bro secundo (quem scripsit circiter 20. annis post primum, nempè anno 1618.) dicit *in Editione Romana hic esse errorem typographicum*, quasi illa anni 1593. sola esset Editio Romana; quippè in illa sola legitur *Filiis*, in priori Vaticana, nempè anni 1592. prout & in tertia, scilicet anni 1598. legitur *Filii*. De illis ergo Editionibus nimirum annorum 1592. 1598. nihil scivit Franciscus Lucas Brugensis. Prout nec vidisse eum umquam editionem Vaticanam factam per Sixtum V. anno 1590. manifestum fit ex illis, quæ reflexi lib. 2. ad Marci V. 35. fol. 271. Eadem porrò reflexio facienda est ad ejus loca sequentia.

Ad illa Exod. XL. 3. *Demittesque* &c. F. Lucas: *In Romana anni* 1593. *Editione est* Dimittes, *quod est Relinques, pro* Demittes, *quod est Expandes*. Certè non sola Editio Romana anni 1593. sed & omnes aliæ habent: *Dimittesque.*

Ad illa Isa. L. 5. *Retrorsum non abii*, notat Brugensis: *Hic mendum est in autographo Romano, ubi excusum est tertiâ personâ* Abiit, *pro prima* Abii. Est hoc mendum in solis Vaticanis anni 1593.

Ad illa Ezech. VII. 18. *Accingent se ciliciis*, ita Brugensis: *Error est hic typographicus in exemplari Romano, ubi singulare* Accinget *excusum est pro plurali* Accingent. In solis Codicibus Vaticanis anni 1593. invenitur *Accinget.*

Ad hæc Zachar. XII. 6. *Sicut facem ignis*, Brugensis animadvertit: *Mendum est hic typographicum in exemplari Romano, ubi* Faciem *trisyllabum nomen, legitur pro dissyllabo* Facem.

Ad ista Act. II. 23. *Per manus iniquorum affigentes*, monet Brugensis: *Pro* Affigentes, *quod est crucifigentes, errore excusum est in exemplari Romano additâ unâ litterâ* Affligentes.

Ecce Brugensis continuò dicit *Autographum Romanum. Exemplar Romanum*, quasi unicum, seu unius tantùm Editionis foret.

Ex illis, quæ hoc puncto sunt hactenus allegata, duo fiunt indubitata, & manifesta. Primò ex illis sequitur evidenter Franciscum Lucam nullum habuisse *Exemplar Romanum* præter istud anni 1593. Secundò patet clarissimè ipsum in utroque suo libro planè aliter attulisse loca Vulgatæ, quàm habentur in isto exemplari Romano anni 1593.

Quomodò autem hoc contingere potuerit in Francisco Luca, ego, ùt verum fatear, ignoro, suspicatus hoc unicum, nempè quòd Franciscus Lucas istud Vaticanum Exemplar non inspexerit propriis oculis, aut saltem quòd istud non exactè exploraverit; atque adeò tam patenter ab eo deflexerit in allegandis Scripturæ Vulgatæ lectionibus.

Isti suo libello primo Franciscus Lucas hunc præfixit Titulum: *Romanæ correctionis in Latinis Bibliis Editionis Vulgatæ jussu Sixti V. Pontificis maximi* (veriùs dixisset, aut saltem addere debuisset: *& Clementis VIII.*) *recognitis, loca insigniora.*

In

In Epiſtola ſua, quâ librum iſtum Brugenſis dedicat Jacobo Blaſæo Epiſcopo Audomaropolitano, hæc inter alia ſcribit: *Ne ampliùs ea loca corrumpantur, quæ jam dexterrimè correcta ſunt* in Editione Vaticana anni 1593. *viſum eſt mihi ſuffragante Moreto exactiſſima diligentia Typographo, expediens fore, ut adhibito autographo Romano* anni 1593. *quod ille ad me miſit, colligerem præcipua, atque inſigniora, quæ in hac Bibliorum Editione, à Romanis Patribus reſtituta ſunt loca: & indicatâ eâ, quæ rejecta eſt, lectione, ita clarè diſtinguerem unam ab altera, ut deinceps nemo non clarè intelligere poſſet, quæ proba ſit lectio, quæ reproba, quæ textu expulſa, quæ in textum ſummi Pontificis Eccleſiæ totius Capitis auctoritate recepta.*

In Approbatione dicti libri ſcribit ipſe Epiſcopus Blaſæus: *Hæc loca Romana & Apoſtolicæ...reſtitutionis Vulgatæ Latinæ, ex ipſo autographo Romano (quod vidimus) obſervata, & collecta.*

Quis obſecro legens tum hanc Approbationem, tum libri iſtius Titulum, tum verba allegata Franciſci Lucæ, tum Decretum, & Brevia Pontificia adducta puncto 2? Quis, inquam, iſta legens vel minimùm dubitaret, quin omnia omninò loca Scripturæ ita in illo ſuo libro Franciſcus Lucas accuratiſſimè, ac fideliſſimè allegaret, ſicut in *Romano illo autographo habentur?*

Iſtud Autographum ſe vidiſſe teſtatur Blaſæus Epiſcopus; inſinuat conformiter ad illa omnia loca per Lucam Brugenſem in ſuo libro eſſe allegata; quod tamen non eſt ita, ùt vidimus. Autographum iſtud Moretus à Pontifice acceptum ad Brugenſem miſit, ut eo uteretur, & loca in eo reſtituta notaret, nempè Exemplar Vaticanum anni 1593. Iſtud exactè ſequendum eſſe ſub pœna excommunicationis præcepit Clemens VIII. Iſtud quoad omnia loca in libro ſuo adducta ſe ſecutum fuiſſe proteſtatur Franciſcus Lucas, ſed, ùt conſpeximus, nequaquam fecit.

Interim tamen quia propter hæc liber Franciſci Lucæ iſti Autographo putabatur ad amuſſim correſpondere, quod & prudenter exiſtimaret quiſquis mox allegata motiva conſideraret, niſi aliter foret inſtructus per illa, quæ antecedenter quidem patefeci, ſed omnes hactenùs Theologos, & Typographos latuerunt.

Inde, inquam, factum eſt, quòd Joannes Moretus totus confiſus ſinceritati, atque doctrinæ Franciſci Lucæ, loco quòd exactè ſequeretur Prototypum Romanum, potiùs ſecutus ſit librum Franciſci Lucæ, hoc eſt, quòd loca Scripturæ impreſſerit, non ſicut in Exemplari Romano habentur, ſed ſicut in libro Fr. Lucæ quaſi ex Vaticano codice allegantur.

Hoc ergo fecit Moretus in prima Plantiniana Vulgatæ Editione factâ anno 1603. in quibus Bibliis ad calcem impreſſit illum ipſum librum Franciſci Lucæ, ut ita quaſi oculare teſtimonium allegaret exactitudinis prœli ſui, atque inſuper reliquis omnibus Typographis exhiberet normam, & indeclinabilem Regulam, ſecundùm

quam sua Biblia exararent.

Hâc occasione omnes non solùm Typographi, sed & Scriptores hactenùs putaverunt omnimodam fuisse exactitudinem in Francisco Luca, ac proinde ipsum secuti sunt, supponentes, ita omninò esse in Codicibus Vaticanis, sicuti citando afferebat Brugensis; quòd tamen, ùt vidimus, nullatenùs subsistit, sed fallit in permultis locis.

Hinc exurgit alia difficultas, nempè quòd non appareat satìs authorizata lectio moderna Codicum Vulgatæ impressorum apud Moretum, & alibi, quoad illa loca, in quibus ipsa differt à Vaticanis codicibus.

Quamvis enim, ùt mox videbimus, quoad varia (non tamen omnia) loca, lectio Plantiniana præferenda videatur Vaticanæ; nihilominùs Vaticana non erat deserenda nec à Luca Brugensi, nec ab ullo privato Typographo, cùm istud, non sine maxima causa, tam graviter inhibuerit Clemens VIII. & in suo Decreto supra allegato, ac Bibliis Vaticanis præfixo, & tum ipse, tum Paulus V. tum Urbanus VIII. in suis Brevibus ad Moretos datis, sicut vidimus Puncto 2.

PUNCTUM QUINTUM.

Utra ex lectionibus differentibus exhibitis Puncto III. videatur magis genuina.

NUnc ipsa loca differentia singula dispiciamus, & examinemus utri lectioni magìs faveant tum originalis linguæ textus, tum aliæ legitimæ Criticæ Regulæ.

Non tamen hîc ad longum tractabo singula loca adducta Puncto 3. Siquidem penè omnia discussa sunt Libro II. quædam hoc Libro III. Unde eo Lectorem pro pleniori instructione remittam; breviterque notanda subjiciam.

GENESIS.

Cap. XXXV. 8. *Sepulta est* Debora *ad radices Bethel super quercum.* Ita Biblia Vaticana 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. nec ullus Index correctorius aliter legendum monet. At Plantiniana omnia nova, & antiqua, prout etiam Vaticana Sixti V. 1590. legunt non *Super*, sed *Subter*, qualiter etiam est in hebræo, & græco, cunctisque aliarum linguarum textibus. Vide dicta libro 2. fol. 139.

EXODUS.

Cap. VIII. 26. Cum signo interrogationis legunt Romana 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* Verùm Indices correctorii pro Bibliis Vaticanis 1592. 1593. 1598. notant scribendum esse deleto interrogationis signo, cum puncto, sicut est in Plantinianis aliisque. De hoc egi libro 2. fol. 141.

Cap. XII. 42. *Nox ista est observabilis*

lis Domino. Sic habent omnia Vaticana Clementis VIII. Sic etiam græca, & favent hebræa; Plantiniana tamen, & alia passim legunt cum Romanis Sixti V. 1590. *Domini*, quomodò in Clementinis Romanis esse corrigendum docent Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. Vide dicta hoc libro fol. 391.

Cap. XL. 3. *Dimitteſque ante eam* Arcam *velum.* Sic habent omnes Editiones Romanæ nempè 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. nec ullus hoc corrigendum monet Index Romanus, sed tantùm Lucas Brugensis, propter quem, ùt puto, est in Plantinianis aliisque deinceps impressum *Demitteſque.* Vide dicta libro 2. fol. 147.

LEVITICUS.

Cap. XIX. 9. Omnia antiqua Biblia, signanter Lovaniensium, cuncta pariter Romana 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. habent *Cùmque messueris.* Est etiam copula addita in hebræo & græco, sed eam Plantiniana, & alia recentiora passim omittunt. Hoc factum reor propter Lucam Brugensem, qui hunc locum non rectè sic adfert, quasi Vaticana omitterent Enclyticam: *Cùm messueris. Interpres non addidit copulam Cùmque.* Interim omittendam esse monent Indices pro Vaticanis 1592. 1593. 1598. Vide libro 2. fol. 149.

NUMERI.

Cap. II. 9. Habetur in Vaticanis 1592. 1593. 1598. *Enumerati*, quod tam benè dici potest, & hebræo, græcoque congruit, quàm *Annumerati*, quomodò corrigunt Indices pro istis Bibliis. Etiam est *Annumerati* in Bibliis Sixti V. 1590. Lovaniensium, Plantinianis, aliisque.

JOSUË.

Cap. XIX. 15. *Naalol, & Semeron, & Jedala.* Omnia, & sola Vaticana Clementis VIII. nempè annorum 1592. 1593. 1598. item Romana 1624. habent *Jerala*, nec ullus ex tribus Indicibus Romanis hoc corrigendum monet in *Jedala*, quomodò scribitur in mea hebraïca charta geographica Terræ sanctæ, itemque in textu tum hebræo, tum chaldæo, tum Arabico יראלה quod sonat *Jidala*, aut *Jedala*, vel (ùt rectiùs meâ opinione pronunciat Hieronymus in locis Hebraïcis, & habetur in textu LXX. Basileæ impresso) *Jadela.* Eusebius *Judela.*

Exemplaria Interpretum LXX. pleraque legunt *Jedala*, aut *Jadela*, paucissima Ἱεριχὼ *Jericho*, nulla *Jerala.* Habent etiam *Jedala* Biblia Sixti V. 1590. Omnia quoque Hentenii, ac Lovaniensium, & universa antiqua tam manuscripta, quàm impressa, nisi quòd pauca legant mendosè *Jedaba*, omnia equidem per *d*, exceptis Vaticanis Clementis VIII.

Inveni tamen in Bibliis Hebraïcis quæ sunt impressa Venetiis anno 1525. hoc loco Notam marginalem Masorethicam, quâ indicatur, quædam antiqua manuscripta hebraïca loco ד *d* habere litteram simillimam ר *r*

יראלה *Jerala*: cui affine est, quod habet Syriacus textus in Bibliis polyglottis Anglicanis עראלה *Arala*, seu *Aralo*. Non ausim tamen asserere, ideò de industria sic esse mutatum in Vaticanis Clementis VIII. Interim omnia Plantiniana, ceteraque recentiora iterum habent *Jedala*.

Hoc contigisse reor propter sequentem notam Francisci Lucæ: *Scribendum est* Jedala *per* d *mutam in secunda syllaba, & l liquidam in tertia, non* Jerala *per* r *liquidam in secunda, aut* Jedaba *per* b *mutam in tertia. Scriptum est enim* (in Vaticanis Clementis VIII.) Jerala *per* r *liquidam, pro* Jedala *per* d *mutam, quod est in aliis libris, & consentit hebræo.* Ita ille; sed quousque Hebræo consentiat, jam dixi.

JUDICUM.

Cap. XX. 32. *Putaverunt solito eos more cadere.* Per diphthongum *cadere*, hoc est percutere, habetur in Plantinianis, & reliquis passim, idque conformiter ad textum hebræum: est nihilominùs sine Dipgthongo *cedere*, hoc est recedere, fugere, in variis aliis, & in omnibus Romanis 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. neque ullus Index hoc notat corrigi debere. Vide dicta libr. I. fol. 30. & II. fol. 165.

RUTH.

Cap. III. 7. *Discooperto pallio à pedibus ejus, se projecit.* Sic interpungunt Plantiniana, & omnia alia recentiora Biblia, atque interpungendum monent Indices pro Vaticanis 1592. 1593. 1598. in quibus interpunctio minùs congruè erat posita post vocem *Pallio*.

II. REGUM.

Cap. III. 3. Vaticana 1590. 1592. 1593. Romana 1624. *Absalon*; sed rectiùs Vaticana 1598. omnesque alibi factæ Editiones legunt per *m* in fine *Absalom*, quomodò scribitur aliis Vulgatæ locis, & hîc etiam in græco, & hebræo nomen istud filii David.

Eodem Cap. ℣. 29. Est in Bibliis Sixti V. 1590. & primis Clem. VIII. nempè anni 1592. *Nec deficiet*; sed Index correctorius pro istis Bibliis monet legendum: *Nec deficiat*; atque ita benè legunt alia Vaticana, Plantiniana, &c. Vide dicta fol. 477.

III. REGUM.

Cap. VIII. 23. *Qui ambulabant.* Sic quidem habetur in Bibliis Vaticanis 1593. atque in omnibus Plantinianis, variisque aliis recentioribus; sed multò rectiùs antiqua passim, & varia recentiora cum Vaticanis 1590. 1592. 1598. & Romanis 1624. legunt in Præsenti: *Ambulant.* Vide hoc probatum libro 2. fol. 177.

Cap. XV. 18. Vaticana 1590. 1592. 1593. *Tollens itaque Asa omne argentum .. & dedit illud.* Non notant quidem Indices tollendum *Et*, contextus tamen clamat istud congruentiùs omitti in Plantinianis, aliisque recentioribus Bibliis, in quibus illud omissum puto ex eo, quòd Franciscus Lucas ita hunc locum adducat, quasi Vaticana Biblia omisissent. Vide fol. 178.

Cap.

Cap. XXI. 1. Plantiniani, aliique recentiores libri, prout & varii antiqui habent: *Qui erat in Jezrahel*, quomodò etiam est in Vaticanis 1592. 1593. 1598. Sed Editio Sixti V. 1590. habet *Qua*, qualiter esse restituendum in aliis Vaticanis monent Indices correctorii pro Bibliis annorum 1592. & 1598. Si hos Indices vidisset Franciscus Lucas Brugensis, hîc aliquid de ipsis indicasset, nec simpliciter scripsisset: *Correctores prætulerunt masculinum* QUI. Vide dicta libro 2. fol. 180.

Cap. XXII. 15. *Tradet eam Dominus*. Sic habent Biblia Plantiniana, & alia recentiora omnia, taliterque legendum esse dixi libro 2. fol. 181. Legit etiam ita Editio Vaticana 1598. Aliæ tamen Romanæ habent *Eum* nempè annorum 1590. 1592. 1593. 1624. sed *Eam* legendum notant Indices pro Bibliis 1592. 1593.

II. PARALIPOMENON.

Cap. XXV. 1. *Nomen matris ejus Joadan*. Sic Biblia Plantiniana, & recentiora alia omnia, sic Lovaniensia, sic Sixtina 1590. Sic denique codices universi IV. Reg. XIV. 1. etiam Vaticani Clementis VIII. Proinde videtur nævus typographicus, quòd sit in Romanis 1592. 1593. 1598. 1624. *Joaden*. Equidem hebræum יהועדן utroque sono potest efferri.

JUDITH.

Cap. VIII. 22. Vaticana 1590. 1592. 1593. 1598. omissâ aspiratione habent *Abraam*, conformiter ad græcum Ἀβραὰμ, neque aliter hoc nomen græcè scribi potest, propter naturam istius linguæ; sed cùm Latinum idioma in medio vocis patiatur simplicem aspirationem, illamque exigat hebræum אברהם non incongruè Romana 1624. & Plantiniana, aliaque recentiora passim, aspirationem supplentes habent *Abraham*.

Cap. XV. 9. Quod Romana 1590. 1592. 1593. 1598. habent *Joachim*, monent Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. mutandum in *Joacim*; meritò quidem; nam in græco est Ἰωακεὶμ, at græcum κ non aspiratur, prout nec ei correspondens hebræum ק k.

ESTHER.

Cap. XV. 1. *Haud dubium quin esset Mardochæus*. Sic est in Vaticanis 1592. 1593. 1598. & Romanis 1624. nec ullus Index aliter monet esse legendum: quòd igitur in Plantinianis, & recentioribus penè universis sit *Esther*, non *Esset*, accidisse reor propter Notam Francisci Lucæ, quâ lectâ unusquisque putaret haberi in Vaticanis: *Esther*, ita enim adducit quasi Vaticana haberent *Esther*: *Haud dubium quin Esther Mardochæus*. Deinde subdit: *Nomen proprium* ESTHER *cave mutes in verbum substantivum* ESSET. Vide dicta fol. 197.

Cap. XXXII. 22. *Nescio enim quàm diu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus*. Hæc lectio, quâ duabus voculis scribitur *& si*, habetur in Plantinianis aliisque Editionibus, & magìs videtur congruere sensui, quàm ista,

quæ

quæ est in Romanis omnibus *Etsi*, quæ vox sumpta pro *Quamvis*, huic loco videtur extranea. Porrò istud *& si*, vel *etsi* addidit Hieronymus pro complendo sensu.

Puto in Plantinianis ac recentioribus Editionibus impressum esse duabus voculis *Et si* propter hoc, quòd ita esse in Vaticanis putaverint Typographi, eò quòd afferat hunc Scripturæ locum Lucas Brugensis acsi ita foret in Vaticanis. Sic enim ipse: *Et si post modicum. Duæ sunt dictiones* & si, *non unica* etsi.

PSALMI.

Psalm. CXVIII. 46. Antiqua communior lectio: *Loquebar de testimoniis tuis*, sublata in Vaticanis Sixti V. 1590. & Clementis VIII. 1592. irrepsit iterum in Romanis Editionibus 1593. & 1598. Sed Indices correctorii pro Bibliis istis monent loco *de* legendum esse *in*, quod etiam habent Plantiniana. Vide lib. 2. fol. 214.

ECCLESIASTES.

Cap. III. 18. *Dixi in corde meo de filiis hominum.* Sic habent Plantiniana, & reliqua omnia, sic etiam est in hebræo, & græco. Quòd Vaticana 1593. & 1598. omittant *meo*, adscribendum est nævo Typographico, quem tollendum monet Index correctorius pro Bibliis 1593. Vide supra fol. 480.

SAPIENTIA.

Cap. XIV. 14. Hunc versum sic adfert Franciscus Lucas: *Supervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum.* Deinde notat: *Quidam libri Verbo* ADVENIT, *præponunt Pronomen* HÆC. Quasi verò non haberent omnes Vaticani codices: *Hæc advenit.* Interim propter istam Notam factum credo, quòd vocem *Hæc* omittant & Plantiniani, & omnes recentiores Vulgatæ libri, conformiter græco textui, in quo deest.

Cap. XVII. 12. Ex nævo præli Vaticani 1592. irrepsit pariter in codices Romanos 1593. 1598. *in scientiam* duabus vocibus, pro una *inscientiam*, quæ est in Plantinianis aliisque, atque etiam in græco, taliterque legendum esse monent Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. Vide libro 2. fol. 226.

ECCLESIASTICUS.

Vaticana 1590. 1592. 1593. 1598. itemque Plantiniana, atque omnia recentiora legunt Eccli. VIII. 19. *Non facies rixam*, posito Futuro pro Imperativo; sed Indices pro Bibliis 1592. 1593. 1598. monent esse legendum ita: *Ne facias rixam*, adeòque hæc est genuina lectio Vaticanorum codicum censenda, atque etiam sic est in græco: *Ne feceris*, seu *ne facias pugnam*, verbis contendendo. Vide supra f. 493.

Cap. XI. 20. Hîc bonam Notam Francisci Lucæ, malè deserunt Biblia Plantiniana, quæ cum variis antiquis, signanter Lovaniensium, & Sixti V. 1590. legunt: *Nescit quòd tempus præteriet*, cùm sit legendum sicut habetur in Vaticanis 1592. 1593. 1598. sine

fine accentu: *Nescit quod* (hoc est *quale*) *tempus præteriet.* Istud probavi libro 2. fol. 229.

Cap. XVI. 9. *Non pepercit peregrinationi Lot.* Sic est scribendum cum Plantinianis, non *Loth*, ut habetur in Vaticanis 1592. 1593. siquidem in Hebræo est לוט in Græco Λώτ.

ISAÏAS.

Omnia Vaticana, utpote Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1592. 1593. 1598. Item Romana 1624. habent interpositâ copulâ *Et*. Isa. IX. 3. *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam.* Biblia Coloniensia 1630. & 1639. etiam interjiciunt *Et*; quo tamen omisso legunt omnia Plantiniana, & cetera recentiora, apparenter propter Notam Francisci Lucæ, quâ implicitè asserit, esse in Romanis omissum *Et*, quod tamen non est verum; ita enim ipse notat: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Non interponas conjunctionem* Et. Equidem nec hebræa, nec græca interponunt, prout nec Biblia Lovaniensium.

Cap. XLIX. 20. *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ.* Ita, nempè *Filii* est in Vaticanis Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1592. & 1598. eamque esse legitimam lectionem ostendi libro 2. fol. 238. mendosum verò esse istud *Filiis*, quod irrepsit in Vaticana 1593. indeque pervasit omnia penè Plantiniana, aliaque.

Cap. LX. 5. Vaticana omnia tam Sixti V. quam Clementis VIII. *Afflues, mirabitur.* Sic etiam Plantiniana anni 1603. hoc est prima; subsequentia tamen, atque alibi terrarum impressa Biblia interponunt *Et*, idque, ut credo, quia sic retulit Lucas Brugensis, quasi esset in Romanis interpositum. Interim istud *Et* mediat in hebræo, græco, & Lovaniensium.

JEREMIAS.

Cap. I. 6. Habetur minùs congruè in omnibus Plantinianis *A, a, a*, nempè mediis interpunctionibus, cùm sit una vox, & interpunctiones istæ desint in Bibliis Vaticanis Clementis VIII. Vide dicta libro I. fol. 80.

Cap. XXV. 3. *Amon.* Prævalere eam lectionem, quæ ita habet per simplex *m*, illi, quæ duplicat: *Ammon*, dixi supra fol. 481.

Cap. XLVI. 13. *Quòd venturus esset.* Eodem loco probavi, hanc magìs genuinam videri Vulgatæ lectionem.

Ibid. ℣. 24. 26. *In manu.* Ita hîc tertiò legendum est, si credimus Indici Romano pro Bibliis anni 1593. Estque etiam ita in Sixti V. 1590. & Clement. VIII. 1592. Sed Plantiniana omnia habent *In manus.* Vide dicta fol. 481.

Cap. XLVIII. 18. *Ascendit ad te, dissipavit.* Sic in præterito legendum monent Indices pro Bibliis 1592. 1598. Est quippè in Romanis 1590. 1592. 1593. 1598. *Ascendet... Dissipabit.* Vide libro 2. fol. 244.

Cap. XLIX. 3. *Clamate filiæ.* Ita cum Vaticanis omnibus esse legendum tum ex hebræo, tum ex græco demonstravi libro 2. fol. 244. Mirum

ſanè quod Plantiniana, & ex illis recentiora penè omnia habeant *Filii*; ſed error ſemel commiſſus in Plantinianis putatis exactiſſimis, reliquas facilè pervaſit poſteriores Editiones.

BARUCH.

Cap. II. 28. *Præcepiſti ei.* Sic Plantiniana poſt Romana 1590. & 1592. atque ita debere legi probavi ſupra fol. 482. non verò *Eis*, quod mendosè habent Romana 1593. 1598. 1624.

EZECHIËL.

Cap. XXI. 28. *Mucro, mucro evaginate...limate.* Sic, nempè duabus vocibus eſſe legendum, non quatuor ſeparatis *evagina te... lima te* evidenter oſtendi libro 2. fol. 248. 249. 250. Iterum hìc notanda eſt Nota Brugenſis, quæ falsò ſupponit in Vaticanis Bibliis ſignanter anni 1593. eſſe *Evagina te.. lima te.* Notam iſtam vide ſupra fol. 512. col. 2. lin. 23. Meliùs ſcribit Cornelius à Lapide in hunc locum: *Corrige cum Hebrais, Gracis, Romanis*: Evaginate, Limate *in Vocativo.*

Cap. XXVIII. 13. Hoc ſolo loco Vaticana 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. per *t* ſcribunt *Topatius*, alia omnia Biblia, & Vaticana, ac Romana citata aliis Scripturæ locis per *z Topazius*, quomodò à ſacris, & prophanis hujus gemmæ nomen ſcribitur in græco & latino.

Cap. XLI. 1. *Sex cubitos latitudinis inde.* Iſtud *latitudinis* exprimunt Vaticana 1590. 1592. 1598. ſubintelligunt tantùm Romana 1593. Plantiniana, aliaque recentiora. Vide dicta fol. 437.

Cap. XLII. 1. *Per viam ducentem.* Videatur fol. 483.

ZACHARIAS.

Cap. XII. 6. *Sicut facem ignis.* Libro 2. fol. 259. ex hebræo, græco, antiquiſque Latinis oſtendi, ſic eſſe legendum, leguntque & Plantiniana, & cuncta recentiora, quamvis Vaticana omnia habeant *Faciem*, nec ullus Index hoc notet corrigendum.

I. MACHABÆORUM.

Cap. X. 80. *Jecerunt jacula.* Hæc eſt communiſſima lectio, quam in Bibliis Vaticanis 1593. reſtituendam monet Index correctorius. Vide ſupra fol. 483.

Cap. XII. 1. Biblia Vaticana omnia, & Colon. 1630. omiſſo *Et* habent: *Elegit viros*, ſed attento latino contextu, & græco textu, patet congruentiùs addi in Plantinianis, aliiſque. Quòd hæc à Vaticanis diſcrepent, rurſus factum reor ex eo, quòd Lucas Brugenſis ita referat, acſi Vaticana præponerent *Et*, ſic enim notat: *Et elegit viros. Non eſt omittenda Conjunctio.*

Eodem Cap. ℣. 52. *Qui cum ipſo fuerant.* Sic Plantiniana, & Vaticana 1592. atque ita legendum eſſe monet Index pro Bibliis 1593. quæ habent *Erant*, prout & Sixti V. Vide ſupra fol. 442.

Cap. XIII. 15. Eſt in Vaticanis 1592. & 1593. *Pro argento, quod habebat*; ſed Indices correctorii pro his Bibliis

bliis notant esse legendum *Debebat*, quod etiam est in græco, in Vaticanis Sixti V. 1590. Clem. VIII. 1598. atque in Plantinianis omnibus. Vide dicta libro 2. fol. 261.

II. MACHABÆORUM.

Cap. VIII. 9. *Misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei.* Ita Vaticana 1590. 1592. Plantiniana, aliaque, & sic legendum docent Indices pro Bibliis 1593. 1598. in quæ irrepsit *Datis eis.* Vide supra fol. 483.

Cap. XI. 18. *Quæ res permittebat concessit* Rex. Sic Plantiniana, & Romana 1598. 1624. Quod in Vaticanis 1590. 1592. 1593. est *concessi*, corrigitur per Indices Bibliorum 1592. 1593. Vide libro 2. fol. 263.

MATTHÆUS.

Cap. VIII. 28. *Cùm venißet.* Ita in singulari legunt Biblia Romana 1590. & 1592. ac Plantiniana omnia cum græcis; atque ita esse legendum monent Indices pro Vaticanis 1593. & 1598. in quæ irrepserat *Venissent.* Vide libro 2. fol. 265.

Cap. X. 4. *Simon Chananeus.* Sic habent Plantiniana, & recentiora passim omnia, post Vaticana 1593. Sed rectiùs Romana 1590. & 1592. *Simon Cananeus* sine aspiratione, quod vide clarè probatum ex Græco, Syro, &c. fol. 266.

Cap. XVII. 1. *Assumit.* Ita Plantiniana, ita Vaticana 1592. ita græca. Quod in Romanis 1590. & 1593. est *Assumpsit*, corrigit Index pro Bibliis 1593. Vide fol. 445.

Cap. XXVI. 53. *Duodecim legiones Angelorum?* Signum interrogationis, quod omittunt Vaticana 1593. Index monet supplendum. Vide supra f. 484.

MARCUS.

Cap. V. 13. *Concessit eis.* Ostendi libro 2. fol. 270. ex græco textu, & latino contextu, sic in plurali *Eis* esse legendum cum Plantinianis, quamvis Vaticana 1590. 1592. 1593. 1598. habeant in singulari *Ei.*

Cap. VII. 4. *à foro nisi baptizentur.* Sic habent omnia Vaticana Clement. VIII. nempè 1592. 1593. 1598. & Romana 1624. ac Plantiniana 1603. Sed reliqui omnes Vulgatæ codices cum Romanis Sixti V. 1590. magìs Latinè duabus vocibus: *à foro.* Vide dicta libro 2. fol. 271.

LUCAS.

Cap. VIII. 18. *Videte ergo quomodo audiatis.* Hoc immeritò legunt cum signo interrogationis cuncti codices Romani 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. item primi Plantiniani, nempè 1603. & Parisienses 1618. Universi tamen alii, ubique terrarum impressi (saltem omnes, quos magno numero vidi) habent sine isto signo, cum pleno puncto *Audiatis.* Etiam in græcis editionibus nullum apponitur interrogationis signum, neque ego in illis Christi verbis ullam advertere possum interrogationem.

Cap. X. 23. *Dixit.* Ita rectiùs Vaticana 1590. & 1592. Item Plantiniana

&c. quàm *Dicit*, quod est in Romanis 1593. 1598. Vide fol. 484.

Cap. XII. 48. *Et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Sic omninò esse interpungendum, ex græco demonstravi libro 2. fol. 274.

JOANNES.

Cap. I. 36. *Dicit: Ecce Agnus Dei.* Hanc esse genuinam lectionem dixi supra fol. 484.

Cap. VI. 35. *Dixit autem eis Jesus.* Quamvis *Ei* habeant Vaticana 1590. 1592. 1593. 1598. tamen legendum esse *Eis*, probavi libro 2. fol. 278.

ACTUS APOSTOLORUM.

Cap. II. 23. *Per manus iniquorum affligentes interimistis.* Sic legunt omnia Vaticana tam Sixti V. quàm Clementis VIII. sed Plantiniana passim omnia *Affigentes*, quod factum arbitror propter Notam Francisci Lucæ. Porrò hoc videri magìs genuinum probavi libro 2. fol. 284.

Cap. XV. 20. *Fornicatione.* Hanc communiorem esse lectionem dixi fol. 485.

Cap. XXIII. 30. *Misi ad te, denuncians & accusatoribus* &c. Nota Brugensis juncta motivis allegatis libro 2. fol. 288. prævaluit constanti lectioni Codicum Romanorum 1590. 1592. 1593. 1598. 1624. *Misi ad te denuncians: & accusatoribus* &c.

AD ROMANOS.

Cap. V. 8. *Cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* An ita rectiùs interpungant Vaticana 1592. & Plantiniana, ac recentiora, disputavi fol. 485.

I. & II. AD CORINTHIOS.

I. Corinth. VIII. 13. *Nobis tamen unus est Deus.* Interponendum esse *Est* monent Indices pro Bibliis Romanis 1593. 1598. quo tamen monito non obstante omnes Vulgatæ codices post annum 1600. impressi, habent constanter omisso *Est*, tantùmque subintellecto: *Nobis tamen unus Deus*, quomodò etiam est in græco. Vide dicta fol. 501.

II. Corinth. VII. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Ita quidem interpungunt hæc verba omnia Biblia impressa ab anno 1605. & hanc lectionem suadet ipsa locutionis congruitas; attamen Vaticana omnia non improbabiliter tollunt comma post vocem *Spiritûs*, illudque collocant post vocem *Carnis*, hoc sensu: *Et spiritûs perficientes sanctificationem.* De hoc duplici modo distinguendi latiùs egi libro 2. fol. 295.

I. & II. AD TIMOTHEUM.

I. Timoth. VI. 8. *His contenti simus.* Sic habent Vaticana Sixti V. 1590. & Clementis VIII. 1593. ac multa antiqua Biblia. Propter ea, quæ dixi libro 2. fol. 299. hæc lectio mihi videtur magìs genuina, quàm ista: *His contenti sumus*, quæ est Codicum Romanorum. 1592. 1598. 1624. & communis Plantinianorum, aliorumque recentiorum.

Illis, quæ de hoc loco diximus libro 2. fol. 299. & 300. possumus addere, quòd varia exemplaria græca manuscripta, quæ in Hispania consuluit Marchio de Veles, habeant ἀρκεσθῶμεν *Contenti simus*, seu *fuerimus*, quod hîc tandem notare volui, tum quia seriùs mihi innotuit, tum quia illud ἀρκεσθησόμεθα, quod fol. 300. ex à Lapide retuli, & teste Editore Amstelodamensi novi Testamenti græci habetur in aliquibus exemplaribus; quia, inquam, illud videtur mendosum; vox enim ista non habet bonam formam, secundùm legitimam constructionem græcam.

II. Timoth. II. 22. Propter Notam Francisci Lucæ (quæ tamen innititur falso supposito) factum arbitror, quòd Plantinianæ, omnesque aliæ extra Romam deinceps factæ Editiones hoc loco omittant *Spem*: nec malè si accedat Ecclesiæ consensus, ùt ostendi libro 2. fol. 300. Aliàs Vaticana tum Sixti V. 1590. tum Clementis VIII. omnia 1592. 1593. 1598. tum etiam Romana 1624. habent: *Fidem*, *spem*, *charitatem*.

APOCALYPSIS.

Cap. II. 24. *Qui Thyatiræ estis*. Hanc esse veram lectionem probavi libro 2. fol. 312. & ita habetur in Bibliis Romanis 1598. 1624. Etiam ita legendum monet Index pro Vaticanis 1592. in quibus, prout & anni 1593. pro *Qui* irrepsit *Quia*.

Cap. XVII. 4. *Inaurato auro*. Sic est in Romanis 1593. 1598. 1624. sed videtur nævus typographicus, ùt notavit Brugensis, habentque *Inaurata auro*, tum Vaticana 1590. & 1592. tum Plantiniana, omniaque alia.

Cap. XIX. 9. *Dicit mihi*: *Hæc* &c. Ita est in græco λέγει. Ita in Vaticanis Sixti V. 1590. atque in Plantinianis; sed in Romanis 1592. 1593. 1624. est in Præterito: *Dixit mihi*: *Hæc* &c.

CORONIS.

Catalogus eorum locorum, qui in Vulgata moderna videntur esse mendosi, additâ verosimiliori lectione.

NOn inutile judicavi pro hujus operis Coronide hîc attexere Catalogum illorum locorum, de quibus, meo quidem judicio, verosimile est, quòd sint mendosi, saltem prout ordinariè imprimuntur in Bibliis Latinis, quæ passim circumferuntur, & omnium manibus teruntur.

Lectionem communem in priori columna collocabo, ad cujus latus in secunda ponam lectionem illam, quæ mihi videtur præferenda, quæque loco prioris posset substitui in Bibliis Vulgatæ si, aut quando accesserit Ecclesiæ consensus; Qui, ùt ex ante dictis patet, sufficienter accessit circa

III. Reg. VIII. 23. & XXI. 1. Eccli. XI. 20. XXXV. 12. Isaiæ XLIX. 20. Jerem. XLIX. 3. Ezech. XXI. 28. Matth. X. 4.

Porrò hîc simpliciter utramque lectionem allegabo, si quis desideret videre motiva, seu rationes, propter quas posteriorem lectionem verosimiliorem habeam, illas inveniet isto loco, seu folio, quod post unamquamque verosimiliorem lectionem citabo.

	Lectio communis *Vulgatæ*	*Verosimilior.*	
Genesis II. 2.	Vescimur	Vescemur	*Fol.* 132
XVII. 25.	Ismaël filius	Ismaël filius ejus	386
XVIII. 28.	Delebis propter quadraginta quinque?	Delebis propter quinque? 138. *item*	386
XXI. 20.	Et fuit cum eo	Et fuit Deus cum eo	138
XXXV. 8.	*Vaticana Clementis VIII.* super quercum	*Plantiniana*: subter quercum	139
Exod. XV. 19.	Eques Pharao	Equus Pharao	141
XXI. 14.	Ab altari meo evelles eum	Ab altari meo avelles eum	142
XXXII. 28.	quasi viginti tria millia	quasi tria milllia	143
XXXVIII. ℣℣. 25. 26. 29. *Optarem hîc in Vulgata quædam ex originali textu addita, quædam clariùs expressa.* Vide fol. 146.			
Levit. VII. 37.	& sacrificii pro peccato	& sacrificii, pro peccato	148
Numer. V. 15.	decimam partem Sati	decimam partem Ephi	151
X. 2.	multitudinem quando	multitudinem, quando 16.	151
XV. 4.	in victimam. Per agnos singulos & arietes	in victimam per agnos singulos. Et arietes	151
XXXIII. 40.	ad meridiem, in terram Chanaan venisse	ad meridiem in terra Chanaan, venisse	153
Deuter. IX. 2.	quos ipse vidisti, & audisti, quibus &c.	quos ipse vidisti, & audisti: quibus &c.	153
XXVI. 10.	Et adorato Domino Deo tuo, & epulaberis	Et adorato Domino Deo tuo epulaberis.	154
Josuë XII. 3.	Asedoth, Phasga	Asedoth-Phasga	158
XIII. 2.	Galilæa, Philisthiim	Geliloth Philisthiim	158
℣. 20.	Asedoth, Phasga	Asedoth-Phasga	158
℣. 21.	Hevæum	Evæum	158
XVI. 1.	De Bethel Luza	De Bethel Luzam 27.	159
Ibid.	Archi, Ataroth	Archi-Ataroth	28
℣. 8.	in mare salsissimum	in mare	159

XXI. *Hoc capite videntur esse multa menda in interpunctionibus, de quibus vide dicta fol.* 28. *&* 159. *singulare mendum est.*

	Vulgata Lectio communis	Verosimilior	
℣. 36.	in solitudine, Misor	in solitudine Misor	161
XXII. 10.	in terram Chanaan	in terra Chanaan	162
Judic. XXI. 10.	Miserunt itaque decem millia viros	Miserunt itaque duodecim millia viros	165
I. Reg. II. 17.	Retrahebant homines à sacrificio Domini	Detrahebant homines sacrificio Domini	166
II. Reg. VI. 4.	Cùmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.	Cùmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa custodiens arcam Dei, Ahio præcedebat arcam	173
III. Reg. IV. 2.	Azarias filius Sadoc sacerdotis	Azarias filius Sadoc sacerdos	176
VIII. 23.	Ambulabant	Ambulant	177
XV. 18.	*Vaticana*: Et dedit illud	*Plantiniana*: Dedit illud	178
XVI. 7.	occidit eum, hoc est Jehu filium Hanani Prophetam	occidit eum	179
XVII. 15.	& domus ejus: & ex illa die hydria	& domus ejus ex illa die. Hydria	180
XXI. 1.	*Plantiniana*: Qui erat in Jezrahel	*Vaticana*: Quæ erat in Jezrahel	180
IV. Reg. VI. 32.	Antequam veniret nuncius ille, dixit ad senes	Antequam veniret nuncius, ille dixit ad senes	182
I. Paral. VI. 57.	Civitates ad confugiendum, Hebron, & Lobna	Civitates, ad confugiendum Hebron, & Lobna	185
℣. 67.	Urbes ad confugiendum, Sichem	Urbes, ad confugiendum Sichem	185
VII. 7.	Vrai	Uraj	185
℣. 16. 17.	Vlam	Ulam	185
VIII. 11.	Mehusim genuit Abitob	de Husim genuit Abitob	185
℣. 39. 40.	Vlam	Ulam	185
XVI. 3.	carnis bubalæ	carnis bubulæ	173
II. Paral. II. 10.	Olei quoque Sata viginti millia	Olei quoque Batos (*aut*) Metretas viginti millia	187
XX. 34.	in libros Regum Israël	in libro Regum Israël	189
I. Esdr. I. 8.	Mithridatis filii Gazabar	Mithridatis Gazabar	190
VIII. 14.	Zachur	Zabud	192
X. 34.	Vel	Üël	193
II. Esdr. X. 1.	Nehemias, Athersata	Nehemias Athersata	194
Job. VIII. 16.	in ortu suo	in horto suo	199

XVII.


	Lectio communis	*Veroſimilior*	
Thren. III. 23.	Novi diluculò	Novæ diluculò	245
Baruch II. 34.	dominabuntur eis	dominabuntur ejus	246
Ezech. XIV. 22.	ingredientur	egredientur	248
XVI. 50.	ſicut vidiſti	ſicut vidi	248
XXI. 28.	*Planiniana, & alia omnia:* Evagina te ad occidendum, lima te *&c.*	*Sola Vaticana Clement. VIII.* Evaginate ad occidendum, limate *&c.*	248
XLII. 20.	*bis.* quingentorum cubitorum	quingentorum	252
Daniël. VIII. 2.	Vlai	Ulaj	254
Oſeë VII. 1.	fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris	fur ingreſſus eſt, ſpolians latrunculus foris	439
XIV. 6.	Ero quaſi ros, Iſraël germinabit ſicut lilium	Ero quaſi ros Iſraël, germinabit ſicut lilium	87
Zachar. III. 2.	*bis.* Increpet Dominus in te	Increpet Dominus te	88
XII. 6.	*Romana:* Faciem ignis	*Plantiniana:* Facem ignis	259
I. Machab. X. 83.	Idolum	Idolium	261
XV. 3.	Quoniam quidem	Quoniam quidam	261
II. Mach. IV. 18.	viros peccatores	viros ſpectatores	262
VIII. 13.	ſi quid ei ſupererat	ſi quid eis ſupererat	262
XII. 2.	& Demophon ſuper hos, & Nicanor	& Demophon, ſuper hos & Nicanor	264
XIV. 33.	Templum hoc Libero patri conſecrabo	Templum hîc Libero patri conſecrabo	264
Matth. X. 4.	Simon Chananæus	Simon Cananæus	266
Marc. IV. 29.	cùm produxerit fructus	cùm ſe produxerit fructus	270
V. 13.	*Vatic. Clem. VIII.* conceſſit ei	*Plantiniana &c.* conceſſit eis	270
VII. 4.	*Vaticana Clem. VIII.* àforo	*Plantiniana &c.* à foro	271
Luc. II. 18.	& de his	de his	272
VIII. 18.	*Romana, & quædam alia:* quomodò audiatis?	*Recentiora:* quomodò audiatis.	273
IX. 4.	& inde ne exeatis	& inde exeatis	273
XVI. 23.	ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos	ſepultus eſt. In inferno autem elevans oculos	275
XVIII. 11.	velut etiam	vel ùt etiam	275
Act. I. 13.	cùm introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt	cùm introiſſent, in cœnaculum aſcenderunt	283
II. 28.	*Romana:* per manus iniquorum affligentes	*Planiniana paſſim:* per manus iniquorum affigentes	283

	Lectio communis	*Verosimilior*	
Act. XVII. 6.	Urbem concitant	Orbem concitant	287
XXI. 25.	ab Idolis, immolato	ab Idolis-immolato	106. 288
XXIII. 30.	*Romana*: Misi ad te denuncians: & accusatoribus *&c.*	*Plantiniana*: Misi ad te, denuncians & accusatoribus *&c.*	288
XXIV. 20.	cùm stem in concilio	cùm starem in concilio	289
ad Rom. XVI. 23.	universa Ecclesia	universæ Ecclesiæ	293
I. Corinth. X. 13.	Tentatio vos non apprehendat	Tentatio vos non apprehendit	294
XIII. 3.	ita ut ardeam	ut ardeam	294
I. Timoth. VI. 8.	his contenti sumus	his contenti simus	299
II. Timot. II. 22.	*Romana:* Fidem, spem, charitatem	*Plantiniana*: Fidem, charitatem	300
Hebr. X. 6. 8.	Holocautomata pro peccato	Holocautomata, & pro peccato	120. 302
XII. 2.	qui proposito sibi gaudio	qui pro proposito sibi gaudio	120. 302
I. Petri III. 20.	expectabant Dei patientiam	expectabat Dei patientia	305
Apocal. III. 14.	Hæc dicit: Amen, testis fidelis	Hæc dicit Amen, testis fidelis	312
XIV. 3.	nemo poterat dicere canticum	nemo poterat discere canticum	313

F I N I S.



FACUL-



FACULTAS SUPERIORIS.

TEnore præsentium Facultatem concedo, & in meritum obedientiæ salutaris injungo Dilecto nobis in Christo A. V. P. F. Henrico de Bukentop Sacræ Theologiæ Lectori Jubilato, & Provinciæ nostræ Germaniæ inferioris Custodi, ut (servatis servandis) prælo committat librum cui Titulus *Lux de luce* &c. Confidens non minorem ex hoc prorsus elaborato & consummato operè, quàm ex præteritis ejusdem Elucubrationibus, obventurum Ordini splendorem, & Ecclesiæ utilitatem. Datum Lovanii in Conventu nostro Sanctissimæ Trinitatis Fratrum Minorum Recollectorum 16. Aprilis 1709.

F. BONAVENTURA VANDEN DYCKE
Minister Provinciæ.

APPROBATIO.

CUm inter maxima & pretiosiora dona, quibus dilectam sponsam suam Ecclesiam ditavit Spiritus Sanctus, prima subsellia obtineat Scriptura Sacra, ex qua S. Augustino teste Fides saluberrima concipitur, concepta nutritur, nutrita perficitur, hinc non immeritò juxta Tridentinam Synodum Sess. 5. de Reform. cap. 1. Summi *piique Pontifices, & probata Concilia ad* ejusdem *Catholicæ Fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem* decreverunt, ut Divinum illud Depositum, & Dei nostri Chirographum integrum, purum, & quale ab originali fonte per organa Scriptorum Hagiographorum ad nos dimanavit, custodiatur, de quo Timotheum suum instruens Apostolus ait 2. Timoth. 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide...bonum depositum custodi.* Reverà eximiè id præstat R. P. Henricus de Bukentop Seraphici Ordinis nostri S. Theologiæ Lector Jubilatus, & Provinciæ Custos in suo hoc laborioso, ac erudito operè: siquidem *Sanorum in fide verborum formam* servare nititur, dum ex originali textu explicat ambiguos sensus, qui sunt in Vulgata Editione.

Dein *Sanorum in fide verborum formam* habet, dum sedulò examinat varias ac dubias lectiones quoad insigniora quædam loca, easque ex originalium linguarum textibus, & aliis Criticæ Regulis ad certam, aut verosimiliorem lectionem reducit.

Nec minùs *Sanorum in fide verborum formam* tuetur, dum specialiter agit de Editione Vulgatâ Latinâ S. Scripturæ factâ à Sixto V. discutitque varia alia concernentia tum Biblia Vaticana Clementis VIII. tum Plantiniana aliaque, integro nunc sæculo per omnem sub cœlo Ecclesiam multoties impressa.

Denique *Sanorum in fide verborum formam* insigniter defendit, dum varia seu Amanuensium inscitiâ, seu Typothetarum oscitantiâ depravata loca corrigenda demonstrat, habetque non pauca circa finem operis reflexione dignissima, ab aliis haud satis usque modò animadversa. Adeò ut omnibus S. Scripturæ studiosis liber hic meritò futurus sit *Lucerna pedibus*, & *lumen semitis* eorum, ne in obscuris cespitent, in ambiguis vacillent, in occultis errent; ideòque rectè ab Authore intitulatus *Lux de luce*, à fontali utique mutuata. Porrò in hoc Lux illa placidior, gratior, & rutilantior apparet, quòd nihil in ea dogmatibus sacris, nihil bonis moribus, nihil authoritati Ecclesiæ Catholicæ (cui soli finaliter competit judicare de verò sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum) contrarium eluceat: unde prælaudatum opus & prælo dignissimum, & doctis palatis sapidum fore censeo. Dabam Mechliniæ in Conventu nostro Fratrum Minorum Recollectorum sexto Idus Novembris Æræ Christianæ anno 1709.

F. Isaacus Schrynmaeckers *Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, & Provinciæ Germaniæ inferioris Ex-Provincialis.*

ALIA APPROBATIO.

QUidquid in Scriptura docetur Veritas, quidquid præcipitur Bonitas, quidquid promittitur Felicitas est*, inquit Hugo de S. Victore lib. de Script. c. 1. Ut vero interpretatur Hiernoymus in Matth. 13. *Regnum Dei est notitia Scripturarum.* Optimè dixit: *Notitia Scripturarum*, quia ùt Augustinus Epist. 222. *Scriptura sancta, nisi eas rectè intelligas, utiles tibi esse non possunt.* Nec tantùm inutiles, sed & hominum perversorum vitio, non rarò fiunt noxiæ; *Non enim*, ait idem Tract. 18. in Joan. *nata sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.* Porrò ad *Notitiam Scripturarum* requiruntur duo. Primum, ut de ipsis Scripturis earumque partibus singulis sciatur quòd sint Divinæ Scripturæ, hoc est Verbum Dei scriptum. Secundum, ut intelligatur Verbi Dei verus & legitimus sensus. Sunt autem in Vulgata nostra S. Scripturæ Latinâ Editione innumera loca ambigua, in quibus proinde non est passim notum, quis sit proprius illorum verborum sensus intentus à Domino Deo nobis *in Scripturis*

suis sanctis loquente. Sunt & non pauca hinc inde in Vulgata nostra, præsertim in illis codicibus, qui ante correctionem Clementis VIII. impressi sunt, aut manuscripti, de quibus non est totaliter exploratum an sint Verbum Dei, an potiùs humanum tantummodò, & mendum aliquod, seu nævus, qui Amanuensium inscitiâ, aut Typographorum inadvertentiâ in Vulgatam irrepserit.

In his ambiguis tum locutionibus, tum lectionibus dilucidandis, & Lectoribus illuminandis, utilissimum erit hoc opus à V. A. P. F. Henrico de Bukentop S. Theologiæ Lectore Jubilato, & Provinciæ nostræ Custode compositum, rectèque vocatum Lux de Luce. Huic applicare liceat illud S. Petri Epist. 2. cap. 1. *Cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco. Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit*, ùt reflectit Ambrosius libro 7. in Lucam. Ita pariter hoc opus *Lucet in tenebris.* Lucet hæc Lucerna *Nam claritas Dei illuminavit eam*, lucet enimverò luce communicatâ, illuminata scilicet à clarissimo lumine, ipsissimo Verbo Dei Hagiographis illapso, & ab illis expresso in originalis linguæ textibus, quos Auctor magno quidem, sed utilissimo labore consuluit, & eruditâ claritate proposuit. Ut igitur omnes lumine Veritatis illuminentur, Opus hoc lucem videat, esse enim dignissimum, censeo Lovanii hac 18. Novembris anno 1709.

Fr. Ottho Van Dalem, *Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, & Conventûs Lovaniensis Guardianus.*

APPROBATIO TERTIA.

SCriptura Sacra Lux vitæ, Magistra morum, Religionis cardo, infinitus ille Thesaurus, quo qui utiliter usi, participes facti sunt amicitiæ Dei, usque adeò, teste S. Bonaventurâ Opusculo ad Magistrum innominatum, placuit S. P. N. Francisco, ut vel ideò *Clericos etiam quos recipiebat ad Ordinem amplius veneraretur, & in morte* mandarit *Fratribus, ut Doctores S. Scripturæ* in summa *reverentia haberent, tanquam illos à quibus reciperent verba vitæ.* Illuminant isti, lucent Augustino judice ista velut *una magna ad Christum lucerna.* Lucent quidem, sed, ùt rectè S. Petrus Epist. 2. cap. 1. *in caliginoso loco*, in litteris nempè & signis, ab Hagiographis primitùs sine dictionum separatione & formatione, sine versuum aut interpunctionum distinctionibus, justo Dei judicio, conscriptis, ut quilibet in hac rerum ambiguitate non privato, sed Ecclesiæ saniorumque Magistrorum judicio subjiceretur. *Locum* ita Ecclesia illustravit, ubi eum in distincta verba, distinctasque Editiones efformavit. Facem prætulerunt Magistri: primus inter Latinos in sua translatione Hieronymus, cujus vel ipsi *Judæi*, teste Augustino *tam litteratum laborem fatentur esse veracem.* Remanserunt tamen in Vulgata, meritò à Tridentino au-

thentizata, nonnulla tam quoad verbum, quàm quoad sensum loca dubia, uti & Copistarum, sive Typographorum hallucinationes, quibus hucusque anceps inhæserat Lectoris animus. Hisce enucleandis V. A. P. F. Henricus de Bukentop S. Theologiæ Lector Jubilatus, Provinciæ nostræ Custos, SS. linguarum, & Scripturæ apud nos à 30. circiter annis Interpres, exprofessò incubuit diligenter, librosque ad hæc summo labore à se compositos meritò *Lux de luce* intitulavit. In illis quippè præfata dubia ex textibus originariis, prout in simili Hieronymus & Augustinus practicarunt, dilucidè solvit, Typographorum hallucinationes eruditè corrigit, ipsosque Summos Pontifices Sixtum V. & Clementem VIII. contra hæreticorum insultus strenuè defendit, genuinè concordat. Habet hic quod imitetur Doctor, quod approbet eruditus, consulat Theologus, discat discipulus, diligat curiosus, quod linguarum SS. peritos delectet, Catholicum confirmet, heterodoxum ad saniora reducat. Quapropter LUX DE LUCE meritò super candelabrum ponatur, ut luceat coram hominibus, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Datum Lovanii in Conventu nostro SS. Trinitatis Ord. FF. Minorum Recoll. Anno 1709. die 18. Julii.

F. MATHIAS GROUWELS
S. Scripturæ Lector.

F. ANDREAS HENRICI
S. Theologiæ Lector.

F. JUDOCUS VAN VECHEL
S. Theologiæ Lector.

F. RUMOLDUS VANDEN MALE
S. Theologiæ Lector.

CENSURA.

PEr Jeremiam Dominus pronuntiat cap. 15. ℣. 19. *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Præstat hoc præclarè R.P. Henricus de Bukentop Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum S. Theologiæ Lector Jubilatus, in erudito hoc opere suo. Quid enim magis *pretiosum*, quàm Verbum Dei? Utique *super aurum & topazium.* In ejus comparatione, quàm vile est verbum hominis! De hoc Augustinus Tract. 1. in Joannem: *Ne vile aliquid putares, qualia consuevisti cogitare cùm verba humana soleres audire.*

Hoc vile verbum hominis *separat* à *pretioso* Verbo Dei, dum in tot ambiguis Vulgatæ locis verum Scripturæ, hoc est à Deo intentum sensum (qui verborum est nucleus, anima, pondus) ex originalis linguæ textibus demonstrat, atque adeò *separat* segregatque ab humano sensu, hoc est eo, quem à mente loquentis Dei alienum, atque hoc ipso vilem, homo quispiam ex iisdem ambiguis Scripturæ verbis aut sibi format, aut formare potest.

Nec minus *pretiosum à vili separat*, dum pretiosissima verba Divina secernit à vilibus humanis, docens edoctus ex originalibus linguis, quæ inter varias Vul-

Vulgatæ lectiones sit genuina, quæ spuria: Quæ sit mendosa lectio, quæ legitima: Quæ sit Divina, primigenia, solida, quæ humana, adventitia, sublesta. Verbo ut complectar: quid aurum pretiosum, quid vilis palea, scoria, lutum.

Ostendit postremò hujus operis Auctor tum ex originalibus textibus, tum ex adductis Bibliis Vaticanis, eorumque Indicibus correctoriis, tum ex aliis legitimæ Criticæ Regulis, quòd in Biblia tam Plantiniana, quàm alia alibi locorum impressa, varii nævi vel novi irrepserint, vel antiqui permanserint, in eo iterum *pretiosum à vili separans*, & *lucem de luce* proferens, quâ illustrati Typographi, accuratiùs, atque exactiùs in posterum Biblia Vulgatæ imprimant. Illuminat etiam Lectores, instruitque de legitima plurimorum locorum lectione, & Ecclesiæ debita cum obedientia exhibet, ac submittit, ut si, vel quando ei benè visum fuerit, illa, quæ in Vulgata adhuc mendosa videntur, aut mutare possit, aut justis de causis invariata custodire.

Est itaque verè *Quasi os Domini* omnibus purissima Dei verba proferens, eaque à verbis hominum tanquam pretiosum à vili separans, atque insuper verborum sacrorum sensum genuinum in ambiguis reserans, *Lucemque de luce* communicans: nihil verò dogmatibus sacris contrarium allegans, nihil authoritati Ecclesiæ in hac delicata materia derogans. Quapropter prælo dignissimum hoc opus judico, omnibusque utilissimum, & acceptissimum futurum confido. Dabam Lovanii 4. Novembris 1709.

HERMANNUS DAMEN, *S. Theologiæ in Universitate Lovaniensi Doctor & Professor Ordinarius, & Facultatis Theologicæ Regens, Decanus S. Petri Lovanii, Præses Collegii Divæi, Librorum Censor.*

ALIA CENSURA.

C*Ælestis ille Sacrorum librorum Thesaurus, quem Spiritus Sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit* (Trident. Sess. 5.) est sacratum ac pretiosum Ecclesiæ Depositum, de quo meritò intelligas istud Apostoli ad charissimum suum Discipulum *O Timothee depositum custodi.* 1. Timoth. 6. ℣. 29. Et iterum 2. Cap. 1. ℣. 14. *Bonum depositum custodi.* Reverà *Depositum bonum*, imò meliùs auro, & lapidibus pretiosis. Ut istud integrum, purum, nitidum, rutilans, atque adeò in sua bonitate & pretio custodiatur, utilissimi sunt hi tres libri V. A. P. Henrici de Bukentop Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum S. Theologiæ Lectoris Jubilati, rectè ab authore vocati *Lux de luce*; in illis siquidem claram omnibus lucem profert, & quidem à luce verâ mutuatam, cùm per originalis linguæ textus genuinum S. Scripturæ sensum, qui in quam-

quamplurimis Vulgatæ Latinæ locis, propter ambigua verba occultatus latet, solerter eruit, & clarè proponit. Insuper germanam, & sinceram Vulgatæ lectionem contra Amanuensium oscitantiam, & Typographorum incuriam, atque ignorantiam confirmat, ac stabilit, & ita *bonum depositum* sollicitè *custodit*, ac Vulgatæ puritatem & quoad sensum, & quoad ipsa verba sartam-tectam conservat, & ubi hinc inde in variis editionibus per minùs accuratas translationes, aut nævos aliquos typographicos inadvertenter est læsa, pristinæ puritati eruditè fideliterque restituit; nec aliquid in toto opere affert rectæ fidei, vel bonis moribus, vel Ecclesiæ decretis, vel authoritati contrarium, sed econtrariò solidam ubique, ac sanam eruditionem profert, Vulgatam stabilit, emaculat, dilucidat, opus prælo dignissimum, omnibusque utilissimum futurum. Ita censeo Lovanii 4. Novembris 1709.

G. J. DE QUAREUX *Librorum Censor Apostolicus ac Regius.*

AUCTOR LECTORI BENEVOLO.

RElegens folia hujus operis me absente impressa, aliqua animadverti, quæ aliter impressa volueram. Itaque quod folio 193. ad Judic. IX. 19. dixi, *Lætamini* non exactè correspondere Hebræo Imperativo *Simbhu*, hoc sensu intellige, quòd Latinum *Lætamini* sit ambiguum ad tempus præsens, & ad Imperativum, sensumque clariùs exprimat *Lætemini*, quod varii codices Latini habent.

Eodem sensu positum est *Exactius* pro *Clarius* fol. 457. ad II. Corinth. VI. 16.

Circa ea, quæ fol. 299. & 300. dicta sunt ad I. Timoth. VI. 8. Vide illa, quæ notavi ad eundem locum fol. 525.

Quoad nævos Typographicos. Fol. 13. col. 1. lin. 15. *filius* lege *filiis*.
Fol. 25. col. 1. lin. 7. à fine *commisisse* lege *commisisse*.
Fol. 29. col. 1. lin. 4. *præ-* lege *præfer-*
Fol. 37. col. 1. lin. 13. *præcipipiam* lege *præcipiam*.
Fol. 39. col. 2. lin. 15. *uncquam* lege *unquam*.
Fol. 44. col. 2. lin. 8. à fine *clases* lege *classes*.
Fol. 52. col. 1. lin. 11. à fine *præcipisti* lege *præcepisti*.
Fol. 54. col. 2. lin. 19. *tanter* lege *ter*.
Fol. 55. col. 1. lin. 6. à fine *strennè* lege *strenue*.
Fol. 64. col. 2. lin. 10. à fine *Et* lege *Est*.
Fol. 359. Ezech. XVI. 13. *multis coloribus* lege *multicoloribus*.
Alios, si quos Typographicos errores offenderis, excusa & emenda.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.



